Ic. sup. 13. pl. 1.

37
11 E
8

- MAO 4616

SANCTI

GREGORII MAGNI

PAPAE PRIMI

Operum

TOMVS V.

ANTIPHONARIVM, ET LIBRVM SACRAMENTORVM COMPLECTENS.

CVM PRIVILEGIIS.

B

A

ROMÆ
Ex Typographia APOSTOLICA VATICANA.
M. D. XCIII.

B. ISIDORVS HISPALENSIS EPISCOPVS
DE VIRIS ILLVSTRIBVS.

GREGORIVS Papa, Romanæ ſedis Apoſtolicæ præſul, compunctione timoris Dei plenus, & humilitate ſummus, tantumq. per gratiam ſancti Spiritus, ſcientiæ lumine præditus, vt non modo illi præſentium temporum quiſquam Doctorum, ſed nec in præteritis quidem illi par fuerit vnquam.

GREGORIVS
M·G·F·

SANCTISSIMO AC BEATISS. PATRI ET D. N. CLEMENTI VIII. PONT. MAX.

PRODEVNT, Sanctiſsime Pater, tuis feliciſsimis auſpicijs, e Vaticana Typographia, Beati Gregorij opera: quem ſi Magnum, vt alij, dixero, plurimum eius maieſtati detraxiſſe mihi videbor: quinimmo ſi ter Maximum, vix ita bonis omnibus a me ſatisfactum iri putabo. ſingulari namque vitæ ſanctitate ita præſtitit Gregorius, inſigni rerum ſcientia ita claruit, admirabili maieſtatis auctoritate ita refulſit, vt Ioannis Patriarchæ faſtum repreſſerit, Mauritij Imperatoris furorem fregerit, & vniuerſum Orbem, & ab Orbe diuiſos populos ad ſui venerationem, & admirationem compulerit. Præſtiterunt etiam, fateor, Sancti Patres alij alijs virtutibus; ſed in vno Gregorio omnes omnium virtutes collocatas quiuis facile agnoſcat: & quod de Athanaſio Nazianzenus ſcripſit, quòd ſiquis Athanaſium laudare vellet, virtutes omnes is ſibi laudandas ſumeret, quas ſicut aſſequi eſt ſatis difficile, ita earum laudes recenſere non facile; hoc ipſum de Gregorio merito quis dicat: tempus enim potius & verba deficient, quàm ad panegyrim laudum argumenta. Inter quæ illud mihi videtur præcipuum, quòd cum Orientalis Eccleſia plurimos habeat innocentia vitæ & doctrinæ præſtantia inſignes, qui Eccleſiæ Dei plurimum ſplendoris attulerunt, ſuis tamen quaſi non contenta, & æmulatione quadam laude digna victa, ex occidentalibus vnum Gregorium ſuum efficere, & ſibi lucrifacere pro viribus ſtuduit, & præcipuo quodam nomine ipſum Dialogum nuncupare, ex illa videlicet Dialogorum adeo vtili ſcriptione. In diuinis etiam officijs nonnulla ex eius inſtitutione & præſcripto adhuc ſeruat, & eius opera, dum viueret, Græca reddere geſtiebat, & præ manibus habere; vt libros de Paſtorali cura vix editos, ab Amphilochio Alexandrino Patriarcha Græco idiomate donatos conſtat. Alios etiam Gregorij libros idem Amphilochius, aut alij vertiſſent proculdubio, ſi per Gregorium licuiſſet, qui iucundum ſibi fore aperte declarauit, ſi ſua opera ſe ſuperſtite manibus hominum verſarentur. Illud quoque non minori admiratione dignum, quòd poſte-

posteriores Græci suis maioribus in hoc non dissimiles, Gregorij operibus delectantur, Dialogis præsertim a Sancto Zacharia prædecessore Tuo in Græcam linguam versis, qui ob eam etiam causam huic editioni adiecti sunt, quòd in eis Græcorum quorundam errores præcipui redarguuntur. Photius præterea Patriarcha perniciosissimi schismatis auctor, & Romanæ Ecclesiæ non parum infensus, vel inuitus de Gregorio ea scribere coactus est, quibus haud scio an maiora dici queant de quouis alio, vel æqualia. Nihil enim, iuxta diuinum eloquium, veritate fortius. Sed hæc de Gregorio, quem tanti non solum apud nostros, verum etiam apud alios fuisse nouimus, ne, si plura, orationem non epistolam scribere videamur. Gregorium clementissime Pater, sequentur deinceps aliorum sanctorum Patrum monimenta pristino suo splendori restituta, quibuscum veluti iunctis copijs aduersus hostes Ecclesiæ securius decertantes, diuino auxilio victoriam reportare possimus. Præsto ad id nobis sunt tot idiomatum diuersi characteres summis impensis, & non minori diligentia conquisiti, vt Te Pontifice sacratissimum Dei nomen varijs linguis per vniuersum Orbem personare audiatur. præsto est Clementinum Tuum Collegium, cuius ope ipse polliceri ausim, me pro viribus curaturum, vt nulla in re officio meo desim. Reliquum est, Beatissime Pater, vt ea, qua polles humanitate, & Clementia, flores hos, qui apparuerunt in vinea tua, suscipias, iucundissimos fructus Sanctitas Tua deinceps perceptura, si, vt speramus, Clementer, vt soles, nos foueas, & protegas. Deus Optimus Max. Sanctitatem Tuam nobis, & sanctæ Dei Ecclesiæ diu incolumem seruet. Romæ Kal. Sept. M. D. XCIII.

Sanctitatis Tuæ

Humillimus & deuotiss. seruus

Dominicus Basa Typographus Vaticanus.

PRAE-

PRAEFATIO
IN ANTIPHONARIVM
ET LIBRVM SACRAMENTORVM.

SANCTVS *Gregorius Magnus Ecclesiam catholicam, cui Pastor praefuit, sancta sollicitudine gubernauit; vt eam salutari doctrina, & mirabili sacrorum rituum varietate ad interiorem, & exteriorem Dei cultum inter alios praecipue instruxerit. Singularem huius sanctissimi viri doctrinam alij eius libri aperte demonstrant; sacros vero ritus & ab alijs ante eius tempora, & ab eo institutos, quàm pulcro ordine digesserit, ostendunt in primis Antiphonarius, & Sacramentorum liber: quos cum non solum compilauerit, sed multis etiam auctos composuerit, vt grauissimorum virorum auctoritate probatur; eos inter S. Gregorij opera emittere, & hoc tomo quinto comprehendere non absre esse visum fuit. Non enim aequum esset, suis laboribus fraudare Pontificem vigilantissimum, qui, Bernone Augiensi teste, multa constituit vtilia cum in celebratione Missarum, tum etiam in vario Ecclesiasticarum rerum vsu: & a quo omnia ecclesiastica officia pene habent, Auctor Micrologi confitetur. Hinc igitur plane intelligent ij, qui calumniandi occasionem quarunt, noui Missalis cum his libris collatione facta, non tam nouum id esse, quàm e veteri vsu, nullo mutato ritu, fere in omnibus restitutum. Deinde multa in his reperire licebit praeter ea, quibus nunc vtimur, quae cum mire affectum ad pietatem mouere queant, dignissima sunt sane, vt in apertum proferantur. Denique complures ritus hi libri complectuntur, iam olim vsitatos, nunc partim obsoletos, partim adhuc retentos: quibus & sollemnes Sacramentorum caerimoniae, & dogmata, hac tempestate, controuersa mirifice confirmantur. Horum autem librorum auctorem esse Sanctum Gregorium Magnum, difficile in dubium reuocari potest; cum ex vetustissimorum codicum M. S. inscriptionibus liquido constet, & Ioannis Diaconi, VValafridi Strabonis, Bernonis Augiensis, Auctoris Micrologi, & aliorum, qui de Diuinis officijs scripserunt, attestationibus comprobetur, nec vllius in contrarium extet auctoritas.*

Ber. de quibusd. reb. ad Miss. spectant. c. 1. in pri. Microlog. de Eccles. obser. c. 25.

Io. Diac. lib. 2. cap. 6. & 17. VValaf. de reb. Eccles. cap. 22. Ber. vbi sup. Microl. de reb. Eccles. c. 24. 25. 28. 31. 39. 42. 43. 49.

Sed, vt de Antiphonario sermo primum instituatur, animaduertendum est, vsum Antiphonarum (quae ideo dictae, quòd alternatim a duobus Choris canerentur) antiquissimum in Ecclesia esse. Cuius rei initium VValafridus tribuit Ignatio, Antiochenae ecclesiae tertio post Apostolum Petrum Episcopo. Is enim Angelorum visionem vidit Sanctae Trinitati Antiphonas, & Hymnos canentium, visionisq. huius modum Antiochenae ecclesiae tradidit, ex qua ad cunctas transiuit ecclesias. Qui vero eas primum in Ecclesiam Romanam transtulit Caelestinus Papa primus fuisse commemoratur. Immo vulgo creditum est, eundem Caelestinum constituisse, vt psalmi Dauid centum quinquaginta ante sacrificium Missae Antiphonatim canerentur: quod non antea fiebat. Id tamen Amalarius ita intelligendum monet, vt ex omnibus psalmis excerpserit Antiphonas, quae psallerentur in officio Missae. Denique Antiphonas Missae omnes in vnum volumen S. Gregorius congessit, quod satis quidem apte Antiphonarium inscripsis, vt M. S. codices & auctores de diuinis officijs testantur, de eo mentionem facientes. Auctor vero Micrologi Gradualem librum saepe nominat, vel ob eam causam, quòd in loco eminentiori, ad quem per gradus ascendebatur, Missae Antiphonae aliquot decantarentur; vel, vt distingueret ab alijs Antiphonarijs, quibus psalmorum Antiphonae continebantur. Atqui Antiphonae nomine, Introitus, Gradualia, Alleluia, Offertoria, & Communiones comprehendebantur; peculiariter tamen id nomen tribuebatur Missae Introitus, cui solum in hoc Gregoriano codice Antiphona nomen est.

VVal. de reb. Eccles. c. 25.

Amal. lib. 3. de Eccles. offic. cap. 5.

Rectat nunc de libri Sacramentorum inscriptione, deq. causa, ob quam a Sancto Gregorio post codicem Gelasianum est editus, ac de ijs, quae eidem post Gregorium sunt adiecta, nonnihil praemittere. In primis librum Sacramentorum potius, quàm Sacramentarium, inscribendum esse & codices M. S. probant, & veteres de Diuinis officijs scriptores, apud quos hic titulus frequentior est; li-

eſt ; licet Auctor Micrologi ſæpe Sacramentarium prænotet. Olim autem Sacramenta non ſolum Miſſæ ſacrificium, ſed peculiariter etiam Miſſarum orationes appellari, ex hoc ipſo libro colligere licet : quas quidem collectas dicimus, vel quia collecto populo celebrari ſolent, vel quia his preces populi adſtantis ſacerdos in vnum colligit, vel quia, vt alijs placet, neceſſarias earum petitiones compendioſa breuitate colligimus, ſeu concludimus. Has omnes tam a diuerſis auctoribus pro cuiusq. arbitrio, quam a ſe confectas Gelaſius ordine diſpoſuiſſe fertur. Sed cum tot incertis auctoribus multa viderentur inſerta, & ſenſus integritatem non habentia, curauit poſt Gelaſium Beatus Gregorius, congrua quæque in vnum congerere, & ſecluſis ijs, quæ ſuperflua, vel inconcinna videbantur, compoſuit librum, qui dicitur Sacramentorum, vt ex eius titulo manifeſtiſſime patet.

VVal. loc. vbi ſupra. cap. 26. Grimold. in præf. lib. Sacr.

Verum, quia huic libro poſt Gregorium ab alijs recentioribus nonnulla ſunt addita, vt VValafridus & Grimoldus Abbas teſtatum faciunt, quæ facile poſſent alicui perſuadere, libri Sacramentorum auctorem Gregorium Primum non eſſe, ea tamquam poſt eum infuta in notationibus ad calcem horum librorum excuſis obſeruata reperies, ne vlla omnino ſit dubitandi occaſio. Illud demum lector animaduerte, Antiphonarium & Sacramentorum librum ante annos viginti & eo amplius a Iacobo Pamelio editos fuiſſe tomo ſecundo Liturgicon Eccleſiæ Latinæ ; iuxta cuius editionem Antiphonarius etiam nunc eſt impreſſus. At Sacramentorum liber iuxta codicem vetuſtiſſimum Bibliotheca Vaticanæ in lucem emittitur, in quo multa continentur, quæ in editione Pamelij deſiderantur, quæque, licet prima facie non nihil obſcuritatis præſeferant, & expoſitionem poſtulent, ea tamen antiquiſſimi exemplaris integritatem comprobant, vt adhibitis ad ſingula notationibus, legentibus ſicet manifeſtum.

S. GREGORII MAGNI
PAPAE PRIMI
ANTIPHONARIVS
SIVE GRADVALIS

Liber ordinatus per circulum anni.

DOMINICA PRIMA
Aduentus Domini.

A

NTIPH. Ad te Domine leuaui animam meam: Deus meus, in te confido, non erubescam: neque irrideat me inimicus meus. Etenim vniuersi, qui te expectant, non confundentur.

PSAL. Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. *Psal. 24.* RESP. Vniuersi qui te expectant, non confundentur. *Ibidem.* VERS. Vias tuas Domine notas fac mihi, & semitas tuas edoce me. ALLEL. Ostende nobis Domine misericordiã tuam, & salutare tuum da nobis. OFF. Ad te Domine leuaui animam meam: Deus meus, *Psal. 84.* in te confido, non erubescam: neque irrideant me inimici mei: etenim vniuersi qui te expectant, non confundentur. VERS. Dirige me in veritate tua, & doce me, quia tu es *Psal. 24.* Deus salutaris meus, & te sustinui tota die. VERS. Respice in me, & miserere mei Do-
B mine: custodi animam meam, & eripe me: non confundar, quoniam inuocaui te. AD COMM. Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum. PSAL. Benedixisti Domine. *Psal. 84.*

DOMINICA SECVNDA
DE ADVENTV.

ANTIPH. Populus Sion, ecce Dominus veniet ad saluandas gentes, & auditam fa- *Esai. 15.*
ciet Dominus gloriam vocis suæ in lætitia cordis vestri. PSAL. Qui regis Israel, intende, *Psal. 79.*
qui deducis velut ouem Ioseph. RESP. Ex Sion species decoris eius, Deus manifestus *Psal. 49.*
veniet. VERS. Congregate illi sanctos eius, qui ordinauerunt testamentum eius super sa- *Psal. 121.*
C crificia. ALL. Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. *Psal. 84.*
VERS. Stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Hierusalem. VERS. Rex noster aduenier
Christus, quem Ioannes prædicauit agnum esse venturum. OFF. Deus, tu conuersus vi-
uificabis nos, & plebs tua lætabitur in te. Ostende nobis Domine misericordiam tuam, &
salutare tuum da nobis. VERS. Benedixisti Domine terram tuam, auertisti captiuitatem
Iacob, remisisti iniquitatem plebis tuæ. VERS. Misericordia & veritas obuiauerunt sibi: ve-
ritas de terra orta est, & iustitia de cælo prospexit. AD COM. Hierusalem surge, & sta in *Isai. 60.*
excelso, & vide iucunditatem quæ veniet tibi a Deo tuo. PSAL. Qui regis Israel. *Psal. 79.*

IN NATALI S. LVCIÆ.

ANTIPH. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus Deus *Psal. 44.*
tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. PSAL. Eructauit cor meum verbum bonum, dico
ego opera mea regi. RESP. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem. VERS. Propte-
rea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. ALL. Diffusa est gratia
in labijs tuis: propterea benedixit te Deus in æternum. OFF. Offerentur regi virgines:
proximæ eius offerentur tibi in lætitia, & exultatione, adducentur in templum regi

Domino. VERS. Eructauit cor meum. VERS. Specie tua. AD COM. Diffusa est gra- A
Psal. 4. tia in labijs tuis. PSAL. vt supra.

DOMINICA TERTIA.

Philipp. 4. ANTIPH. Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete. Modestia vestra nota
sit omnibus hominibus. Dominus prope est. nihil soliciti sitis, sed in omni oratione peti-
Psal. 84. tiones vestræ innotescant apud Deum. PSAL. Benedixisti Domine terram tuam, auerti-
sti captiuitatem Iacob. RESP. Qui sedes Domine super Cherubin, excita potentiam
Psal. 79. tuam,& veni. VERS. Qui regis Israel, intende,qui deducis velut ouem Ioseph. ALL. Exci-
ta Domine potentiam tuam,& veni, vt saluos facias nos. OFF. Benedixisti Domine ter-
ram tuam,auertisti captiuitatem plebis tuæ. VERS. Operuisti omnia peccata eorum,
mitigasti omnem iram tuam. VERS. Ostende nobis Domine misericordiam tuam, &
Isa. 35. salutare tuum da nobis. COM. Dicite: pusillanimes confortamini,& nolite timere: B
Psal. 84. ecce Deus noster veniet,& saluabit nos. PSAL. Benedixisti Domine, vt supra.

FERIA QVARTA.

Isai. 45. ANTIPH. Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germi-
Psal. 18. net saluatorem. PSAL. Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat fir-
Psal. 23. mamentum. RESP. Tollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, &
introibit rex gloriæ. VERS. Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco
Psal. 144. sancto eius? innocens manibus, & mundo corde. RESP. Prope est Dominus omnibus
inuocantibus eum, omnibus qui inuocant eum in veritate. VERS. Laudem Domini lo-
quetur os meum, & benedicat omnis caro nomini sancto eius. OFF. Confortamini, &
iam nolite timere,ecce enim Deus noster retribuet iudicium: ipse veniet, & saluos nos
Isai. 35. faciet. VERS. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum audient: tunc ascendet C
claudus sicut ceruus, & clara erit lingua mutorum. VERS. Audite itaque domus Iacob,
num pusillum vobis,certamen præstare hominibus, quoniã Dominus præstat certamen:
propterea dabit Dominus vobis signum: Ecce virgo in vteto concipiet, & pariet filium,
Luc. 1. & vocabitur nomen eius Emanuel. OFF. Aue Maria gratia plena: Dominus tecum,
benedicta tu in mulieribus. VERS. Quomodo fiet in me hoc? VERS. Ideoque quod na-
Isai. 7. scetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. COM. Ecce virgo concipiet, & pariet filium,
& vocabitur nomen eius Emanuel. PSAL. vt supta.

FERIA SEXTA.

Psal. 118. ANTIPH. Prope esto Domine, & omnes viæ tuæ veritas: initio cognoui de testimo-
nijs tuis, quia in æternum ru es. PSAL. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege
Psal. 84. Domini. RESP. Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da no- D
bis. VERS. Benedixisti Domine terram tuam,auertisti captiuitatem Iacob. OFF. Deus,
Zach 9. tu conuersus viuificabis nos: & plebs tua lætabitur in te. COM. Ecce Dominus veniet,&
omnes sancti eius cum eo: & erit in die illa lux magna. PSAL. vt supra.

Inf. lib. 1. Sacram. ad hanc fer.

SABBATO IN XII. LECT.

ANTIHP. Veni, & ostende nobis faciem tuam Domine, qui sedes super Cherubin,
Psal. 97. & salui erimus. PSAL. Qui regis Israel,intende,qui deducis velut ouẽ Ioseph. RESP. A sum-
Psal. 16. mo cælo egressio & occursus eius vsque ad summum eius. VERS. Cæli enarrant glo-
Ibidem. riam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. RESP. In sole posuit taber-
naculum eius, & ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo. VERS. A summo
Psal. 79. cælo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius. RESP. Domine Deus virtu- E
tum conuerte nos: & ostende faciem tuam, & salui erimus. VERS. Excita Domine po-
Ibidem. tentiam tuam, & veni, vt saluos facias nos. RESP. Excita Domine potentiam tuam, &
veni, vt saluos facias nos. VERS. Qui regis Israel, intende, qui deducis velut ouem Io-
Dan. 3. seph: qui sedes super Cherubin, appare coram Effraim, Beniamin & Manasse. Hymnus
trium puerorum. Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum: Et laudabilis, & glo-
riosus in sæcula.
Et benedictum nomen gloriæ tuæ, quod est sanctum. Et laudabil. & glor.
Benedictus es in templo sancto gloriæ tuæ. Et laudabilis & gloriosus in sæcula.
Benedictus es super thronum sancti regni tui. Et laudabilis & gloriosus in sæcula.
Benedictus es super sedem sanctam Deitatis tuæ. Et laudabilis & gloriosus in sæcula.
Benedictus es super sceptrum diuinitatis tuæ. Et laudabilis & glotiosus in sæcula.

Benedictus

A Benedictus es qui sedes super Cherubin, intuens abyssos. Et laudabilis & glorioſus in sæcula⁓.
Benedictus es qui ambulas super pennas ventorum. Et laudabilis glorioſus in sæcula⁓.
Benedicant te omnes angeli & sancti tui.
Et laudant te, & glorificent in sæcula⁓.
Gloria patri, & filio & spiritui sancto.
Et laus, & honor, & potestas, & imperium⁓.
Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen⁓.
Et laus, & honor, & potestas, & imperium⁓.
TRACTVS. Qui regis Israel, intende, qui deducis velut ouem Ioseph. VERS. Qui sedes super Cherubin, appare coram Effraim, Beniamin, & Manasse. *Psal. 79.*
B VERS. Excita Domine potentiam tuam, & veni, vt saluos facias nos. OFF. Exulta satis filia Sion, prædica filia Hierusalem, ecce rex tuus venit tibi sanctus & saluator. *Zach. 9.* VERS. Loquetur pacem gentibus, & potestas eius a mari vsque ad mare, & a flumine vsque ad terminos orbis terræ. VERS. Quia ecce venio, & habitabo in medio tui, dicit Dominus omnipotens, & confugient ad te in illa die omnes gentes, & erunt tibi in plebem. COM. Exultauit vt gigas ad currendam viam, a summo cælo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius. PSAL. Cæli enarrant. *Psal. 18.*

[DOMINICA VACAT.

Memento nostri Domine in beneplacito populi tui: visita nos in salutari tuo, ad videndum in bonitate electorum tuorum, in lætitia gentis tuæ, vt lauderis cum hereditate tua. *Microl. c. 24.* *Psal. 105.*
PSAL. Peccauimus cum patribus nostris, iniuste egimus, iniquitatem fecimus. RESP. Pro-
C pe est Dominus. VERS. Veni Domine, & noli tardare: relaxa facinora plebis tuæ. OFF. Aue Maria gratia plena. Dominus tecum. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Quomodo in me fiet hoc, quæ virum non cognosco? Spiritus Domini superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. VERS. Ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. COM. Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel.] *Luc. 2.* *Isai. 7.*

VIGILIA NATIVITATIS DOMINI.

ANTIPH. Hodie scietis quia veniet Dominus, & saluabit nos & mane videbitis gloriam eius. PSAL. Domini est terra & plenitudo eius, orbis terrarum & vniuersi qui habitant in eo. RESP. Hodie scietis quia veniet Dominus, & saluabit vos, & mane vide- *Exod. 16.* *Psal. 23.* *Exod. 16.*
bitis gloriam eius. VERS. Qui regis Israel, intende, qui deducis velut ouem Ioseph, qui *Psal. 79.*
D sedes super Cherubin, appare coram Effraim, Beniamin, & Manasse. Si in Dominica euenerit ipsa vigilia. ALL. De aduentu Domini, quale volueris, dic: sin autem, non cantatur. OFF. Tollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. VERS. Domini est terra & plenitudo eius, orbis terrarum & vniuersi qui habitant in eo. VERS. Ipse super maria fundauit eum, & super flumina præparauit eum. COM. Reuelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro salutare Dei nostri. PSAL. Domini est terra, vt supra. *Psal. 23.* *Psal. 23.* *Isa. 40*

IN MEDIA NOCTE NATIVITATIS DOMINI.

ANTIPH. Dominus dixit ad me, filius meus es tu: ego hodie genui te. PSAL. Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania. RESP. Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum, ex vtero ante luciferum genui te. *Psal. 2.*
E VERS. Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum⁓. ALL. Dominus dixit ad me: filius meus es tu: ego hodie genui te⁓. *Psal. 109.*
OFF. Lætentur cæli, & exultet terra ante faciem Domini, quoniam venit. VERS. Cantate Domino canticum nouum benedicite nomen eius: bene nunciate de die in diem salutare eius. VERS. Confessio & pulchritudo, in conspectu eius fortitudo & magnificentiæ in sanctificatione eius. COM. In splendoribus sanctorum ex vtero ante luciferum genui te. PSAL. Dixit Dominus Domino meo. *Psal. 2.* *Psal. 91.* *Psal. 109.*

MISSA IN PRIMO MANE NATIVITATIS DOMINI.

ANTIPH. Lux fulgebit hodie super nos, quia natus est nobis Dominus, & vocabitur admirabilis, Deus princeps pacis, pater futuri sæculi, cuius regni non erit⁓ finis *Isai. 9.*

Psal. 92. PSAL. Dominus regnauit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem, & A
Psal. 117. præcinxit se virtute. RESP. Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus & inluxit nobis. VERS. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.
Psal. 92. ALL. Dominus regnauit, decorem &c. OFF. Deus enim firmauit orbem terræ, qui
Ibidem. non commouebitur: parata sedes tua Deus ex tunc, a sæculo tu es. VERS. Dominus regnauit, decorem. VERS. Mirabilis in alris Dominus. COM. Exulta Sion, laudafi-
Psal. 92. lia Hierusalem, ecce rex tuus venit, iustus & Saluator mundi. PSAL. vt supra.

IN DIE NATALIS DOMINI.

Isai. 9. ANTIPH. Puer natus est nobis, & filius datus est nobis, cuius imperium super hume-
Psal. 97. rum eius, & vocabitur nomen eius magni consilij angelus. PSAL. Cantate Domino
Ibidem. canticum nouum, quia mirabilia fecit. RESP. Viderunt omnes fines terræ salutare Dei B
nostri. Iubilate omnis terra, canrate & exultare & psallite. VERS. Notum fecit Domi-
2. Esdr. 8. c nus salutare suum, ante conspectum gentium reuelauit iustitiam suam. ALL. Dies san-
Ps. 85. & 91. ctificatus inluxit nobis: venite gentes, & adorate Dominum, quia hodie descendit lux
Esai. 9. magna super terram. OFF. Tui sunt cæli, & tua est terra, orbem terræ & plenitudinem
Psal. 88. eius tu fundasti. VERS. Magnus & metuendus super omnes, qui in circuitu eius sunt. Domine Deus virtutum, quis similis tibi? potens es Domine, & veritas tua in circuitu tuo: Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas. VERS. Misericordia & veritas procidunt ante faciem tuam, beati populi qui sciunt iubilationem. VERS. Tu humiliasti sicut vulneratum superbum: in virtute brachij tui dispersisti omnes
Psal. 97. inimicos tuos. COM. Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. PSAL. Cantate Domino, vt supra. C

DIE SANCTI STEPHANI.

Psal. 118. ANTIPH. Etenim sederunt principes, & aduersum me loquebantur, & iniqui per-
secuti sunt me: adiuua me Domine Deus meus, quia seruus tuus exercebatur in tuis iusti-
Ibidem. ficationibus. PSAL. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. RESP. Se-
Psal. 108. derunt principes, & aduersum me loquebantur, & iniqui persecuti sunt me. VERS. Ad-
Psal. 20. iuua me Domine Deus meus, propter misericordiam tuam. ALL. Video cælos apertos,
Act. 7. & Iesum stantem a dextris virtutis Dei. OFF. In virtute tua Domine lætabitur iustus, & super salutare tuum exultabit vehementer: desiderium animæ eius tribuisti ei. VERS. I. Vitam petijt a te, & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum sæculi. VERS. II. Magna est gloria eius in salutari tuo: gloriam & magnum decorem impones super eum. D
Act. 7. COM. Video cælos apertos, & Iesum stantem a dextris virtutis Dei. Domine Deus, accipe spiritum meum, & ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt quid faciunt. PSAL. Beati, vt supra.

SANCTI IOANNIS IN MISSA PRIMA.

Psal. 51. ANTIHP. Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei. PSAL. Quid gloriaris in
Psal. 91. malitia, qui potens es in iniquitate? RESP. Iustus vt palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur in domo Domini. VERS. Bonum est confiteri Domino, & psallere
Psal. 8. nomini tuo altissime. OFF. Gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum Domine. VERS. I. Domine Dominus noster. VERS. II. Quid
Psal. 51. est homo. COM. Magna est gloria eius in salutari tuo. PSAL. Domine, in virtute. E

IN SECVNDA.

ANTIPH. In medio Ecclesiæ aperuit os eius, & impleuit eum Dominus spiritu sapientiæ & intellectus, stola gloriæ induit eum. PSAL. Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo altissime. RESP. Exijt sermo inter fratres, quòd discipulus ille non moritur. VERS. Sic eum volo manere donec veniam: tu me sequere. ALL. Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibuit de his, & scimus quia verum est testimonium
Psal. 91. eius. OFF. Iustus vt palma florebit. VERS. I. Bonum est. VERS. II. Ad adnunciandum. VERS. III. Plantati in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri florebunt.
Ioan. 21. COM. Exijt sermo inter fratres, quòd discipulus ille non moritur: & non dixit Iesus, Non moritur: sed sic eum volo manere donec veniam. PSAL. Bonum est, vt supra.

IN

IN NATAL. INNOCENTVM.

Gloria in excelsis Deo, non canitur, neque Alleluia, sed quasi præ tristitia, dies illa deducitur ad introitum. *Microl.c.38.*

ANTIPH. Ex ore infantium Deus & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos, vt destruas inimicum & vltorem. PSAL. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra. RESP. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. VERS. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus: adiutoriū nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram. OFF. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. VERS. I. Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis, cum exurgerent homines in nos, forte viuos deglutissent nos: cum irascceretur furor eorū in nos, forsitan velut aqua absorbuissent nos. VERS. II. Torrentē pertransijt anima nostra: forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilē &c. COM. Vox in Rama audita est, ploratus & vlulatus. Rachel plorans filios suos, noluit consolari, quia non sunt. PSAL. Domine Dominus noster. *Psal.8.*

NAT. S. SYLVESTRI. *Microl.c.35.*

ANTIPH. Sacerdotes tui Domine induant iustitiam, & sancti tui exultēt. propter Dauid seruum tuum, non auertas faciem Christi tui. PSAL. Memento domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. RESP. Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo & inuentus est iustus. VERS. Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem excelsi. *Eccl.44.* ALL. Inueni Dauid. OFF. Inueni Dauid seruum meum, & in oleo meo sancto vnxi eum *Psal. 88.* manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit. VERS. I. Potens es Domine, & veritas tua in circuitu tuo. VERS. II. Veritas mea & misericordia mea cum ipso, & in nomine meo exaltabitur cornu eius. COM. Beatus seruus, quem cum venerit Dominus inuenerit vigilantem: amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum. PSAL. vt supra. *Ibidem. Matth. 24.*

DE SANCTA MARIA IN OCTAVA DOMINI.

ANTIPH. Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis: adducentur regi virgines post eam: proximæ eius adducentur tibi in lætitia & exultatione. PSAL. Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. RESP. Diffusa est gratia in labijs tuis, propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. VERS. Propter veritatem & mansuetudinem & iustitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua. ALL. Post partum virgo. OFF. Offerentur regi virgines. PSAL. Eructauit cor meum. VERS. Diffusa est gratia. COM. Simile est regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas: inuenta vna pretiosa margarita, dedit omnia sua, & comparauit eam. PSAL. Eructauit, vt supra. *Microl.c.39.*

DOMINICA POST NATALE DOMINI.

ANTIPH. Dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus, Domine, de cælis a regalibus sedibus venit. PSAL. Dominus regnauit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se virtute. RESP. Speciosus forma præ filijs hominum: diffusa est gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. VERS. Eructauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi: lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. ALL. Dominus regnauit decorem. OFF. Deus enim firmauit orbem terræ. COM. Tolle puerum & matrem eius, & vade in terram Iuda: defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. PSAL. vt supra. *Microl.c.37.*

VIGILIA EPIPHANIÆ.

ANTIPH. Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. PSAL. Quare fremuerunt gentes. RESP. Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum, ex vtero ante luciferum genui te. VERS. Dixit Dominus Domino

meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. A
Psal. 95. Off. Lætentur cæli, & exultet terra, ante faciem Domini, quoniam venit. Com. In
Psal. 109. splendoribus sanctorum ex vtero ante luciferum genui te.

EPIPHANIA DOMINI.

IN DIE SANCTO AD MISSAM.

Mala. 3. Antiph. Ecce aduenit dominator Dominus, & regnum in manu eius, & potestas,
Psal. 71. & imperium. Psal. Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis.
Isa. 10. Resp. Omnes de Saba venient, aurum, & thus deferentes, & laudem Domino adnunciantes. Vers. Surge, & illuminare Hierusalem, quia gloria Domini super te orta est.
Matth. 2. All. Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus cum muneribus adorare Dominum.
Off. Reges Tharsis, & insulæ munera offerent, reges Arabum, & Saba dona adducent: B
Psal. 7. & adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei. Vers. I. Deus, iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis: iudicare populum tuum in iustitia, & pauperes tuos in iudicio. Vers. II. Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec extollatur luna: & dominabitur a mari vsque ad mare. Vers. Suscipiant mon-
Matth. 2. tes pacem populo tuo, & colles iustitiam. Com. Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus cum muneribus adorare Dominum. Psal. Deus iudicium tuum regi da, vt supra.

DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.

Antiph. In excelso throno vidi sedere virum, quem adorat multitudo angelorum
Psal. 65. psallentium in vnum, ecce cuius imperij nomen est in æternum. Psal. Iubilate Deo C
omnis terra, psalmum dicite nomini eius, date gloriam laudi eius. Resp. Benedictus Dominus Deus Israel, quia fecit mirabilia magna solus a sæculo. Vers. Suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam. All. Iubilate Deo omnis terra, seruite Domino in lætitia. Off. Iubilate Deo omnis terra, Iubilate Deo omnis terra, seruite Domino in lætitia. Intrate in conspectu eius in exultatione, quia Dominus ipse est Deus. Vers. I. Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Vers. II. Laudate nomen eius, quoniam suauis est Dominus. Com. Fili, quid fecisti nobis sic? ego & pater tuus dolentes quærebamus te. Et quid est quòd me quærebatis? an nesciebatis, quia in his quæ patris mei sunt,
Psal. 65. oportet me esse? Psal. Iubilare Deo omnis terra, psalmum dicite nomini eius, date gloriam laudi eius. vt supra.

D

[OCTAVA EPIPHANIÆ VT IN DIE.]

NAT. S. FELICIS IN PINCIS.

Psal. 36. Antiph. Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium: lex Dei eius in corde ipsius. Psal. Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes
Psal. 109. iniquitatem. Resp. Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Vers. Dixit Dominus Domino meo, sede a
Psal. 36. dextris meis. All. Iustus non conturbabitur. Off. Gloria & honore coronasti eum,
Psal. 8. & constituisti eum super opera manuum tuarum Domine. Com. Posuisti Domine in
Psal. 20. capite eius coronam de lapide pretioso. Psal. xx.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

E

Psal. 65. Antiph. Omnis terra adoret te, Deus, & psallat tibi: psalmum dicat nomini tuo, altissime. Psal. Iubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini eius, date gloriam
Psal 106. laudi eius. Resp. Misit Dominus verbum suum, & sanauit eos, & eripuit eos de interi-
Psal. 148. tu eorum. Vers. Confiteantur Domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filijs ho-
Psal. 65. minum. All. Laudate Dominum omnes angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius. Off. Iubilate Deo vniuersa terra, iubilate Deo vniuersa terra, psalmum dicite nomini eius: venite, & audite, & narrabo vobis omnes qui timetis Deum, quanta fecit Dominus animæ meæ. Vers. I. Reddam tibi vota mea, reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea. Vers. II. Locutum est os meũ in tribulatione mea, locutum est os meum intri-
Ioan. 2. bulatione mea, holocausta medullata offerã tibi. Com. Dicit Dominus: Implete hydrias aqua, & ferte Architriclino: cũ gustasset architriclinus aquam vinum factum, dixit sponso.

Setuasti

A Seruasti vinum bonum vsque adhuc. Hoc signum fecit Iesus primum coram discipulis suis. PSAL. vt supra. *Psal. 65.*

NAT. S. MARCELLI.

ANTIPH. Statuit ei Dominus testamentum pacis, & principem fecit eum, vt sit illi sacerdotij dignitas in æternum. PSAL. Misericordias Domini in æternum cantabo. RESP. Inueni Dauid seruum meum, &. VERS. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei. ALL. Inueni Dauid seruum meum. OFF. Veritas mea, & misericordia mea cum ipso, & in nomine meo exaltabitur cornu eius. VERS. I. Posui adiutorium meum supra potentem, & exaltaui electum de plebe mea: manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum. VERS. II. Misericordia mea.
B COM. Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque super lucratus sum. *Matth. 25.* Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, dicit Dominus. PSAL. Misericordias Domini, vt supra.

NAT. SANCTÆ PRISCÆ.

ANTIPH. Loquebar de testimonijs tuis in conspectu regum, & non confundebar, & meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi nimis. PSAL. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. RESP. Specie tua, & pulchritudine tua intende, prospere procede & regna. VERS. Proprerea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. ALL. Diffusa est gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. OFF. Filiæ regum in honore tuo. VERS. I. Eructauit cor meum verbum bonum. VERS. II. Specie *Psal. 118.*
C tua. COM. Feci iudicium & iustitiam. PSAL. vt supra. *Psal. 118.* *Psal. 44.*

NAT. SANCTORVM MARTYRVM FABIANI ET SEBASTIANI.

ANTIPH. Intret in conspectu tuo, Domine, gemitus compeditorum: redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum: vindica sanguinem seruorum tuorum qui effusus est, PSAL. Deus, venerunt gentes in hereditatem tuam: polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam. RESP. Gloriosus Deus in sanctis suis, mirabilis in maiestate sua. VERS. Dextera tua Domine magnificata est in virtute, dextera manus tua confregit inimicum. ALL. Sancti tui Domine. OFF. Lætamini in Domino, & exultate. VERS. I. Beati quorum. VERS. II. Pro hac orabit ad te omnis sanctus
D in tempore oportuno. COM. Multitudo languentium, & qui vexabantur a spiritibus immundis, veniebant ad eum, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes. PSAL. Deus venerunt gentes. *Psal. 78.* *Esdr. 15.* *Psal. 117.* *Psal. 144.* *Psal. 31.* *Luc. 6.* *Psal. 78.*

NATAL. SANCTÆ AGNETIS.

ANTIPH. Me expectauerunt peccatores, vt perderent me: testimonia tua, Domine, intellexi: omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis. PSAL. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. RESP. Diffusa est gratia in labijs tuis. VERS. Propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. ALL. Specie tua, & pulchritudine tua, propterea benedixit te Deus in æternum. OFF. Offerentur regi virgines: post eam proximæ eius offerentur tibi. COM. Quinque prudentes virgines. *Psal. 118.* *Psal. 44.* *Matth. 25.*
E PSAL. vt supra. *Psal. 118.*

DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIAM.

ANTIPH. Adorate Deum omnes angeli eius: audiuit, & lætata est Sion, & exultauerunt filiæ Iudæ. PSAL. Dominus regnauit, exultet terra, lætentur insulæ multæ. RESP. Timebunt gentes nomen tuum Domine, & omnes reges terræ gloriam tuam. VERS. Quoniam ædificauit Dominus Sion, & videbitur in maiestate sua. ALL. Exultate Deo adiutori nostro, iubilate Deo Iacob, canite Psal. cum cithara. OFF. Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me: non moriar, sed viuam, & narrabo opera Domini. VERS. I. In tribulatione inuocaui Dominum, & exaudiuit me in latitudine, quia Dominus adiutor meus est. VERS. II. Impulsus versatus sum vt caderem, & Dominus suscepit me, & factus est mihi in salutem. COM. Mirabantur omnes de his quæ procedebant *Luc. 4.* de ore Dei. PSAL. Dominus regnauit, exultet terra.

NATAL.

NATAL. SANCTI VINCENTII.

A

Psal. 63. ANTIPH. Lætabitur iustus in Domino, & sperauit in eo, & laudabuntur omnes recti corde. PSAL. Exaudi Deus orationem meam cum deprecor, a timore inimici, eripe
Psal. 20. animam meam. RESP. Posuisti Domine in capite eius coronam de lapide pretioso.
VERS. Desiderium animæ eius tribuisti ei, & voluntate labiorum eius non fraudasti
Psal. 111. eum. ALL. Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius cupit nimis. OFF. Glo-
Psal. 55. ria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum Domine.
Matth. 16. VERS. Domine Dominus noster. COM. Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur. PSAL. Exaudi Deus.

SANCTÆ AGNÆ SECVNDO.

B

Psal. 44. ANTIPH. Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis. PSAL. Eructauit cor meum verbum bonum. RESP. Specie tua. VERS. Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. ALL. Diffusa est gratia in labijs tuis, propterea
Matth. 13. f benedixit te Deus in æternum. OFF. Diffusa est gratia. COM. Simile est regnum cælorum. PSAL. vt supra.

PVRIFICATIO SANCTÆ MARIÆ AD PROCESSIONEM.

ANTIPH. χαῖρε κεχαριτωμένη. Aue gratia plena. θεοτόκε παρθένε Dei genitrix virgo. ἐκ σοῦ γὰρ ἀνέτειλεν, ex te enim ortus est ὁ ἥλιος τῆς δικαιοσύνης sol iustitiæ. φωτίζων τοὺς C
ἐν σκότει, illuminans qui in tenebris sunt. εὐφραίνου καὶ σὺ, lætare & tu πρεσβῦτα δίκαια, senior iuste, δεχόμενη ἐν ὠλέναις suscipiens in vlnis τὸν ἐλευθερώτην liberatorem τῶν ψυχῶν ἡμῶν, animarum nostrarum χαριζόμενον ἡμῖν, donantem nobis, καὶ τὴν ἀνάστασιν, & resurrectionem. VERS. κατακόσμησον τὸν θάλαμόν σου σιών, Adorna thalamum tuum Sion. καὶ ὑποδέξαι τὸν βασιλέα χριστὸν, & suscipe regem Christum. ἀσπάζου τὴν μαρίαν, amplectere Mariam, τὴν οὐράνιον αὐλὴν, quæ est cælestis porta. αὐτὴ γὰρ βαστάζει τὸν βασιλέα τῆς δόξης· ipsa enim portat regem gloriæ. νοφοῦτο φωτὸς ὑπάρχει παρθένος, noui luminis subsistit virgo. φέρουσα ἐν χερσὶν υἱὸν πρὸ ἑωσφόρου. adducens in manibus filium ante luciferum. ὃν λαὸν Συμεὼν ἐν ὠλέναις αὐτοῦ quem accipiens Simeon in vlnis suis. ἐκήρυξεν τοῖς λαοῖς prædicauit populis, δεσπότην αὐτὸν εἶναι Dominum eum esse ζωῆς καὶ θανάτου, vitæ & mortis, καὶ σωτῆρα τοῦ κόσμου, & saluatorem mundi. VERS. Responsum accepit Simeon a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. D

Microl. c. 48.

AD INTROITVM.

Luc. 2. ANTIPH. Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui: secundum no-
Psal. 47. men tuum Deus, ita & laus tua in fines terræ: iustitia plena est dextera tua. PSAL. Magnus Dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius. RESP. Suscepi-
Ibidem. mus Deus misericordiam tuam. VERS. Sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate Domini
Psal. 137. virtutum, in ciuitate Dei nostri, Deus fundauit eam in æternum. ALL. Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo in timore tuo. Adducentur regi. Si post se-
Psal. 44. ptuagesimam euenerit. TRAC. sequens dicetur. Diffusa est gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Specie rua, & pulchritudine tua intende prospere, procede & regna. Propter veritatem & mansuetudinem & iustitiam, & deducet te mirabiliter dex- E
tera tua. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum parris tui. Et concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum. Adducentur regi virgines post eam, proximæ eius adferentur tibi. Adducentur in lætitia & exultatione, adducentur in remplum regi Domi-
Ibidem. no. OFF. Diffusa est gratia. VERS. I. Eructauit cor meum verbum bonum. VERS. II. Spe-
Luc. 2. c cie tua & pulchritudine. COM. Responsum accepit Simeon a spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini. PSAL. vt supra.

NATAL. S. AGATHÆ.

ANTIPH. Gaudeamus omnes in Domino, diem festum celebrãtes in honore Agathæ martyris:

martyris: de cuius passione gaudent angeli, & conlaudant filium Dei. PSAL. Eructauit cor meum. RESP. Adiuuabit eum Deus vultu suo: Deus in medio eius: non conmouebitur. VERS. Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei, sanctificauit tabernaculum suum altissimus. TRACTVS. Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent. Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. OFF. Offerentur regi virgines post eam. COM. Qui me dignatus est ab omni plaga curare, & mammillam meam meo corpori restituere, ipsum inuoco Dominum viuum. PSAL. vt supra.] *Psal. 44. Psal. 125. Psal. 44.*

NATAL. SANCTI VALENTINI.

ANTIPH. In virtute tua Domine lætabitur iustus. PSAL. Vitam petijt. *Psal. 20.*
RESP. Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius cupit nimis. VERS. Potens in terra erit semen eius, generatio rectorum benedicetur. TRACTVS. Desiderium animæ eius tribuisti ei, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum, &c. OFF. In virtute tua Domine lætabitur iustus. COM. Magna est gloria eius. PSAL. XX. *Psal. 111. Psal. 20. Ibidem.*

CATHEDRA S. PETRI.

ANTIPH. Statuit ei Dominus. PSAL. Misericordias Domini. RESP. Iurauit. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. VERS. Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam, & tibi dabo claues regni cælorum. VER. Et quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum, & in cælis. VERS. Et quodcumque solueris super terram, erit solutum, & in cælis. OFF. Veritas mea. COM. Tu es Petrus. PSAL. qui supra. *Eccli. 45. Psal. 88. Psal. 109. Matth. 16. Psal. 88. Matth. 16.*

ADNVNCIATIO S. MARIÆ.

ANTIPH. Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis. PSAL. Eructauit. *Psal. 44.*
RESP. Diffusa est gratia. VERS. Propterea. OFF. Aue Maria gratia plena. VERS. I. Quomodo in me fiet hoc? VERS. II. Ideo quòd nascetur ex te. COM. Ecce virgo concipiet. PSAL. vt supra. *Luc. 1. Isai. 7;*

DOMINICA IN SEPTVAGESIMA.

ANTIPH. Circumdederunt me gemitus mortis: dolores inferni circũdederunt me, & in tribulatione mea inuocaui Dominum, & exaudiuit de templo sancto suo vocem meam. PSAL. Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum. RESP. Adiutor in oportunitatibus, in tribulatione: sperent in te, qui nouerunt te, quoniam non derelinques quærentes te Domine. VERS. Quoniam non in finem obliuio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in æternum. Exurge Domine, non præualeat homo. TRACTVS. De profundis clamaui ad te Domine, Domine, exaudi vocem meam. VERS. Fiant aures tuæ intendentes in orationem serui tui. VERS. Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine, quis sustinebit? VERS. Quia apud te propitiatio est, & propter legem tuam sustinui te Domine. OFF. Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo altissime. VERS. I. Quàm magnificata sunt opera tua Domine? nimis profundæ cogitationes tuæ. VERS. II. Ecce inimici tui Domine peribunt, & dispergentur omnes qui operantur iniquitatem. VERS. III. Exaltabitur sicut vnicornis cornu meum, & senectus mea in misericordia vberi, quia respexit oculus meus inimicos meos, & insurgentes in me malignantes audiuit auris tua. COM. Illumina faciem tuam super seruum tuum: & saluum me fac in tua misericordia Domine: non confundar, quoniam inuocaui te. PSAL. In te Domine speraui. *Psal. 17. Ibidem. Psal. 9. Ibidem. Psal. 129. Ibidem. Psal. 91. Ibidem. Psal. 118. Psal. 30.*

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

ANTIPH. Exurge, quare obdormis Domine? exurge & ne repellas in finẽ: quare faciem tuam auertis? obliuiscris tribulationis nostræ. Adhæsit in tetra venter noster, exurge Domine, adiuua nos, & libera nos. PSAL. Deus, auribus nostris audiuimus: patres nostri annunciauerunt nobis. RESP. Sciant gentes quoniam nomen tibi Deus, tu solus altissimus super omnem terram. VERS. Deus meus, pone illos vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti. TRACTVS. Commouisti Domine terram, & conturbasti eam: *Psal. 43. Psal. 82. Psal. 59.*

Psal. 16. eam: Sana contritiones eius, quia mota est. VERS. Vt faciant a facie arcus, vt liberentur electi tui. OFF. Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea: inclina aurem tuam, & exaudi verba mea. Mirifica misericordias tuas, qui saluos facis sperantes in te Domine. VERS. I. Exaudi Domine iustitiam meam: intende deprecationem meam: auribus percipe orationem meam. VERS. II. Custodi me Domine vt pupillam oculi: sub vmbra alarum tuarum protege me: eripe me Domine ab impio. VERS. III. Ego autem cum iustitia apparebo in conspectu tuo: satiabor, dum manifestabitur gloria tua. COM. Introibo ad altare Dei. Ad Deum qui lætificat iuuentutem meam. PSAL. Iudica me Deus. A

DOMINICA IN QVINQVAGESIMA.

Psal. 30. ANTIPH. Esto mihi in Deum protectorem, & in locum refugij, vt saluum me facias. Quoniam firmamentum meum, & refugium meum es tu: & propter nomen tuum dux mihi eris, & enutries me. PSAL. In te Domine speraui, non confundar in æternum, in iustititia tua libera me, & eripe me. RESP. Tu es Deus qui facis mirabilia, solus notam fecisti in gentibus virtutem tuam. VERS. Liberasti in brachio tuo populum tuum, Psal. 76. filios Israel, & Ioseph. TRACTVS. Iubilate Domino omnis terra, seruite Domino in Psal. 99. lætitia. VERS. Intrate in conspectu eius in exultatione. VERS. Scitote quòd Dominus ipse est Deus. VERS. Ipse fecit nos, & non ipsi nos. VERS. Nos autem populus Psal. 18. eius. OFF. Benedictus es Domine, doce me iustificationes tuas. Benedictus es Domine, doce me iustificationes tuas, in labijs meis pronunciaui omnia iudicia oris tui. VERS. I. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum. Aufer a plebe tua opprobrium, & contemptum, quia mandata tua non sumus obliti Domine. VERS. II. In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitijs. VERS. III. Viam iniquitatis Domine amoue a me: viã iniquitatis, Domine amoue à me, & de lege tua miserere mei. Viã veritatis elegi: iudicia tua, iustitiam tuam non sum oblitus. Viam mandatorum tuorum Psal. 77. cucurri, dum dilatares cor meum. COM. Manducauerunt, & saturati sunt nimis: & desiderium eorum attulit eis Dominus, non sunt fraudati a desiderio suo. PSAL. Attendite populus meus legem meam. B C

CAPVT IEIVNII.

AD BENEDICTIONEM CINERVM.

ANTIPH. Exaudi nos Domine, quoniam benigna est misericordia tua: secundum Psal. 68. multitudinem miserationum tuarum respice nos. PSAL. Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. ANTIPH. Immutemur habitu in cinere, & cilicio, ieiunemus, & ploremus ante Dominum, quia multum misericors est Ioel. 2. dimittere peccata nostra Deus noster. ANTIPH. Iuxta vestibulum, & altare plorabant sacerdotes, & Leuitæ ministri Domini, dicentes: Parce Domine, parce populo tuo: & ne dissipes ora clamantium ad te Domine. D

AD MISSAM.

ANTIPH. Misereris omnium Domine, & nihil odisti eorum quæ fecisti, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam: & parcens illis, quia tu es Dominus Deus Psal. 56. noster. PSAL. Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea. RESP. Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea. VERS. Misit de cælo, & liberauit me: dedit in opprobrium conculcantes me. TRACTVS. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis. VERS. Domine, ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum: cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis. VERS. Adiuua nos Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui Domine, libera nos, & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum. OFF. Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos: super me, Domine, clamaui ad te, & sanasti me. Psal. 29. VERS. I. Domine, abstraxisti ab inferis animam meam: saluasti me a descendentibus in lacum. VERS. II. Ego autem dixi in mea abundantia, non mouebor in æternum. Psal. 1. Domine, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem. COM. Qui meditabitur in lege Domini die ac nocte, dabit fructum suum in tempore suo. PSAL. Beatus vir. E

FERIA

A

FERIA QVINTA.

ANTIPH. Dum clamarem ad Dominum, exaudiuit vocem meam ab his qui appropinquant mihi, & humiliabit eos, qui est ante sæcula, & manet in æternum. iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet. PSAL. Exaudi Deus orationem meam, & ne despexeris deprecationem meam. RESP. Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet. VERS. Dum clamarem ad Dominum, exaudiuit vocem meam, ab his qui appropinquant mihi. OFF. Ad te Domine leuaui animam meam: Deus meus, in te confido, non erubescam. VERS. I. Dirige me in veritate tua, & doce me, quia tu es Deus saluator meus, & te sustinui tota die. VERS. II. Respice in me, & miserere mihi, quia vnicus & pauper sum ego. COM. Acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes & holo- *Microl. r. 50.* *Psal. 50.*
B causta super altare tuum vitulos. PSAL. 50.

FERIA SEXTA.

ANTIPH. Audiuit, & misertus est mihi Dominus: factus est adiutor meus. PSAL. Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me. *Psal. 29.*
RESP. Vnam petij a Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini. VERS. Vt videam voluntatem Domini, & protegar a templo sancto eius. OFF. Domine, viuifica me secundum eloquium tuum, vt sciam testimonia tua. VERS. I. Fac cum seruo tuo Domine, secundum magnam misericordiam tuam, & ne auferas de ore meo verbum veritatis. VERS. II. Seruus tuus sum ego, da mihi intellectum Domine, vt discam mandata tua, & voluntaria oris mei fac mihi in beneplacito. COM. Seruite Domino *Psal. 26.* *Psal. 118.* *Psal. 2.*
C in timore, & exultate ei cum tremore, adprehendite disciplinam, ne pereatis de via iusta. PSAL. II.

DOM. I. QVADRAGESIMÆ, STATIO AD LATERANVM.

ANTIPH. Inuocauit me, & ego exaudiam eum: eripiam eum, & glorificabo eum; longitudine dierum adimplebo eum. PSAL. Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur. RESP. Tenuisti manum dexteram meam, in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria assumpsisti me. VERS. Quam bonus Israel Deus rectis corde. mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei. quia zelaui in peccatoribus, pacem peccatorum vidēs. TRACTVS. Qui habitat in adiutorio altis- *Psal. 90.*
D simi in protectione Dei cæli commorabitur. VERS. Dicet Domino, susceptor meus es tu, & refugium meum Deus meus: sperabo in eum. VERS. Quoniam ipse liberabit me de laqueo venantium, & a verbo aspero. VERS. Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis. VERS. Scuto circumdabit te veritas eius: non timebis a timore nocturno. VERS. A sagitta volante per diem, a negotio perambulante in tenebris, a ruina & dæmonio meridiano. VERS. Cadent a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis: tibi autem non appropinquabit. VERS. Quoniam angelus suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. VERS. In manibus portabunt te, ne vmquam offendas ad lapidem pedem tuum. VERS. Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. VERS. Quoniam in me sperauit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognouit nomen meum. Inuocauit me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum
E in tribulatione. VERS. Eripiam eum, & glorificabo eum. VERS. Longitudine dierum adimplebo eum, & ostendam illi salutare meum. OFF. Scapulis suis obumbrabit tibi Dominus, & sub pennis eius sperabis. Scuto circumdabit te veritas eius. VERS. I. Dicet Domino susceptor meus es. non timebis a timore nocturno, a sagitta volante per diem. VERS. II. Quoniam angelis suis mandauit de te, vt custodiant te ne vmquam offendas ad lapidem pedem tuum. VERS. III. Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. quoniam in me sperauit, liberabo eum. COM. Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis. scuto circumdabit te veritas eius. PRAL. vt supra. *Ibidem.* *Ibidem.*

FERIA SECVNDA.

ANTIPH. Sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum *Psal. 122.*

Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri: miſerere nobis Domine miſerere A
Pſal. 89. nobis. PSAL. Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis. RESP. Protector noſter
Pſal. 118. adſpice Deus, & reſpice ſuper ſeruos tuos. VERS. Domine Deus virtutum, exaudi preces ſeruorum tuorum. OFF. Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia tua Domine, vt doceas me iuſtitiam tuam, da mihi intellectum, vt diſcam mandata tua. VERS. I. Legem pone mihi Domine, & viam iuſtificationum exquitam, & in præceptis tuis exercebor. VERS. II. Veniant ſuper me miſerationes tuæ, quia lex tua meditatio mea eſt: &
Pſal. 3. conſolatio mea, iuſtificationes tuæ ſunt. COM. Voce mea ad Dominum clamaui, & exaudiuit me de monte ſancto ſuo. non timebo millia populi circumdantis me. PSAL. 3.

FERIA TERTIA.

Pſal. 89. ANTIPH. Domine, refugium factus es nobis, a generatione & progenie, a ſæculo & in ſæculum tu es. PSAL. Priuſquam montes fierent aut formaretur terra, a ſæculo & B
Pſal. 149. vſque in ſæculum tu es Deus. RESP. Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu
Pſal. 30. tuo Domine. VERS. Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum. OFF. In te ſperaui Domine: Dixi, Tu es Deus meus: in manibus tuis tempora mea. VERS. I. Illumina faciem tuam ſuper ſeruum tuum, & ſaluum me fac propter miſericordiam tuam. Domine, non confundar, quoniam inuocaui te. VERS. II. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te: perfeciſti autem ſperantibus in
Pſal. 4. te, in conſpectu filiorum hominum. COM. Cum inuocarem te, exaudiſti me Deus iuſtitiæ meæ: in tribulatione dilataſti me. miſerere mihi Domine, exaudi orationem meam. PSAL. Miſerere mei Domine.

FERIA QVARTA.

ANTIPH. Reminiſcere miſerationum tuarum, Domine, & miſericordiæ tuæ quæ C
a ſæculo ſunt: ne vmquam dominentur nobis inimici noſtri: libera nos Deus Iſrael ex omnibus anguſtijs noſtris. PSAL. Ad te, Domine, leuaui animam meam, Deus meus, in te confido, non erubeſcam. RESP. Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt: de neceſſitatibus meis eripe me Domine. VERS. Vide humilitatem meam & laborem meum: & dimitte omnia peccata mea. TRACTVS. De neceſſitatibus meis eripe me Domine. Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea. VERS. Ad te, Domine, leuaui animam meam: Deus meus, in te confido, non erubeſcam: neque irrideant me inimici mei. VERS. Etenim vniuerſi qui te expectant, non confundentur:
Pſal. 118. confundantur omnes facientes vana. OFF. Meditabor in mandatis tuis quæ dilexi valde, & leuabo manus meas ad mandata tua quæ dilexi. VERS. I. Pars mea Domine: dixi cuſtodire legem tuam. Precatus ſum vultum ruum in toto corde meo. VERS. II. De- D
precatus ſum faciem tuam. Miſerere mei ſecundum eloquium tuum: quia cogitaui vias
Pſal. 5. tuas, & conuerti pedes meos in teſtimonia tua. COM. Intellige clamorem meum: intende voci orationis meæ, rex meus & Deus meus, quoniam ad te orabo Domine. PSAL. Verba mea.

FERIA QVINTA.

[ANTIPH. Confeſſio & pulchritudo in conſpectu eius. ſanctitas & magnificentia
Pſal. 97. in ſanctificatione eius. PSAL. Cantate Domino canticum nouum, cantate Domino
Pſal. 16. omnis terra. RESP. Cuſtodi me Domine vt pupillam oculi. ſub vmbra alarum tuarum protege me. VERS. De vultu tuo iudicium meum prodeat: oculi tui videant æquitatem. OFF. Emittet angelum Dominus in circuitu timentium eum, & eripiet eos. gu-
Pſal. 33. ſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus. VERS. I. Benedicam Domino in omni tem- E
pore, ſemper laus eius in ore meo. VERS. II. In Domino laudabitur anima mea: audiant manſueti, & lætentur. magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in inuicem. VERS. III. Accedite ad eum, & illuminamini: & vultus veſtri non erubeſcant: iſte pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum, & ex omnibus tribulationibus
Ioan. 6. eius liberauit eum. COM. Panis quem ego dedero, caro mea eſt, pro ſæculi vita. PSAL. vt ſupra.]

FERIA SEXTA.

Pſal. 24. ANTIPH. De neceſſitatibus meis eripe me Domine vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea. PSAL. Ad te Domine, leuaui animam
Pſal. 6. meam: Deus meus, in te confido, non erubeſcam. RESP. Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum, ſana me Domine. VERS. Conturbata ſunt omnia oſſa mea, & anima

mea

A ma mea turbata est valde. Off. Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius, & renouabitur ſicut aquilæ iuuentus tua. Vers. 1. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, & redimet de interitu vitam tuam, qui coronat te in miſeratione & miſericordia. Vers. 11. Miſerator & miſericors Dominus, patiens & multum miſericors. Com. Erubeſcant & conturbentur omnes inimici mei: auertantur retrorſum, & erubeſcant valde velociter. Psal. *Psal. 102.* *Psal. 6.*

SABBATO IN XII. LECT.

Antipit. Intret oratio mea in conſpectu tuo: inclina aurem tuã ad precẽ meã Domine. Psal. Domine Deus ſalutis meæ, in die clamaui & nocte corã te. Resp. 1. Protector noſter adſpice Deus, & reſpice ſuper ſeruos tuos. Vers. Domine Deus virtutũ, exaudi preces ſeruorum tuorum. Resp. 11. Propitius eſto. Vers. Adiuua. Resp. 111. Dirigatur. Vers. Eleuatio. *Psal. 78.*

B Resp. 1111. Saluum fac populum. Vers. v. Ad te Domine clamaui. Hym. Benedictus es Domine Deus patrum noſtrorũ, & laudab. ſiue, Benedictus es in firmamẽto cæli. Vers. Benedicite omnia opera Domini Domino, benedicite cæli Domino, benedicite angeli Domini Domino. Vers. Benedicite aquæ quæ ſuper cælos ſunt Domino, benedicite omnes virtutes Domini Domino, benedicite Sol, & Luna Domino. Vers. Benedicite ſtellæ cæli Domino, benedicite imber, & ros Domino, benedicite omnis ſpiritus Domino. Vers. Benedicite ignis & aſtus Domino, benedicite noctes & dies Domino, benedicite tenebræ & lumen Domino. Vers. Ben. frigus & cauma Domino, ben. pruina & niues Domino, ben. fulgura & nubes Domino. Vers. Benedicat terra Domino, ben. montes & colles Domino, ben. omnia naſcentia terræ Domino. Vers. Ben. maria & flumina Domino, ben. fontes Domino, ben. cete & omnia quæ mouentur in aquis, Domino. Vers. Ben. volucres cæ- *Psal. 140.* *Psal. 27.* *Dan. 3.*

C li Domino. ben beſtiæ & vniuerſa pecora Domino: ben. filij hominũ Domino. Vers. Benedicat Iſrael Dominum, ben. ſacerdotes Domini Domino. Vers. Ben. ſpiritus & animæ iuſtorum Domino, ben. ſancti & humiles corde Domino. Vers. Ben. Ananias, Azarias, Miſael Domino. Vers. Hymnum dicentes. Tract. Laudate Dominum omnes gentes, & conlaudate eum omnes populi. Vers. Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius, & veritas Domini manet in æternum. Off. Domine Deus ſalutis meæ, in die clamaui & nocte coram te. Intret oratio mea in conſpectu tuo Domine. Vers. 1. Inclina aurẽ tuã ad precem meam Domine, longe feciſti notos meos a me: clamaui ad te Domine, tota die expãdi manus meas ad te. Vers 11. Et ego ad te Domine clamaui, & mane oratio mea præueniet te. Egens ſum ego in laboribus a iuuẽtute mea. Vers. 111. Factus ſum ſicut homo ſine adiutorio inter mortuos liber, traditus ſum, & non egrediebar. Com. Domine Deus *1. Macha. 4.* *Psal. 87.* *Psal. 7.*

D meus, in te ſperaui: libera me ab omnibus perſequentibus me, & eripe me. Psal. ipſe.

DOMINICA VACAT.

[DOMINICA II. QVADRAG.

Antiph. Reminiſcere miſerationum tuarum Domine. Psal. Ad te Domine leuaui. Tract. De neceſſitatibus meis. Vers. Ad te Domine. Vers. Etenim. Tract. Dixit Dominus mulieri Cananææ, non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus ad manducandum. Vers. At illa dixit: Vtique Domine. nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum. Vers. Ait illi Ieſus: O mulier, magna eſt fides tua. fiat tibi ſicut petiſti. Off. Meditabor. Com. Intellige clamorem.] *Psal. 24.* *Matth. 15.* *Psal. 118.*

FERIA II.

Antiph. Redime me Domine, & miſerere mei. pes enim meus ſtetit in via recta, in Ec- *Psal. 25.*

E cleſijs benedicam Domino. Psal. Iudica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingreſſus ſum: & in Domino ſperans, non infirmabor. Resp. Adiutor meus & liberator meus eſto Domine: ne tardaueris. Vers Confundantur & reuereantur inimici mei, qui quærunt animam meam. Off. Benedicam Domino qui mihi tribuit intellectum. prouidebã Deum in conſpectu meo ſemper, quoniam a dextris eſt mihi, ne commouear. Vers. Conſerua me Domine, quoniã in te ſperaui. Ego dixi, Deus meus es tu: Dominus pars hereditatis meæ. Vers. Notas feciſti mihi vias vitæ. adimplebis me lætitia cum vultu tuo, & delectationes in dextera tua vſque in finem. Com. Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra. Psal. ipſe. *Psal. 69.* *Psal. 15.* *Psal. 18.*

FERIA III.

Antiph. Tibi dixit cor meum, quæſiui vultum tuum: vultum tuũ Domine requirã: ne auertas faciem tuam a me. Psal. Dominus illuminatio mea & ſalus mea, quẽ timebo? *Psal. 26.* *Psal. 50.*

RESP. Iacta cogitatum. OFF. Miserere mihi Domine secundum magnam misericordiam A
tuam: dele Domine iniquitatem meam. VERS. I. Quoniam iniquitatē meam ego agnosco,
& delictum meum coram me est semper. VERS. II. Tibi soli peccaui, & malum coram te
Psal. 50. feci: miserere mei, vt iustificeris Domine in sermonibus tuis. COM. Narrabo omnia mirabi-
lia tua, lætabor & exultabo in te, psallam nomini tuo altissime. PSAL. Confitebor tibi Dñe.

FERIA IIII.

Psal. 37. ANTIPH. Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discedas a me: intēde in adiutoriū
meum Domine, virtus salutis meæ. PSAL. Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in
Psal. 27. ira tua corripias me. RESP. Saluum fac populū tuum domine, & benedic hereditati tuæ.
VERS. Ad te Domine, clamaui: Deus meus, ne sileas a me: & ero similis descendentibus in
Psal. 24. lacum. OFF. Ad te Domine leuaui. COM. Iustus Dominus, & iustitias dilexit: æquitatē vidit
Psal. 10. vultus eius. PSAL. X. FERIA V. B

Psal. 69. ANTIPH. Deus in adiutorium meum intende: Domine, ad adiuuandum me festina.
Confundantur & reuereantur inimici mei, qui quærunt animam meam. PSAL. Auer-
Psal. 78. tantur retrorsum & reuereantur, qui volunt mihi mala. RESP. Propitius esto Domine
peccatis nostris, ne quando dicant gentes, vbi est Deus eorum? VERS. Adiuua nos Deus
salutaris noster, & propter honorem nominis tui, Domine, libera nos. OFF. Precatus
Exo. 32. est Moyses in conspectu Domini Dei sui, & dixit: Precatus est Moyses in conspectu Do-
Deut. 9. mini Dei sui, & dixit: Quare, Domine, irasceris in populo tuo? parce iræ animi tui. Me-
mento Abraam, Isaac, & Iacob, quibus iurasti dare terram fluentem lac & mel, & pla-
catus factus est Dominus de malignitate, quam dixit facere populo suo. VERS. Dixit
Dominus ad Moysen: Inuenisti gratiam in conspectu meo, & scio te præ omnibus. & fe- C
stinans Moyses, inclinauit se in terram, & adorauit, dicens: Scio quia misericors es in mil-
libus, auferens iniquitatem & peccata. VERS. Dixit Moyses & Aaron, dixit Moyses &
Aaron ad omnem synagogam filiorum Israel: Accedite ante Deum. Maiestas Domini
apparuit in nube, & exaudiuit murmurationem vestram in tempore. COM. Qui man-
Ioan. 6. ducat carnem meam, & bibit sanguinem meum: in me manet, & ego in eo, dicit Domi-
nus. PSAL. Deus in adiutorium meum intende.]

FERIA SEXTA.

Psal. 16. ANTIPH. Ego autem cum iustitia apparebo in conspectu tuo: satiabor, dum mani-
Psal. 119. festabitur gloria tua. PSAL. Exaudi Domine iustitiam meam: intende ad deprecatio-
nem meam. RESP. Ad Dominum cum tribularer, clamaui: & exaudiuit me. VERS. Do-
mine libera animam meam a labijs iniquis, & a lingua dolosa. OFF. Domine, in auxiliū
Psal. 39. meum respice: confundantur & reuereantur, qui quærunt animam meam, vt auferant D
eam. VERS. I. Auertantur retrorsum & erubescāt, qui cogitant mihi mala. VERS. II. Expe-
Psal. 11. ctans expectaui Dominum, & respexit me, & exaudiuit deprecationem meam. COM. Tu
Domine seruabis nos, & custodies nos a generatione hac in æternum. PSAL.

IN SABBATO.

Psal. 18. ANTIPH. Lex Domini inreprehensibilis, conuertens animas: testimonium Dei fide-
le, sapientiam præstans paruulis. PSAL. Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum
eius annunciat firmamentum. RESP. Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini
Psal. 91. tuo altissime. VERS. Ad annunciandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam
Psal. 12. per noctem. OFF. Illumina oculos meos, ne quando obdormiam in morte: ne quando
dicat inimicus meus, prævalui aduersus eum. VERS. I. Vsquequo Domine obliuiscēris
me in finem? quamdiu ponam consilia in anima mea? VERS. II. Respice in me, & E
Luc. 15. exaudi me: cantabo Domino qui bona tribuit mihi. COM. Oportet te fili gaudere: quia
frater tuus mortuus fuerat, & reuixit: perierat, & inuentus est. PSAL. vt supra.

DOMINICA III. QVADRAGESIMÆ.

Psal. 14. ANTIPH. Oculi mei semper ad Dominum, quia ipse euellet de laqueo pedes
meos: respice in me, & miserere mei: quoniam vnicus & pauper sum ego. PSAL. Ad
te, Domine, leuaui animam meam: Deus meus in te confido, non erubescam.
Psa. 9. RESP. Exurge Domine, non prævaleat homo: iudicentur gentes in conspectu tuo.
VERS. In conuertendo inimicum meum retrorsum, infirmabuntur & peribunt a
Psal. 121. facie tua. TRACTVS. Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis. VERS. Ecce sicut
oculi seruorum in manibus dominorum suorum. VERS. Et sicut oculi ancillæ in manibus
dominæ suæ. VERS. Ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrū, donec misereatur nostri,

VERS.

A VERS. Miserere nobis Domine, miserere nobis. OFF. Iustitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: & dulciora super mel & fauum. nam & seruus tuus custodiet ea. VERS. I. Præceptũ Domini lucidum, illuminans oculos: timor Dei sanctus, permanens in sæculum sæculi: iudicia Domini vera. VERS. II. Et etunt vt complaceant eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper. COM. Passer inuenit sibi domum, & turtur nidum, vbi reponat pullos suos. Altaria tua Domine virtutum: rex meus & Deus meus. Beati qui habitant in domo tua: in sæculum sæculi laudabunt te. PSAL. Quàm dilecta. *Psal. 81.* *Psal. 83.*

FERIA SECVNDA.

ANTIPH. In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem, in Deo speraui: non timebo quid faciat mihi homo. PSAL. Miserere mei Deus, quoniam conculcauit me homo: tota die impugnans, tribulauit me. RESP. Deus, vitam meam nunciaui tibi: posuisti lacrymas meas in conspectu tuo. VERS. Miserere mihi Domine, quoniam conculcauit me homo: tota die bellans, tribulauit me. OFF. Exaudi Deus orationem meam, & ne despexeris deprecationem meam: intende in me, & exaudi me. VERS. I. Conturbatus sum a voce inimici, & a tribulatione peccatoris, & expectabam eum qui me saluum faceret. VERS. II. Ego autem ad Deum clamaui, libera animam meam: & extendes manum in retribuendo illis. COM. Et dabit ex Sion salutare Israel: cum auerterit Dominus captiuitatem plebis suæ, exultabit Iacob, & lætabitur Israel. PSAL. Iij. *Psal. 55.* *ibidem.* *Psal. 54.* *Ps. 13. & 52.*

FERIA TERTIA.

ANTIPH. Ego clamaui, quoniam exaudisti me Deus: inclina aurem tuam, & exaudi verba mea, custodi me Domine vt pupillam oculi: sub vmbra alarum tuarum protege me. PSAL. Exaudi Domine iustitiam meam, intende deprecationem meam. RESP. Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo. VERS. Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor a delicto maximo. OFF. Dextera Domini fecit virtutem. VERS. I. In tribulatione inuocaui Dominum. VERS. II. Impulsus. COM. Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam. PSAL. 14. *Psal. 16.* *Psal. 18.* *Psal. 117.* *Psal. 14.*

FERIA QVARTA.

ANTIPH. Ego autem in Domino speraui: exultabo & lætabor in tua misericordia: quia respexisti humilitatem meam. PSAL. In te Domine speraui, non confundar in æternum: in iustitia tua libera me. RESP. Miserere mihi Domine: quoniam infirmus sum, sana me Domine. VERS. Conturbata sunt omnia ossa mea, & anima mea turbata est valde. OFF. Domine fac mecum misericordiam tuam propter nomen tuum, quia suauis est misericordia tua. VERS. I. Deus, laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris, & dolosi super me apertum est. VERS. II. Pro eo vt diligerent me, detrahebant mihi. ego autem orabam. VERS. III. Locuti sunt aduersum me lingua dolosa. & sermonibus odij circumdederunt me, & expugnauerunt me gratis. COM. Notas mihi fecisti vias vitæ. adimplebis me lætitia cum vultu tuo Domine. PSAL. xij. *Psal. 30.* *Psal. 6.* *Psal. 108.* *Psal. 15.*

FERIA QVINTA.

[ANTIPH. Salus populi ego sum, dicit Dominus. De quacunque tribulatione clamauerint ad me, exaudiã eos: & ero illorum Dominus in perpetuum. PSAL. Adtendite populus meus legẽ meã, inclinate aurem vestrã in verba oris mei. RESP. Oculi omniũ in te sperant Domine, & tu das illis escam in tempore oportuno. VERS. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. OFF. Si ambulauero in medio tribulationis, viuificabis me Domine, & super irã inimicorũ meorũ extendes manum tuam: & saluũ me fecit dextera tua. VERS. I. In quacumque die inuocauero te, exaudi me Domine multiplicabis in anima mea virtutem tuam. VERS. II. Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo Domine, super misericordiam tuam, & veritatem tuam. COM. Tu mandasti mandata tua custodiri nimis. Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas. PSAL. Beati immaculati.] *Psal. 77.* *Psal. 144.* *Psal. 137.* *Psal. 118.*

FERIA SEXTA.

ANTIPH. Fac mecum Domine signum in bonum: vt videant qui me oderunt, & confundantur, quoniam tu Domine adiuuisti me, & consolatus es me. PSAL. Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me, quoniam inops & pauper sum ego. RESP. In Deo speraui cor meum, & adiutus sum: & refloruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor illi. VERS. Ad te domine clamaui: Deus meus, ne sileas, ne discedas a me. OFF. Intende voci orationis meæ, rex meus & Deus meus: quoniam ad te orabo Domine. *Psal. 58.* *Psal. 27.* *Psal. 5.*

VERS. I. Verba mea auribus percipe Domine: intellige clamorem meum, & exaudi me. VERS. II. Dirige in conſpectu tuo viam meam, & lætentur omnes qui ſperant in te Domine: in æternum gloriabuntur, qui diligunt nomen tuum Domine. COM. Qui biberit aquam quam ego dabo ei, dicit Dominus, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. PSAL. vt ſupra. A

Ioan. 4.

SABBATO.

ANTIPH. Verba mea auribus percipe Domine: intellige clamorem meum, intende voci orationis meæ. PSAL. Quoniam ad te orabo Domine, mane exaudies vocem meam. RESP. Si ambulem in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es Domine. VERS. Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt. OFF. Greſſus meos dirige ſecundum eloquiũ tuum, vt non dominetur omnis iniuſtitia Domine. VERS. I. Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. VERS. II. Cognoui Domine, quia æquitas iudicia tua: & in veritate tua humiliaſti me, vt non dominetur mei omnis iniuſtitia Domine. COM. Nemo te condemnauit, mulier? nemo, Domine. Nec ego te condemnabo. iam amplius noli peccare. PSAL. vt ſupra. B

Pſal. 5. *Pſal. 22.* *Pſal. 118.* *Ioan. 8.*

DOMINICA IIII. QVADR.

ANTIPH. Lætare Ieruſalem, & conuentum facite omnes qui diligitis eam: gaudete cum lætitia, qui in triſtitia fuiſtis, vt exultetis & ſatiemini ab vberibus conſolationis veſtræ. PSAL. Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum domini ibimus. RESP. Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum domini ibimus. VERS. Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis. TRACTVS. Qui confidunt in Domino ſicut mons Sion, non commouebitur in æternum, qui habitat in Hieruſalem. VERS. Montes in circuitu ejus, & Dominus in circuitu populi ſui, ex hoc nunc & vſque in ſæculum. OFF. Laudate Dominum, quia benignus eſt Dominus: pſallite nomini eius, quoniam ſuauis eſt: omnia quæcumq. voluit, fecit in cælo, & in terra. VERS. I. Qui ſtatis in domo Domini, in atrijs domus Dei noſtri: quia ego cognoui, quòd magnus eſt dominus, & Deus noſter præ omnibus dijs. VERS. II. Domine, nomen tuum in æternum, & memoriale tuum in ſæcula ſæculorum. Iudicabit Dominus populum ſuum, & in ſeruis ſuis conſolabitur. VERS. III. Qui timetis Dominum, benedicite eum. Benedictus Dominus ex Sion, qui habitat in Hieruſalem. COM. Hieruſalem quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipſum: illuc enim aſcenderunt tribus, tribus Domini, ad confitendum nomini tuo Domine. PSAL. Lætatus ſum. C

Pſal. 134. *Pſal. 121.* *Pſal. 124.*

FERIA SECVNDA.

ANT. Deus, in nomine tuo ſaluum me fac, & in virtute tua iudica me. Deus, exaudi orationem meam. PSAL. Ecce enim Deus. [Auerte mala inimicis meis, & in veritate tua diſperde illos.] RESP. Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum refugij, vt ſaluum me facias. VERS. Deus, in te ſperaui: Domine, non confundar in æternum. OFF. Iubilate Deo omnis terra. COM. Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſeruo tuo. PSAL. xviij. D

Pſal. 53. *Pſal. 30.* *Pſal. 99.* *Pſal. 18.*

FERIA TERTIA.

ANTIPH. Exaudi Deus orationem meam, & ne deſpexeris deprecationem meam: intende in me, & exaudi me. PSAL. Contriſtatus ſum in exercitatione mea, & conturbatus ſum a voce inimici. RESP. Exurge Domine, ſer opem nobis, & libera nos propter nomen tuum. VERS. Deus, auribus noſtris audiuimus: Patres noſtri annunciauerunt nobis: opus quod operatus es in diebus eorum, in diebus antiquis. OFF. Expectans expectaui Dominum, & reſpexit me, & exaudiuit deprecationem meam: & immiſit in os meum canticum nouum, hymnum Deo noſtro. VERS. I. Statuit ſupra petram pedes meos, & direxit greſſus meos. VERS. II. Multa feciſti tu Deus meus mirabilia tua: & cogitationibus tuis non eſt ſimilis tibi, bene nunciaui iuſtitiam tuam in eccleſia magna. VERS. III. Domine Deus, tu cognouiſti iuſtitiam tuam, non abſcondi in corde meo veritatem tuam, & ſalutare tuum dixi: Adiutor meus domine, & protector meus. COM. Lætabimur in ſalutari tuo, & in nomine Domini Dei noſtri magnificabimur. PSAL. xix. E

Pſal. 54. *Pſal. 43.* *Pſal. 39.* *Pſal. 19.*

FERIA QVARTA.

ANTIPH. Dum ſanctificatus fuero in vobis, congregabo vos de vniuerſis terris: & effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & dabo vobis ſpiritum nouum. PSAL. Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper

Ezech. 36. *Pſal. 33.*

A semper laus eius in ore meo. RESP. Venite filij, audite me: timorem Domini docebo vos. VERS. Accedite ad eum, & illuminamini: & facies vestræ non confundentur. RESP. Beata gens, cuius est Dominus Deus eorum: populus quem elegit Dominus in hereditatem sibi. VERS. Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. OFF. Benedicite genres Dominum Deum nostrum, & obaudire voci laudis *Psal. 65.*
eius. qui posuit animam meam ad vitam, & non dedit commoueri pedes meos. Benedictus Dominus, qui non amouit deprecationem meam, & misericordiam suam a me. VERS. I. Iubilate Deo omnis terra. Psalmum dicite nomini eius, date gloriam laudi eius. VERS. II. In multitudinem virturis tuæ mentientur tibi inimici tui: omnis terra adoret te, & psallat tibi altissime. VERS. III. Venite, & videte opera Domini, quàm terribilis in consilijs super filios hominum. Ad ipsum ore meo clamaui, & exultaui sub
B lingua mea. Propterea exaudiuit me Deus, & intendit voci orationis meæ. COM. Lutum fecit ex sputo Dominus, & liniuit oculos meos & abij, & laui, & vidi, & credidi *Ioan. 9.*
Deo. PSAL. vt supra.

FERIA QVINTA.

ANTIPH. Lætetur cor quærentium Dominum: quærite Dominum, & confirmamini: quærite faciem eius semper. PSAL. Confitemini Domino, & inuocate nomen eius annunciate inter gentes opera eius. RESP. Respice Domine in testamentum tuum, & animas pauperum tuorum ne obliuiscaris in finem. VERS. Exurge Domine, iudica causam tuam: memor esto opprobrij seruorum tuorum. OFF. Domine ad adiuuandum me respice: confundantur & reuereantur, qui quærunt animam meam, vt auferant eam. VERS. Auertantur retrorsum & erubescant, qui cogitant mihi mala. VERS. Expe-
C ctans expectaui Dominum, & respexit me, & exaudiuit deprecationem meam. COM. Domine, memorabor iustitiæ tuæ solius. Deus, docuisti me a iuuentute mea: & vsque in senectam & senium Deus ne derelinquas me. PSAL. In te Domine speraui.]

FERIA SEXTA.

ANTIPH. Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper, Domine adiutor meus & *Psal. 18.*
redemptor meus. PSAL. Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annun- *Psal. 117.*
ciat firmamentum. RESP. Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine. Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in principibus. VERS. Ad adnunciandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem. OFF. Populum *Psal. 17.*
humilem saluum facies Domine, & oculos superborum humiliabis. quoniam quis Deus præter te Domine? VERS. I. Clamor meus in conspectu eius, introiuit in aures eius.
D VERS. II. Liberator meus de gentibus iracundis, ab insurgentibus in me exaltabis me. COM. Videns Dominus flentes sorores Lazari ad monumentum, lacrymatus est coram *Ioan. 11.*
Iudæis. exclamabat: Lazare, veni foras. & prodijt ligatis manibus & pedibus, qui fuerat quatriduanus mortuus. PSAL. xxj.

IN SABBBATO.

ANTIPH. Sitientes, venite ad aquas, dicir Dominus: & qui non habetis pretium, ve- *Isa. 55.*
nite: bibite cum lætitia. PSAL. Attendite populus meus legem meam: inclinate aurem *Psal. 77.*
vestram in verba oris mei. RESP. Tibi Domine derelictus est pauper. pupillo tu eris *Psal. 9.*
adiutor. VERS. Vt quid Domine recessisti longe, despicis in oportunitatibus in tribulatione? dum superbit impius, incenditur pauper. OFF. Factus est Dominus firmamen- *Psal. 17.*
tum meum, & refugium meum, & liberator meus: sperabo in eum. VERS. Persequar
E inimicos meos, & comprehendam illos: & non conuertar, donec deficiant. VERS. II. Et præcinxisti me fortitudine ad bellum, & supplantasti inimicos meos subtus me. & inimicorum meorum dedisti mihi dorsum, & odientes me disperdidisti. COM. Dominus re- *Psal. 22.*
git me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit. super aquam refectionis educauit me. PSAL. ipsi.

DOMINICA V. QVADR.

ANTIPH. Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta: ab homi- *Psal. 42.*
iniquo & doloso eripe me: quia tu es Deus meus, & fortitudo mea. PSAL. Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt & adduxerunt in montem sanctum tuum; *Psal. 58. & 142.*
& in tabernacula tua. RESP. Eripe me Domine de inimicis meis: doce me facere voluntatem tuam. VERS. Liberator meus Domine de gentibus iracundis: ab insurgen- *Psal. 17.*
tibus in me exaltabis me, a viro iniquo eripies me. TRACTVS. Sæpe expugnauerunt *Psal. 128.*

me a iuuentute mea. VERS. Dicat nunc Israel, sæpe expugnauerunt me a iuuentute A
mea. VERS. Etenim non potuerunt mihi: supra dorsum meum fabricauerunt peccatores. VERS. Prolongauerunt iniquitatem sibi: Dominus iustus concidet ceruices pecca-
Psal. 110. torum. OFF. Confitebor tibi Domine in toto corde meo. Retribue seruo tuo, viuam,
Psal. 118. & custodiam sermones tuos: viuifica me secundum verbum tuum Domine. VERS. I. Beati immaculati in via, qui ambulãt in lege Domini. Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirũt eum. VERS. II. Viam veritatis elegi, da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiã illam in toto corde meo. Inclina cor meũ in testimonia tua, & non in auaritiam. In via tua viuifica me, iudicia enim tua iucunda. Deprecatus sum vultum tuũ
Luc. 2. in toto corde meo, quia dilexi legem tuam. COM. Hoc corpus quod pro vobis traditur:
1. Cor. 11. Hic calix noui testamenti est in meo sanguine, dicit Dominus. Hoc facite, quotiescumque sumitis, in meam commemorationem. PSAL. vt supra. B

FERIA II.

Psal. 55. ANTIPH. Miserere mihi Domine, quoniam conculcauit me homo: tota die bellans tribulauit me. PSAL. Conculcauerunt me inimici mei tota die, quoniam multi bellan-
Psal. 53. tes aduersum me. RESP. Deus, exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris
Psal. 6. mei. VERS. Deus, in nomine tuo saluum me fac, & in virtute tua iudica me. OFF. Domine conuertere, & eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam. VERS. I. Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me. VERS. II. Miserere mihi Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata
Psal. 23. sunt omnia ossa mea. COM. Dominus virtutum, ipse est rex gloriæ. PSAL. ipse.

FERIA III.

Psal. 26. ANTIPH. Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum & sustine Do- C
Psal. 42. minum. PSAL. Dominus illuminatio mea & salus mea: quem timebo? RESP. Discerne causam meam Domine: ab homine iniquo & doloso eripe me. VERS. Emitte lucem tuam & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt & adduxerunt in montem sanctum
Psal. 9. tuum. OFF. Sperent in te omnes qui nouerunt nomen tuum Domine, quoniam non derelinquis quærentes te. psallite Domino qui habitat in Sion: quoniam non est oblitus orationem pauperum. VERS. I. Sedes super thronum qui iudicas æquitatem: increpasti gentes, & perijt impius. iudicabit populum cum iustitia, & factus est refugium pauperum. VERS. II. Cognoscetur Dominus iudicia faciens, quoniam patientia pauperum
Psal. 24. non peribit in finem: desiderium pauperum exaudiuit Deus. COM. Redime me Deus Israel ex omnibus angustijs meis. PSAL.

FERIA IIII. D

Psal. 17. ANTIPH. Liberator meus de gentibus iracundis: ab insurgentibus in me exaltabis me: a viro iniquo eripies me Domine. PSAL. Diligam te Domine virtus mea Domi-
Psal. 29. nus firmamentum meum & refugium meum. RESP. Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me. VERS. Domine Deus meus, clamaui ad te, & sanasti me. Domine, abstraxisti ab inferis animam meam: saluasti me a
Psal. 58. descendentibus in lacum. OFF. Eripe me de inimicis meis Deus meus, & ab insurgentibus in me libera me Domine. VERS. I. Quia ecce captauerunt animam meam, & irruerunt fortes in me. VERS. II. Quia factus es adiutor meus, & refugium meum in
Psal. 25. die tribulationis meæ. COM. Lauabo inter innocentes manus meas, & circuibo altare tuum Domine: vt audiam vocem laudis tuæ, vt enarrem vniuersa mirabilia tua. PSAL. 25.

FERIA V. E

Dan. 3. [ANTIPH. Omnia quæ fecisti nobis Domine, in vero iudicio fecisti, quia peccauimus tibi, & mandatis tuis non obediuimus. sed da gloriam nomini tuo, & fac nobiscum
Isai. 47. secundum multitudinem misericordiæ tuæ. PSAL. Magnus Dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius. RESP. Tollite hostias, & introite in atria eius: adorate Dominum in aula sancta eius. VERS. Reuelabit Dominus condensa,
Psal. 136. & in templo eius omnes dicent gloriam. OFF. Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion. VERS. I. In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra: quoniam illic interrogauerunt nos, qui captiuos duxerunt nos, verba cantionum: & qui abduxerunt nos. hymnum cantate nobis de canticis Sion: quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? VERS. II. Si oblitus fuero tui Hierusalem, obliuiscatur me dextera mea: adhæreat lingua mea faucibus meis, si tui non

meminero.

A meminero. Qui dixerunt, Super flumina Babylonis. VERS. III. Memento Domine filiorum Edom in die Hierusalem. Qui dixerunt. COM. Memento verbi tui seruo tuo Domine, in quo mihi spem dedisti. Hæc me consolata est in humilitate mea. PSAL. Beati immaculati.] *Psal. 118.*

FERIA VI.

ANTIPH. Miserere mihi Domine, quoniam tribulor: libera me, & eripe me de manibus inimicorum meorum, & a persequentibus me Domine, non confundar, quoniam inuocaui te. PSAL. In te Domine speraui, non confundar in æternum: in iustitia tua libera me. RESP. Pacifice loquebantur mihi inimici mei, & in ira molesti erant mihi. VERS. Vidisti Domine Deus meus: ne sileas, ne discedas a me. OFF. Benedictus es Domine, doce me iustificationes tuas, & non tradas calumniantibus me superbis, & respondebo exprobrantibus mihi verbum. VERS. I. Vidi non seruantes pactum, & tabe- *Psal. 30.* *Psal. 34.* *Psal. 118.*

B scam: Domine, quando facies de persequentibus me iudicium? VERS. Appropinquauerunt persequentes me iniquitati: confundãtur & reuereantur, quia iniuste iniquitatem fecerunt in me. COM. Ne tradideris me Domine in animas tribulantium me, quia surrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi. PSAL. 26. *Psal. 26.* *Amal. lib. 2. c. 8.*

SABBATVM VACAT.

DOMINICA IN PALMIS.

ANTIPH. Domine, ne longe facias auxilium tuum a me, ad defensionem meam adspice. Libera me de ore leonis, & a cornibus vnicornum humilitatem meam. PSAL. Deus Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti? RESP. Tenuisti manum dexteram meam: in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria assumpsisti me. VERS. Quàm bonus Israel, Deus rectis corde? mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus *Psal. 21.* *Psal. 72.*

C mei. Quia zelaui in peccatoribus, pacem peccatorum videns. TRACTVS. Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? VERS. Longe a salute mea verba delictorum meorum. VERS. Deus meus, clamabo per diem, nec exaudies: & nocte, & non ad insipientiam mihi. VERS. Tu autem in sancto habitas laus Israel. In te sperauerunt patres nostri: sperauerunt, & liberasti eos. VERS. Ad te clamauerunt, & salui facti sunt: in te sperauerunt, & non sunt confusi. VERS. Ego autem sum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abiectio plebis. VERS. Omnes qui videbant me, aspernabantur me: locuti sunt labijs, & mouerunt caput. VERS. Sperauit in Domino, eripiat eum: saluum faciat eum, quoniam vult eum. VERS. Ipsi vero considerauerunt, & conspexerunt me, diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. VERS. Libera me de ore leonis, & a cornibus vnicornum humilitatem meam. VERS. Qui *Psal. 21.*

D timetis Dominum, laudate eum: vniuersum semen Iacob, magnificate eum. VERS. Annunciabitur Domino generatio ventura, & annunciabunt cæli iustitiam eius. VERS. Populo qui nascetur, quem fecit Dominus. OFF. Improperium expectauit cor meum, & miseriam: & sustinui qui simul contristaretur, & non fuit: consolantem me quæsiui, & non inueni: & dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. VERS. I. Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. VERS. II. Aduersum me exercebantur, qui sedebant in porta: & in me psallebant, qui bibebant vinum. VERS. III. Ego vero orationem meam ad te Domine: tempus beneplaciti, Deus, in multitudine misericordiæ tuæ. COM. Pater, si non potest hic ca- *Psal. 68.* *Matth. 26.*

lix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua. PSAL. vt supra.

FERIA SECVNDA.

E ANTIPH. Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me: apprehende arma & scutum, & exurge in adiutorium meum Domine, virtus salutis meæ. PSAL. Effunde framea m, & conclude aduersus eos qui persequuntur me. RESP. Exurge Domine, & intende iudicium meum, Deus meus, & Dominus meus, in causam meam. VERS. Effunde framea m, & conclude qui me persequuntur. OFF. Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam. quia Deus meus es tu. VERS. Exaudi me in tua iustitia, & ne intres in iudicio cum seruo tuo Domine. AD COM. Erubescant, & reuereantur simul, qui gratulantur malis meis: induantur pudore & reuerentia, qui maligna loquuntur super me. PSAL. 34. *Psal. 34.* *Ibidem.* *Psal. 142.* *Psal. 34.*

FERIA TERTIA.

ANTIPH. Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Iesu Christi, in quo est salus, vita, & resurrectio nostra: per quem saluati, & liberati sumus. PSAL. Deus misereatur *Gal. 6.* *Psal. 66.*

Psal. 34. noſtri,& benedicat nobis: illuminet vultũ ſuum ſuper nos,& miſereatur noſtri. RESP. Ego autem dũ mihi moleſti eſſent,induebar cilicio:& humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in ſinũ meũ conuertetur. VERS. Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me. apprehende arma & ſcutum, & exurge in adiutorium mihi. OFF. Cuſtodi me Domine de manu peccatoris, & ab hominibus iniquis eripe me Domine. VERS. I. Eripe me Domine ab homine malo,a viro iniquo libera me. VERS. II. Qui cogitauerunt ſupplantare greſſus meos, abſconderunt ſuperbi laqueũ mihi: VERS. III. Dixi Domino, Deus meus es tu: exaudi Domine vocem deprecationis meæ. COM. Aduerſum me exercebantur, qui ſedebant in porta: & in me pſallebant, qui bibebant vinum. ego vero orationem meam ad te Domine: tempus beneplaciti, Deus in multitudine miſericordiæ tuæ. PSAL. 73.

Psal. 68.

A

FERIA QVARTA.

B

Philipp. 2. ANTIPH. In nomine Domini omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum: quia Dominus factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, *Psal. 101.* ideo Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris. PSAL. Domine, exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. RESP. Ne auertas faciem tuam a puero tuo, quoniam tribulor velociter exaudi me. VERS. Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam: infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia. TRACTVS. Domine exaudi orationem meam,& clamor meus ad te veniat. VERS. Ne auertas faciem tuam a me: in quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam. VERS. In quacumque die inuocauero te, velociter exaudi me. VERS. Quia defecerunt ſicut fumus dies mei, & oſſa mea ſicut in frixorio confrixa ſunt. VERS. Percuſſus ſum ſicut fenum, & aruit cor meum, quia oblitus ſum manducare panem C meum. VERS. Tu exurgens Domine miſereberis Sion, quia venit tempus miſerendi eius. OFF. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te perueniat. VERS. I. Ne auertas faciem tuam, ne auertas faciem tuam a me. VERS. II. Quia oblitus ſum manducare panem meum. VERS. III. Tu exurgens miſereberis Sion,quia tempus miſerendi eius, quia venit tempus. COM. Potum meum cum fletu temperabam, quia eleuans adliſiſti me, & ego ſicut fenum arui, tu autem Domine in æternum permanes. tu exurgens miſereberis Sion, quia venit tempus miſerendi eius. PSAL. 101.

FERIA QVINTA DE COENA DOM.

Gal. 6. ANTIPH. Nos autem gloriari oportet in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, in quo eſt *Philip. 2.* ſalus, vita, & reſurrectio noſtra: per quem ſaluati,& liberati ſumus. PSAL. Cantate Domino. RESP. Chriſtus factus eſt pro nobis obediens vſque ad mortem, mortem autem D *Psal. 117.* crucis. VERS. Propter quod & Deus exaltauit, illum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen. OFF. Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me, non moriar, ſed viuam, & narrabo opera Domini. VERS I. In tribulatione mea inuocaui Dominum, & exaudiuit me in latitudine Dominus. VERS. II. Impulſus, euerſus *Iosu. 13. a* ſum vt caderem, & Dominus ſuſcepit me. COM. Dominus Ieſus poſtquam cænauit cum diſcipulis, ſuis lauit pedes eorum, & ait illis: Scitis quid fecerim vobis? Ego Dominus & magiſter, exemplum dedi vobis, vt & vos ita faciatis. PSAL. Beati immaculati.

FERIA SEXTA IN PARASCEVE.

Abac. 3. a ANTIPH. Domine, audiui auditum tuum, & timui: conſideraui opera tua, & expaui. VERS. I. In medio duorum animalium innoteſceris: dum appropinquauerint anni, cognoſceris: dum aduenerit tempus, oſtenderis. VERS. II. Operuit cælos Maieſtas E eius, & laudis eius plena eſt terra. VERS. III. Deus a Libano veniet, & ſanctus de monte vmbroſo, & condenſo. VERS. IIII. In eo dum conturbata fuerit anima mea, in ira *Psal. 139.* miſericordiæ memor eris. TRACTVS. Eripe me Domine ab homine malo, a viro iniquo libera me. VERS. Qui cogitauerunt malitias in corde,tota die conſtituebant prælia. VERS. Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentes: venenum aſpidum ſub labijs eorum. VERS. Cuſtodi me Domine de manu peccatoris, & ab hominibus iniquis libera me. VERS. Qui cogitauerunt ſupplantare greſſus meos, abſconderunt ſuperbi laqueos mihi. VERS. Et funes extenderunt in laqueum pedibus meis, iuxta iter ſcandalum poſuerunt mihi. VERS. Dixi Domino. Deus meus es tu: exaudi Domine vocem orationis meæ. VERS. Domine, Domine, virtus ſalutis meæ, obumbra caput meum in die belli. VERS. Ne tradas me a deſiderio meo peccatori: cogitauerunt aduerſum me, ne derelin-

quas

A quas me ne vmquam exaltentur. VERS. Caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos. VERS. Verumtamen iusti confitebuntur nomini tuo, & habitabunt recti cum vultu tuo.

ANT. AD CRVCEM ADORANDAM.

Crucem tuam adoramus Domine, & sanctam resurrectionem tuam laudamus, & glorificamus: ecce enim propter crucem venit gaudium in vniuerso mundo. PSAL. Deus misereatur nostri. ANTIPH. Ecce lignum crucis, in quo salus mundi pependit. Venite, adoremus. PSAL. Beati immaculati in via. ANTIPH. Dum fabricator mundi mortis supplicium pateretur in cruce, clamans voce magna, tradidit spiritum: & ecce velum templi diuisum est, monumenta aperta sunt: terræmotus enim factus est magnus, quia mortem filij Dei clamabat mundus se sustinere non posse. VERS. Apertoergo mi- B litis lancea latere crucifixi Domini, exiuit sanguis, & aqua in redemptionem salutis nostræ. VERS. O admirabile pretium, cuius pondere captiuitas redempta est mundi, tartarea confracta sunt, claustra inferni, aperta est nobis ianua regni. Hymnus. Pange lingua glorioſi prælium certaminis: & super crucis trophæo dic triumphum nobilem, qualiter redemptor orbis immolatus vicerit. VERS. De parentis protoplasti fraude factor condolens, quando pomi noxialis morsu in mortem corruit, ipse lignum tunc notauit, damna ligni vt solueret. VERS. Hoc opus nostræ salutis ordo depopoſcerat, multiformis proditoris ars vt artem fallerer, & medelam ferret inde hostis, vnde læſerat. VERS. Quando venit ergo sacri plenitudo temporis, missus est ab arce patris, natus orbis conditor, atque ventre virginali, homo factus prodijt. VERS. Vagit infans, inter arcta conditus præsepia: membra pannis inuoluta virgo mater alligat, & pedes manusq. C crura stricta cingit fascia. VERS. Lustra sex qui iam peracta, tempus implens corporis, se volente natus ad hoc, passioni deditus agnus, in crucis leuatur immolandus stipite. VERS. Hic acetum, fel, arundo, sputa, claui, lancea: mite corpus perforatur: sanguis, vnda profluit, terra, pontus, astra, mundus, quo lauantur flumine. VERS. Flecte ramos arbor alta, tensa laxa viscera: & rigor lentescat ille, quem dedit natiuitas, vt superni membra regis. VERS. Sola digna tu fuisti ferre pretium sæculi, atque portum præparare nauta mundo naufrago, quem sacer cruor perunxit fusus agni corpore. VERS. Gloria & honor Deo vsquequo altissimo, vna patri filioq. inclyto paraclito, cui laus est & potestas per æterna sæcula.

CANTICA IN SABBATO SANCTO.

D (1) Cantemus Domino: glorioſe enim honorificatus est, equum & ascensorem proiecit in mare: adiutor & protector factus est mihi in salutem: Hic Deus meus, & honorificabo eum: Deus patris mei, & exaltabo eum: Dominus conterens bella. Dominus nomen eius, (2.) Adtende cælum, & loquar, & audiat terra verba ex ore meo: expectetur sicut pluuia eloquium meum, & descendant sicut ros verba mea, & sicut nix super fenum, sicut imber super gramina, quia nomen Domini inuocaui: date magnitudinem Deo nostro, Deus vera opera eius, & omnes viæ eius iudicia. Deus fidelis in quo non est iniquitas, iustus & sanctus Dominus. (3) [Vinea facta est dilecto in cornu in loco *Isai. 5.* vberi, & maceria circumdedi, & circumfodi: & plantaui vineam soreth, & ædificaui turrem in medio eius, & torcular fodi in eam: vinea enim Domini sabaoth, domus Israel est.] (4) [Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. *Psal. 41.* E Sitiuit anima mea ad Deum viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei? Fuerunt mihi lacrymæ meæ panis die ac nocte, dum dicitur mihi per singulos dies, vbi est Deus tuus?

MISSA IN SABBATO SANCTO.

Gloria in excelsis Deo.

Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius. *Psal. 105.* TRACTVS. Laudate Dominum omnes gentes, & conlaudate eum omnes populi, *Psal. 116.* quoniam confirmata est super nos misericordia eius, & veritas Domini manet in æternum. Non cantatur nec OFF. nec Agnus Dei, nec Communio: sed omnibus expletis, dicitur: Ite, Missa est.

DOMINICA PASCHÆ AD S. MARIAM.

ANTIPH. Resurrexi, & adhuc tecum sum, alleluia. posuisti super me manum tuam, alleluia. mirabilis facta est scientia tua, alleluia. PSAL. Domine probasti me, & cognouisti me:

BIBLIO ROMA

uisti me: tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam. RESP. Hæc dies A
Psal. 117. quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea. VERS. Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius. VERS. I. Dicat nunc Israel quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius. VERS. II. Dicat nunc domus Aaron, quoniam in sæculum misericordia eius. VERS. III. Dicant nunc qui timent Dominum, quoniam in sæculum misericordia eius. VERS. IIII. Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me. VERS. V. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. a Domino factum est, & est mirabile in oculis nostris. VERS. VI. Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus & inluxit nobis. ALL. Pascha nostrum immolatus est Christus. VERS. Epulemur in azymis
1. Cor. 5. sinceritatis & veritatis. OFF. Terra tremuit & quieuit, dum resurgeret in iudicio Deus,
Psal. 75. alleluia. VERS. I. Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius, alleluia. B
VERS. II. Et factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion, alleluia. VERS. III. Ideo confregit potentias, arcum, scutum, gladium & bellum: illuminans tu mirabiliter a
1. Cor. 5. montibus æternis, alleluia. COM. Pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur in azymis sinceritatis & veritatis, alleluia. PSAL. vt supra, expurgate.

FERIA SECVNDA.

Exod. 13. ANTIPH. Introduxit vos Dominus in terrã fluentẽ lac & mel, alleluia, & vt lex Domini
Ps. 105. 106. semper sit in ore vestro, alleluia alleluia. PSAL. Confitemini Domino quoniam bonus,
107. quoniam in sæculum misericordia eius. RESP. Hæc dies. VERS. Dicat nunc Israel.
Matth. 28. ALL. Dominus regnauit, decorem. OFF. Angelus Domini descendit de cælo, & dixit
Psal. 92. mulieribus: Quem quæritis surrexit, sicut dixit, alleluia. VERS. I. Euntes in Galilæam,
Luc. 24. dicite discipulis eius: Ecce præcedet vos in Galileam: ibi eum videbitis, sicut dixit, alleluia. C
VERS. II. Iesus stetit in medio eorum, & dixit: Pax vobis: videte, quia ego ipse sum,
Ibidem. alleluia. AD COM. Surrexit Dominus, & apparuit Petro, alleluia. PSAL. vt supra.

FERIA TERTIA.

Eccli. 15. ANTIPH. Aqua sapientiæ potauit eos, alleluia: confirmabitur in illis, & non flectetur, alleluia: & exaltabit eos in æternum, alleluia, alleluia. PSAL. Confitemini Do-
Psal. 104. mino quoniam bonus. RESP. Hæc dies. VERS. Dicat nunc domus Aaron. ALL. qua-
Psal. 117. le volueris. OFF. Intonuit de cælo Dominus, & altissimus dedit vocem suam, & apparuerunt fontes aquarum alleluia. VERS. I. Diligam te Domine virtus mea, Dominus
Psal. 17. firmamentum meum & refugium meum, & liberator meus. VERS. II. Liberator meus de gentibus iracundis, ab insurgentibus in me exaltabis me, a viro iniquo eripies me.
Col. 3. a AD COM. Si conresurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, alleluia, vbi Chri- D
stus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt, sapite, alleluia. PSAL. Vt supra.

FERIA QVARTA.

Matth. 25. ANTIPH. Venite benedicti patris mei, percipite regnum, alleluia, quod vobis pa-
Psal. 95. ratum est ab origine mundi, alleluia, alleluia, alleluia. PSAL. Cantate Domino canti-
Psal. 117. cum nouum cantate Domino omnis terra. RESP. Hæc dies. VERS. Dicant qui timent Dominum. ALL. quale volueris. OFF. Portas cæli aperuit Dominus, & pluit illis manna vt ederent, panem cæli dedit eis, panem angelorum manducauit homo,
Psal. 77. alleluia. VERS. I. Adtendite populus meus legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei. VERS. II. Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab
Rom. 6. initio sæculi. AD COM. Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, alleluia: mors illi vltra non dominabitur, alleluia, alleluia. PSAL. vt supra. E

FERIA QVINTA.

Sap. 10. ANTIPH. Victricem manum tuam Domine laudauerunt pariter, alleluia: quia sa-
Psal. 96. pientia aperuit os muti, & linguas infantium fecit disertas, alleluia alleluia. PSAL. Dominus regnauit, exultet terra, lætentur insulæ multæ. RESP. Hæc dies. VERS. Dextera Domini fecit virtutem. ALL. Lauda Hierusalem Dominum, lauda Deum tuum
Exo. 13. Sion. OFF. In die solemnitatis vestræ, dicit Dominus, inducam vos in terram fluentem mel & lac, alleluia. VERS. I. Audi populus meus, & loquar. Israel, si me audieris; dabo vobis desideria cordis vestri. VERS. II. Non adorabis Deum alienum, quia ego
1. Pet. 2. sum Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti. AD COM. Populus adquisitionis, adnunciate virtutes eius, alleluia, qui vos de tenebris vocauit in admirabile lu-
Psal. 77. men suum, alleluia. PSAL. vt supra.

FERIA

A

FERIA VI. AD S. MARIAM.

ANTIPH. Eduxit eos Dominus in ſpe, alleluia. & inimicos eorum operuit mare, alleluia, alleluia. PSAL. Adtendite popul. RESP. Hæc dies. VERS. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. ALL. quale volueris. OFF. Erit vobis hic dies memorialis, alleluia: & diem feſtum celebrabitis ſolemnem Domino in progenies veſtras, legitimum ſempiternum diem, alleluia. VERS. I. In mente habete diem iſtum, in quo exiſtis de terra Ægypti, de domo ſeruitutis. in manu enim potenti liberauit vos Dominus. VERS. II. Dixit Moyſes populo, Bono animo eſtote, & veniet vobis ſalus a Domino Deo, & pugnabit pro vobis. AD COM. Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra, alleluia: euntes, docete omnes gentes, batizantes eos in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, alleluia, alleluia. PSAL. vt ſupra.

Pſal. 77. *Pſal. 117.* *Leuit. 23.* *Matth. 28.*

B

FERIA SEPTIMA SIVE SABBATO.

ANTIPH. Eduxit Dominus populum ſuum in exultatione alleluia. & electos ſuos in lætitia, alleluia, alleluia, alleluia. PSAL. Confitemini Domino, & inuocate nomen eius. RESP. Hæc dies. VERS. Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini: ſit nomen Domini benedictum ex hoc nunc & vſque in ſæculum. OFF. Benedictus qui venit in nomine Domini, benediximus vos de domo Domini, Deus Dominus & inluxit nobis, alleluia alleluia. VERS. II. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. a Domino factum eſt: & eſt mirabile in oculis noſtris. VERS. III. Hæc dies quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea. AD COM. Omnes qui in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis, alleluia. PSAL. vt ſupra.

Pſal. 104. *Pſal. 117.* *Pſal. 112.* *Pſal. 117.* *Gal. 3.*

C

DOM. OCTAVÆ PASCHÆ.

ANTIPH. Quaſi modo geniti infantes, alleluia: rationabiles, ſine dolo, lac concupiſcite alleluia, alleluia, alleluia. PSAL. Exultate Deo adiutori noſtro, iubilate Deo Iacob. AD RESP. Et cibauit illos. ALL. quale volueris. OFF. Angelus Domini. AD COM. Mitte manum tuam, & cognoſce loca clauorum, alleluia, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis, alleluia, alleluia. PSAL. vt ſupra.

1. Pet. 2. *Pſal. 80.* *Ibidem.* *Matth. 28.* *Ioan. 20.*

DOM. I. POST OCT. PASCHÆ.

ANTIPH. Miſericordia Domini plena eſt terra, alleluia. verbo Dei cæli firmati, ſunt, alleluia. alleluia. PSALM. Exultate iuſti in Domino, rectos decet conlaudatio. ALL. II. quale volueris. OFF. Deus Deus meus, ad te de luce vigilo, & in

D

nomine tuo leuabo manus meas, allel. VERS. I. Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter & caro mea, vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam. VERS. II. In matutinis meditabor in te, quia factus es adiutor meus, & in velamento alarum tuarum exultabo. AD COM. Ego ſum paſtor bonus, alleluia, & cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ, alleluia, alleluia. PSAL. vt ſupra.

Pſal. 32. *Pſal. 62.* *Ioan. 10.*

DOMINICA SECVNDA POST OCTA. PASCHÆ.

ANTIPH. Iubilate Deo omnis terra, alleluia: pſalmum dicite nomini eius, alleluia. date gloriam laudi eius, alleluia, alleluia, alleluia. PSAL. Dicite Deo, quàm terribilia ſunt opera tua Domine: in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui. Iubilate. ALL. quale volueris. OFF. Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea, pſallam Deo meo quamdiu ero, allel. VERS. I. Qui cuſtodit veritatem in ſæculum faciet iudicium iniuriam patientibus, dat eſcam eſurientibus. VERS. II. Dominus erigit

E

eliſos, Dominus ſoluit compeditos, cuſtodit Dominus pupillũ & aduenam, & viduã ſuſcipiet, & vias peccatorũ exterminabit, regnabit Dominus in æternum, Deus tuus Sion in ſæculum ſæculi. AD COM. Modicum, & non videbitis me, alleluia: iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad patrem, alleluia, alleluia.

Pſal. 65. *Pſal. 99.* *Pſal. 145.* *Ioan. 16.*

DOMINICA III. POST OCTA. PASCHÆ.

ANTIPH. Cantate Domino canticum nouum, alleluia: quia mirabilia fecit Dominus, alleluia: ante conſpectum gentium reuelauit iuſtitiam ſuam, alleluia, alleluia. PSAL. Saluabit ſibi dextera eius, & brachium ſanctum eius. ALL. Paratum cor meum. ALL. Confitebor tibi Domine, quale volueris. OFF. Iubilate Deo vniuerſa terra.

Pſal. 97. *Pſal. 97.* *Pſal. 65.*

VERS. I.

Pſal. 65. Ioan. 16. VERS. I. Reddam tibi vota. VERS. II. Locutum eſt os meum. AD COM. Dum venerit paraclitus ſpiritus veritatis, ille arguet mundum de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio, alleluia, alleluia. PSAL. vt ſupra. A

DOMINICA IIII. POST. OCTAV. PASCHÆ.

Iſai. 48. Pſal. 97. Pſal. 94. Pſal. 65. Pſal. 95. ANTIPH. Vocem iocunditatis adnunciate, & audiatur, alleluia: nunciate vſque ad extremum terræ, liberauit Dominus populum ſuum, allel. allel. PSAL. Iubilate Deo omnis terra, cantate & exultate, & pſallite. ALL. I. Quoniam Deus magnus Dominus & rex magnus. ALL. II. quale voluerit. OFF. Benedicite gentes Dominum Deum noſtrum. VERS. I. Iubilate Deo omnis terra. VERS. II. In multitudine virtutis tuæ. VERS. III. Venite & videte opera Domini. AD COM. Cantate Domino, allel. cantate Domino, benedicite nomen eius, bene nunciate de die in diem ſalutare eius, alleluia, alleluia. PSAL. ipſe. B

NAT. SANCTORVM MARTYRVM TIBVRTII ET VALERIANI.

Pſal. 144. ANTIPH. Sancti tui Domine, benedicent te, gloriã regni tui dicent. allel. PSAL. Exaltabo te Deus meus rex, & benedicam nomini tuo in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.

Pſal. 32. Pſal. 32. OFF. Lætamini in Domino, & exultate iuſti, & gloriamini omnes recti corde. VERS. Pro hac orauit ad te omnis ſanctus in tempore oportuno. AD COM. Gaudete iuſti in Domino, allel. rectos decet conlaudatio, allel. PSAL. ipſe.

[NAT. SANCTI GEORGII.

Pſal. 63. ANTIPH. Protexiſti me Deus a conuentu malignantium, allel. a multitudine operantium iniquitatem, allel. allel. PSAL. Exaudi Deus orationem meam cum deprecor, C

Pſal. 88. a timore inimici eripe animam meam. OFF. Confitebuntur cæli mirabilia tua Domine, & veritatem tuam in eccleſia ſanctorum, allel. allel. VERS. I. Miſericordias tuas Domine in æternum cantabo, in generatione & progenie annunciabo veritatem tuam in ore meo, alleluia. VERS. II. Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino? aut quis ſimilis erit Deo inter filios Dei? Deus qui glorificatur in concilio ſanctorum, allel.

Pſal. 63. AD COM. Lætabitur iuſtus in Domino, & ſperabit in eo: & laudabuntur omnes recti corde, alleluia, alleluia. PSAL. vt ſupra.

IN LITANIA MAIORE, COLLECTA AD SANCTVM LAVRENTIVM IN LVCINA.

D

AD PROCESSIONEM ANTIPHONÆ.

EXVRGE Domine, adiuua nos, & libera nos propter nomen tuum, alleluia, ſaluum fac populum.

Pſal. 43. SVRGITE Sancti de manſionibus veſtris, loca ſanctificate, plebem benedicite, & nos humiles peccatores in pace cuſtodite, alleluia.

CVM iocunditate exibitis, & cum gaudio deducemini: nam & montes, & colles exibunt, expectantes vos cum gaudio, alleluia.

DE Hieruſalem exeunt reliquiæ, & ſaluatio de monte Sion: propterea protectio erit huic ciuitati, & ſaluabitur propter Dauid famulum eius, alleluia.

AMBVLATE ſancti viam quam elegiſtis, feſtinate ad locum qui vobis præparatus eſt: nos in terra canimus, ſanctorum laudes dicimus: nos ſanctos portamus, in cælis gaudent angeli, alleluia. E

IN nomine Domini Dei noſtri ambulabimus nos, & omnes populi, quoniam in Sion

Iſai. 2. facta eſt lex, & verbum domini de Hieruſalem, regnabit Dominus in æternum, alleluia.

EGO ſum Deus patrum veſtrorum, dicit Dominus: videns vidi afflictionem populi

Exod. 3. mei, & gemitum eius audiui, & deſcendi liberare eos alleluia.

POPVLVS Sion, conuertimini ad Dominum Deum noſtrum, & dicite ei: potens es Domine dimittere peccata noſtra, vt non inueniant nos iniquitates noſtræ Deus noſter, alleluia.

DOMINE Deus noſter, qui cum patribus noſtris mirabilia magna feciſti: & noſtris glorificare temporibus, qui miſiſti manum tuam de alto, & liberaſti nos, alleluia.

CONFITEMINI Domino filij Iſrael, quia non eſt alius Deus præter eum: ipſe liberabit

A liberabit nos propter misericordiam suam, adspicite quæ fecit nobiscum, & enarremus omnia mirabilia eius, alleluia.

Declamemus ad Dominum, dicentes: Peccauimus tibi Domine, patientiam habe in nobis, & erue nos a malis quæ quotidie accrescunt super nos, alleluia.

PARCE Domine, parce populo tuo, quem redemisti Christe sanguine tuo, vt non in æternum irascaris nobis, alleluia, alleluia.

DOMINE, imminuti sumus propter peccata nostra hodie, sed in animo contrito & *Dan.3.* spiritu humilitatis suscipiamur, & fac nobiscum secundum mansuetudinem tuam: quia non est confusio confidentibus in te, alleluia, alleluia.

Iniquitates nostræ, Domine, multiplicatæ sunt super capita nostra: delicta nostra creuerunt vsque ad cælos: parce Domine, & inclina super nos misericordiam tuam. *Psal. 37.*

B TIMOR & tremor venit in Niniuen ciuitatem magnam, per quem sceleratæ plebi indicitur ieiunium; & fluctuosa turba induitur cilicio. Contigit autem & regem nobilem de solio suo descendere, vt esset humilior cunctis lugentibus: & præcepit per vniuersum regnum, Omnes viri & sexus femineus non gustent quidquam, bos & pecora non pascantur herbis terræ, pueri & vituli non sugant matrum vbera: sed clament ad Deum in fortitudine tetris diebus, ne periclitemur vt Sodoma: sed tu Deus omnipotens, misericors & miseratot, misertus es miseris: nos sumus opera tua quæ dedisti filio tuo hereditatem sibi. Noli claudere aurem tuam ad preces nostras, sed subleua clemens afflictionem nostram, illud reuoluens quod nobis pollicitus es, dicens: Conuertimini ad me, & ego reuertar ad vos, alleluia. *Ione. 3. & 4.*

ORE MVS; dilectissimi nobis, Deum patrem omnipotentem vt cunctis mundum putC get erroribus, morbos auferat, famem repellat, aperiat carcerem, vincula dissoluat, peregrinantibus reditum, infirmantibus sanitatem, nauigantibus portum salutis indulgeat, & pacem tribuat in diebus nostris, insurgentesq. repellat inimicos: & de manu inferni libera nos propter nomen tuum, alleluia, alleluia.

CONVERTIMINI ad Deum omnes simul mundo corde & animo, in orationibus, in ieiunijs, in vigilijs multis. Fundite preces vestras cum lacrymis, vt deleantur chirographa peccatorum vestrorum, priusquam nobis repentinus superueniat interitus, antequam nos profundum mortis absorbeat: vt quum creator noster aduenerit, paratos nos inueniat, alleluia.

DIMITTE nobis Domine debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, *Matth.6.* & ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo, ab omni malo, Amen.

D alleluia.

Cognoscimus Domine quia peccauimus: veniam petimus, quam non metemut: manum tuam porrige lapsis, qui latroni confitenti paradisi ianuam aperuisti, alleluia.

PROPITIVS esto Domine peccatis nostris propter nomen tuum, ne quando di- *Psal. 78.* cant gentes, Vbi est Deus eorum?

SVPER populum tuum, quæsumus Domine, benedictio copiosa descendat, indulgentia veniat, consolatio tribuatur, fides sancta succrescat, redemptio sempiterna firmetur, alleluia.

SALVATOR mundi, salua nos omnes: Sancta Dei genitrix, semper virgo Matia, ora pro nobis. Precibus quoque Apostolorum, martyrumq. omnium & confessorū, atque sanctarum virginum, suppliciter petimus, vt a malis omnibus eruamur, bonisq. omnibus

E nunc & semper perfrui mereamur, alleluia.

LIBERA Domine populum tum de manu mortis, & plebem istam protegat dextera tua, vt viuentes, benedicamus te Domine Deus noster.

DOMINE Deus rex omnipotens, libera nos propter nomen tuuum, & da nobis locum pœnitentiæ.

DOMINE, non est alius Deus præter te, & quia tibi de omnibus cura est, & quod omnium Dominus es, parce populo tuo, qui das peccantibus largitatem, vt conuertantur a malitia in bonitatem.

MISERERE Domine plebi tuæ, super quam inuocatur nomen tuum, vt sciant omnes qui habitant terram, quia tu es Deus populorum tuorum.

DIMITTE Domine peccata populi tui secundum multitudinem misericordiæ tuæ, sicut propitius fuisti patribus nostris, propitius esto & nobis.

Clementissime exaudi Domine populum tuum. Deus misereatur. adimplebitur glo- A
ria tua vniuersa terra.

OMNIPOTENS Deus, mæstorum consolatio, laborantium fortitudo, perueniant ad te preces de quacumque tribulatione clamantium, vt omnes sibi in necessitatibus suis misericordiam tuam gaudeant adfuisse, alleluia.

DEPRECAMVR te Domine in omni misericordia tua, vt auferatur furor tuus, & ira tua a ciuitate tua ista, & de domo sancta tua, quoniam peccauimus, alleluia.

Saluator mundi, salua nos supplices tuos, defende populum tuo sanguine redemptum: libera nos Christe a periculis, donans nobis vitam æternam.

Christe qui regnas in cælis, & sedes ad dexteram patris, & habitas inter angelos & archangelos, thronos & dominationes. Et Apostoli tui te laudant & martyres, tibi hymnum cantant. Confessores in paradiso, voce concordant & dicunt: O beati omnes, qui B
gloriam Deo dicunt, & habitant cum eo in pace, quia omnes qui propter Deum laborauerunt in terrenis, illos producis ad cælestia regna: nos autem oportet te laudare & benedicere, quia nos, de terra ad cælos vocare dignatus es, alleluia.

Domine rex, Deus Abraam, dona nobis pluuiam super faciem terræ, vt discat populus iste, quia tu es Dominus Deus noster. Numquid est in idolis gentium qui pluat, nisi tu Deus? aut cæli possunt dare pluuiam, nisi tu volueris? tu es Dominus Deus noster, quem expectabamus, dona nobis pluuiam.

Psal.83. Ibunt sancti de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum, alleluia, in Sion. Iuxta
Ioel. 2. vestibulum. Immutemur.

Peccauimus Domine, peccauimus tibi: parce peccatis nostris, & salua nos: qui gubernasti Noe super vndas diluuij, exaudi nos: qui Ionam de abysso reuocasti, libera nos: qui C
Petro mergenti manum porrexisti, auxiliare nobis Christe fili Dei.

Exaudi nos Domine, qui exaudisti Ionam de ventre ceti: exaudi nos clamantes, qui exaudisti Dauid prostratum & iacentem in cilicio: clamantes & dicentes: Parce parce, & defende plasma tuum Deus noster, alleluia.

Ambulate sancti Dei ad locum destinatum, qui vobis præparatus est ab origine mundi: Ambulate sancti dei, ingredimini in ciuitatem Domini: ædificata est enim vobis Ecclesia noua, vbi populus adorare debeat maiestatem Domini.

Matth. 14. AMBVLABAT Petrus super vndas maris, venit ventus validus, turbata est aqua: præ timore clamat: Iube me venire ad te: Ait illi Iesus: Veni modicæ fidei, quare dubitasti?

PLACET Hierusalem ciuitas sancta, ornamento martyrum decorata, cuius plateæ sonant laudes de die in diem. D

TV es Domine Saluator, qui paralyticum longo tempore iacentem, solo sermone sanasti: iube ergo Domine, vt liberemur a tempore malo: peccauimus tibi, precamur nunc, da nobis indulgentiam pijssime pater, alleluia.

Matth. 24. QVVM venerit filius hominis in sede maiestatis suæ, & cœperit iudicare sæculum per ignem, tunc adsistet ante eum omnis chorus angelorum, & congregabuntur ante eum omnes gentes, tunc dicet his qui a dextris erunt: Venire benedicti patris mei, possidete præparatum vobis regnum a constitutione mũdi: & ibunt impij in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam, & regnabunt cum Deo in sæcula.

Psal.9. ANNVNCIATE inter gentes gloriam eius, alleluia: quoniam magnus est Dominus. alleluia: gaudebunt.

Exo.15. IN sanctis gloriosus est Deus noster, quis similis tibi sanctimonium tuum Domine, E
quod præparauerunt manus tuæ Domine, qui regnas in æternum & in sæculum & adhuc & omnia quæ in eis sunt, alleluia.

SICVT pastor portabat ouem perditam, sic portabam & complectebar vos, dicit Dominus. ego feci, ego feram vos, ego creaui vos, ego redemi vos, ego reficiam vos, ego sustinui, ego dimittam peccata vestra. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth, qui per Spiritũ sanctum descendit in vterum virginis, & natus est Dei filius, redemptor Israel.

SALVVM fac populum tuum Domine, & benedic hereditati tuæ, & rege eos, & extolle illos vsque in æternum, alleluia.

OMNIPOTENS Deus, supplices te rogamus & petimus, vt intercessio archangelorum sit pro nobis ad Dominum, Michaelis, & Gabrielis, & Raphaelis, vt digni offeramus Domino hostias ad altare, & appareamus ante Saluatorem per intercessionem nouem

ordinum

A ordinum Angelorum. Throni & Dominationes & Principatus, & Poteſtates, Cherubin quoque & Seraphin intercedant pro nobis, qui non ceſſant clamare voces: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, qui regnas ſine fine, dignare famulos tuos hodie exaudire, alleluia.

BENEDICAT nos trina Maieſtas Domini, benedicat nos Spiritus ſanctus, qui in ſpecie columbæ in Iordane fluuio ſuper Chriſtum requieuit: ille nos benedicat, qui de cælis dignatus eſt deſcendere in terris, & de ſuo ſancto ſanguine nos redemit, benedicat Dominus ſacerdotium noſtrum & introitum noſtrum, alleluia.

NAT. S. VITALIS.

ANTIPH. Protexiſti me Deus. PSAL. Exaudi. ALL. Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius cupit nimis. *Pſal. 63.* ALL. Iuſtus non conturbabitur, quia Dominus firmat manum eius. *Pſal. 63.* OFF. Repleti ſumus mane miſericordia tua, & exultauimus & delectati ſumus, alleluia. *Pſal. 89.* VERS. I. Domine, refugium factus es nobis a generatione & progenie. VER. II. Priuſquam montes fierent, aut formaretur orbis terræ, a ſæculo & in ſæculum tu es Deus, alleluia. AD COM. Ego ſum vitis vera, & vos palmites. qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, alleluia, alleluia. *Ioan. 15.* PSAL. Exaudi Deus deprecationem.

B

NAT. SANCTORVM APOSTOLORVM PHILIPPI ET IACOBI.

ANTIPH. Exclamauerunt ad te Domine in tempore afflictionis ſuæ, & tu de cælo exaudiſti eos, alleluia, alleluia. *Pſal. 33. & 106.* PSAL. Exultate iuſti in Domino, rectos decet conlaudatio. *Pſal. 32.* ALL. Confitebuntur. *Pſal. 88.* ALL. Nimis honorati ſunt. *Pſal. 138.* OFF. Confitebuntur cæli mirabilia tua Domine, & veritatem tuam in eccleſia ſanctorum. VERS. I. Miſericordias tuas Domine. VERS. II. Quoniam quis in nubibus. *Pſal. 88.* AD COM. Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſtis me? Philippe, qui videt me, videt & patrem, alleluia. *Ioan. 14.* non credis quia ego in patre, & pater in me eſt? alleluia, alleluia. PSAL. vt ſupra.

C

INVENTIO SANCTÆ CRVCIS.

ANTIPH. Nos autem gloriari oportet. *Gal. 6.* PSAL. Dominus regnauit, decorem induit: indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe virtute. *Pſal. 92.* ALL. Dicite in gentibus, quia Dominus regnauit a ligno. *Pſal. 117.* OFF. Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me: non moriar, ſed viuam, & narrabo opera Domini. AD COM. Nos autem gloriari oportet in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. *Gal. 6.*

D

EODEM DIE NAT. SANCTORVM IVVENALIS, ALEXANDRI ET EVENTII.

ANTIPH. Clamauerunt iuſti, & Dominus exaudiuit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum, liberauit eos. *Pſal. 33.* PSAL. Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. RESP. Glorioſus Deus in ſanctis, mirabilis in maieſtate, faciens prodigia. *Exo. 15.* VERS. Dextera tua Domine glorificata eſt in virtute, dextera manus tua confregit inimicum. *Pſal. 117.* OFF. Repleti ſumus mane miſericordia tua. VERS. I. Domine, refugium. VERS. II. Priuſquam montes fierent. AD COM. Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum maliriæ. viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace. *Sap. 3.* PSAL. Exultate iuſti in Domino.

E

NAT. SANCTORVM GORDIANI ET EPIMACHI.

ANTIPH. Sancti tui, Domine, benedicent te. PSAL. Exaltabo te Deus meus rex, & benedicam nomen tuum in ſæculum, & in ſæculum ſæculi. *Pſal. 144.* RESP. Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt. *Sap. 3.* VERS. Viſi ſunt oculis. ALL. Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis. *Pſal. 149.* OFF. Mirabilis Deus in ſanctis ſuis: Deus Iſrael ipſe dabit virtutem & fortitudinem plebi ſuæ, benedictus Deus. *Pſal. 67.* VERS. I. Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum, a facie eius: VERS. II. Pereant peccatores a facie Dei: iuſti epulentur, exultent in conſpectu Dei, delectentur in lætitia. AD COM. Iuſtorum animæ. *Sap. 32.* PSAL. vt ſupra.

NAT. SANCTORVM NEREI, ACHILLEI ET PANCRATII.

ANTIPH. Ecce oculi Domini ſuper metuentes eum, ſperantes in miſericordia eius allel. vt eripiat a morte animas eorum, quoniã adiutor & protector noſter eſt, allel. allel. *Pſal. 32.*

Psal. 33. PSAL. Exultate iusti in Domino. RESP. Clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit A
eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos. VERS. Iuxta est Dominus his
Psal. 144. qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit, alleluia. Sancti tui Domine bene-
Psal. 88. dicent te, gloriam regni tui dicent. OFF. Confitebuntur cæli. VERS. I. Misericordias
Psal. 32. tuas Domine. VERS. tt. Quoniam quis in nubibus. AD COM. Gaudete iusti in Do-
mino. VERS. Fiat misericordia tua Domine.

DEDICATIO BASILICÆ SANCTÆ MARIÆ.

Gen. 28. ANTIPH. Terribilis est locus iste: hic domus Dei est & porta cæli, & vocabitur aula
Psal. 92. Dei, alleluia. PSAL. Dominus regnauit, decorem. RESP. Locus iste a Deos factus
est inæstimabile sacramentum, inreprehensibilis est. VERS. Deus cui adstat angelorum
Psal. 137. chorus, exaudi preces seruorum tuorum. ALL. Adorabo ad templum. OFF. Domine B
1. Par. 2. Deus, in simplicitate cordis mei lætus obtuli vniuersa, & populum tuum qui respectus est,
vidi cum ingenti gaudio: Deus Israel, custodi hanc voluntatem. Domine Deus.
VERS. I. Maiestas Domini ædificauit templum, & omnes filij Israel videbant gloriam.
3. Reg. 12. VERS. tI. Fecit Salomon solemnitatem in tempore illo. AD COM. Domus mea do-
Matth. 21. mus orationis vocabitur, dicit Dominus: in ea omnis qui petit, accipit: & qui quærit,
inuenit: & pulsanti aperietur. PSAL. vt supra.

NAT. SANCTÆ POTENTIANÆ.

Psal. 44. ANTIPH. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem. PSAL. Eructauit cor meum.
RESP. Dilexisti iustitiam. VERS. Propterea vnxit. ALL. Specie tua. OFF. Offeren-
tur regi virgines. AD COM. Diffusa est gratia.) C

AD MISSAM.

Psal. 17. ANTIPH. Exaudiuit de templo sancto suo vocem meam, alleluia, & clamor meus
Psal. 14. in conspectu eius introiuit in aures eius, alleluia, alleluia. PSAL. Diligam te Domi-
ne fortitudo mea: Dominus firmamentum meum. & refugium meum, & liberator meus.
Psal. 105. ALL. Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.
Psal. 108. OFF. Confitebor Domino nimis in ore meo, & in medio multorum laudabo eum, qui
adstitit ad dexteram pauperis: vt saluam faceret a persequentibus animam meam, allel.
VERS. I. Adiuua me Domine Deus meus, saluum me fac propter misericordiam tuam,
vt sciant quia manus tua hæc, tu Domine fecisti eam. VERS. It. Qui insurgunt in me,
confundantur. seruus tuus lætabitur: induantur, qui detrahebant mihi, reuerentia.
Luc. 11. AD COM. Petite, & accipietis: quærite, & inuenietis: pulsate & aperietur vobis: omnis D
enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur, alleluia.

VIGILIA ASCENSIONIS DOMINI.

Psal. 46. ANTIPH. Omnes gentes, plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis.
PSAL. Subiecit populos nobis, & gentes sub pedibus nostris. ALL. Omnes gentes.
Act. 1. OFF. Viri Galilæi, quid admiramini adspicientes in cælum? Hic Iesus qui assumptus est
a vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum ascendentem in cælum, allel.
VERS. Cumq. intuerentur in cælum euntem illum: ecce duo viri adstiterunt iuxta illos
in vestibus albis, qui & dixerunt: Sic veniet, quemadmodum vidistis eum ascendentem
Ioan. 17. in cælum, alleluia. AD COM. Pater, cum essem cum eis, ego seruabam eos, quos dedisti
mihi, allel. Nunc autē ad te venio: non rogo vt tollas eos de mūdo, sed vt serues eos a malo. E

DIE SANCTO ASCENSIONIS.

Act. 1. ANTIPH. Viri Galilæi, quid admiramini adspicientes in cælum? alleluia. quemad-
modum vidistis eum ascendentem in cælum, ita veniet, alleluia, alleluia, alleluia.
Psal. 46. PSAL. Omnes gentes, plaudite manibus, iub. AD RESP. Ascendit Deus in iubilo, &
Dominus in voce tubæ. VERS. Psallite Deo nostro, psallite, psallite sapienter. ALL. Ascen-
Psal. 123. dit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ. Item aliud. ALL. Dominus in Sina
in sancto, ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem. OFF. Ascendit Deus in
iubilatione, Dominus in voce tubæ, alleluia. VERS. t. Omnes gentes, plaudite mani-
Deu. 5. bus, iubilate Deo in voce exultationis. VERS. II. Quoniam Dominus summus terribilis,
rex magnus super omnem terram. VERS. ttI. Subiecit populos nobis, & gentes sub pe-
dibus nostris. Item aliud. OFF. Viri Galilæi, quid admiramini adspicientes in cælum?

VERS.

A VERS. Cumq. intuerentur, vt ſupra. AD COM. Pſallite Domino qui aſcendit ſuper cælos cælorum ad Orientem, alleluia. AD RESP. Date gloriam Deo ſuper Iſrael. *Pſal. 67.*

DOMINICA POST ASCENSIONEM.

ANTIPH. Exaudi Domine vocem meam, qua clamaui ad te, alleluia: tibi dixit cor meum, quæſiui vultum tuum: vultum tuum Domine requiram: ne auertas faciem tuam a me, alleluia, alleluia. PSAL. Dominus illuminatio mea, & ſalus mea. quem timebo? ALL. Qui confidunt in Domino. OFF. Lauda anima mea Dominum. AD COM. Pater, cum eſſem. *Pſal. 26. Pſal. 124. Pſal. 145. Ioan. 17.*

NATAL. S. VRBANI.

ANTIPH. Sacerdotes tui, Domine, induantur iuſtitiam, & ſancti tui exultent. Propter
B Dauid ſeruum tuum, non auertas faciem Chriſti tui. PSAL. Memento Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius. RESP. Inueni Dauid ſeruum meum, oleo ſancto meo vnxi eũ: manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum. VERS. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. ALL. Memento Domine Dauid, &c. OFF. Veritas mea & miſericordia mea cum ipſo, & in nomine meo exaltabitur cornu eius. VERS. Poſui adiutorium in potente, & exaltaui electum de plebe mea. AD COM. Fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis in tempore tritici menſuram. PSAL. vt ſupra. *Pſal. 131. Pſal. 88. Pſal. 131. Pſal. 88. Matt. 24.*

SABBATO IN VIGIL. PENTECOST. STATIO AD SANCTVM IOANNEM.

C Ad introitum Litania. Deinde.

RESP. Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius. TRACTVS. Laudate Dominum omnes gentes, laudate eũ omnes populi. VERS. Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius, & veritas Domini manet in æternum. OFF. Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur: & renouabis faciem terræ: ſit gloria Domini in ſæcula. VERS. I. Benedic anima mea Domino: Domine Deus meus, magnificatus es vehementer. VERS. II. Confeſſionem & decorẽ induiſti, amictus lumine ſicut veſtimento. VERS. III. Extendens cælos ſicut pellem, qui tegis in aquis ſuperiora eius, qui ponis nubem aſcenſum tuum. AD COM. Vltimo feſtiuitatis die dicebat Ieſus: Qui in me credit, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de ſpiritu, quem accepturi erant credentes in eum, alleluia, alleluia. PSAL. Benedic anima mea Domino. *Pſal. 106. Pſal. 116. Pſal. 103. Ioan. 7. Pſal. 103.*

D

DOMINICA PENTECOSTES.

ANTIPH. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum alleluia, & hoc quod continet omnia, ſcientiam habet vocis, allel. allel. allel. PSAL. 67 AD RESP. Confirma hoc Deus. ALL. Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur: & renouabis faciem terræ. RESP. Hæc dies quam. OFF. Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis: a templo tuo quod eſt in Hieruſalem, tibi offerent reges munera. VERS. I. Cantate Domino, pſalmum dicite nomini eius, iter facite ei qui aſcendit ſuper occaſum, Dominus nomen illi. VERS. II. In eccleſijs benedicite Domino Deo de fontibus Iſrael. VERS. III. Regna terræ, cantate Deo. pſallite Domino, qui aſcendit cælos cælorum ad Orientem. AD COM. Factus eſt repente de cælo ſonus aduenientis ſpiritus vehementis, vbi erant ſedentes, alleluia. & repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto, loquentes magnalia Dei, allel. allel.
E PSAL. vt ſupra. *Sap. 1. Pſal. 117. Pſal. 67. Act. 2.*

FERIA SECVNDA.

ANTIPH. Cibauit eos ex adipe frumenti, alleluia: & de petra melle ſaturauit eos, alleluia, alleluia, alleluia. PSAL. Exultate Deo adiutori noſtro, iubilate Deo Iacob. ALL. Venite, exultemus Domino, iubilemus Deo ſalutari noſtro. VERS. Præoccupemus faciem eius in confeſſione, & in pſalmis iubilemus ei. ALL. Laudate pueri Dominum. OFF. Intonuit de cælo Dominus, & altiſſimus dedit vocem ſuam, & apparuerunt fontes aquarum, alleluia. VERS. Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum & refugium meum, & liberator meus. VERS. II. Liberator meus de gentibus iracundis. AD COM. Spiritus ſanctus docebit vos, alleluia. quæcumque dixero vobis, alleluia. PSAL. &c. *Pſal. 80. Pſal. 94. Pſal. 112. Pſal. 117. Ioan. 14.*

FERIA TERTIA. A

4. Esdr. 2. ANTIPH. Accipite iocunditatem lætitiæ veſtræ, alleluia, gratias agentes Deo, alleluia;
Pſal. 77. qui vos ad cæleſtia regna vocauit, alleluia, alleluia, alleluia. PSAL. Adtendite populus meus
legem meam, inclinate aurem veſtram in verba oris mei. ALL. Lauda Hieruſalem Domi-
Pſal. 147. num; lauda Deum tuum Sion. ALL. Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum
Pſal. 145. in vita mea, pſallam Deo meo quamdiu ero. OFF. Portas cæli aperuit Dominus, & pluit
Pſal. 77. illis manna vt ederent: panem cæli dedit illis, panem angelorum manducauit homo,
VERS. I. Adtendite populus meus legem meam. VERS. II. Aperiam in parabola os
Ioan 15. meum, loquar propoſitiones ab initio. AD COM. Spiritus qui a patre procedit, alleluia;
ille me clarificabit, alleluia, alleluia. PSAL. vt ſupra.

FERIA QVARTA.

ANTIPH. Deus cum egredereris coram populo tuo, alleluia: iter faciens eis, alleluia: ha- B
Pſal. 67. bitans in illis, alleluia, alleluia. PSAL. Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius: & fugiāt,
qui oderunt eum, a facie eius. ALL. Quale volueris, ſi in diebus ieiunij euenerit. RESP. Pro-
tector noſter. VERS. Domine Deus virtutum. RESP. Conuertere Domine. VERS. Do-
mine refugium. OFF. Meditabar in mandatis tuis quæ dilexi. VERS. Pars mea Domi-
Ioan. 14. nus, dixi cuſtodire legem tuam. AD COM. Pacem meam do vobis, alleluia: pacem re-
linquo vobis, alleluia, alleluia. PSAL. vt ſupra.

FERIA QVINTA VACAT.

FERIA SEXTA.

ANTIPH. Repleatur os meum laude tua, alleluia: vt poſſim cantare, alleluia, gaudebunt
Pſal. 70. labia mea, cum cantauero tibi, alleluia, alleluia. PSAL. In te Domine ſperaui, non confun- C
dar in æternum: in iuſtitia tua libera me, & eripe me. ALL. Quod volueris, ſi in diebus ie-
Pſal. 91. iunij euenerit. RESP. Bonum eſt confiteri Domino, & pſallere nomini tuo altiſſime,
VERS. Ad annunciandum mane miſericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem.
Pſal. 145. OFF. Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea, pſallam Deo meo
quandiu ero. VERS. I. Qui cuſtodit veritatem in ſæculum, facit iudicium iniuriam pa-
tientibus, dat eſcam eſurientibus. VERS. II. Dominus erigit eliſos, Dominus diligit iuſtos.
Ioan. 3. AD COM. Spiritus vbi vult, ſpirat, & vocem eius audis, alleluia: & neſcis vnde veniat,
& quo vadat, alleluia, alleluia, alleluia. PSAL. vt ſupra.

SABBATO IN XII. LECT.

Rom. 5. ANTIPH. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, alleluia: per inhabitantem ſpi- D
Pſal. 87. ritum eius in nobis, alleluia, alleluia. PSAL. Domine Deus ſalutis meæ, in die clamaui &
nocte coram te. RESP. Protector noſter. VERS. Domine Deus virtutum. RESP. Propitius
eſto Domine. VERS. Adiuua nos Deus ſaluaris noſter. RESP. Conuertere Domine.
VERS. Domine, refugium factus es nobis. RESP. Dirigatur oratio. VERS. Eleuatio
manuum mearum ſacrificium veſpertinum. RESP. Benedictionem &. OFF. Domine
Deus ſalutis meæ, in die clamaui & nocte coram te: intret oratio mea in conſpectu tuo
Domine. ALL. Inclina aurem tuam ad precem meam, quia repleta eſt malis anima mea,
& vita mea in inferno adpropinquauit: æſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum.
VERS. II. Factus ſum ſicut homo ſine adiutorio inter mortuos liber: ſicut vulnerati dor-
mientes in ſepulchris, quorum non es memor amplius, & ipſi de manu tua repulſi ſunt.
Ioan. 14. AD COM. Non vos relinquam orphanos. veniam ad vos iterum, alleluia, & gaudebit cor E
Pſal. 77. veſtrum, alleluia, alleluia. PSAL. Adtendite populus meus.

NAT. SANCTORVM MARTYRVM MARCELLINI ET PETRI.

ANTIPH. Clamauerunt iuſti, & exaudiuit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum
Pſal. 33. liberauit eos. PSAL. Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore
meo. RESP. Clamauerunt iuſti. VERS. Iuxta eſt Dominus his qui tribulato ſunt
corde, & humiles ſpiritu ſaluabit. ALL. Sancti tui Domine benedicent te, gloriam re-
gni tui dicent. OFF. Lætamini in Domino, & exultate iuſti, & gloriamini omnes recti
Sap. 5. corde. AD COM. Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum
malitiæ. viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace.

NAT.

A

NAT. SANCTORVM MART. PRIMI ET FELICIANI.

ANTIPH. Sapientiam sanctorum narrent populi,& laudem eorum nunciet ecclesia, nomina autem eorum viuent in sæculum sæculi, allel. PSAL. Exultate iusti in Domino, rectos decet conlaudatio. RESP. Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. VERS. Cantate Domino canticum nouum, laus eius in ecclesia sanctorum. ALL. Gaudete iusti in Domino, rectos decet conlaudatio. OFF. Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus, allel. VERS. I. Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius: & fugiant qui oderunt eum, a facie eius. VERS. II. Pereant peccatores a facie Dei: iusti epulentur, exultent in conspe-
B ctu Dei, delectentur in lætitia. AD COM. Ego vos elegi de mundo, vt eatis, & fructum adferatis, & fructus vester maneat. *Eccl.44. Psal.32. Psal.149. Psal.32. Psal.67. Ioan.15.*

NAT. SANCTI BASILIDIS MARTYRIS.

ANTIPH. Gloria & honore coronasti eum Domine, & constituisti eum super opera manuum tuarum. PSAL. Domine, in virtute tua lætabitur rex, & super salutare tuum exultabit vehementer. OFF. In virtute tua Domine lætabitur iustus. VERS. I. Vitam petijt. VERS. II. Magna est gloria eius in salutari. AD COM. Posuisti Domine in capite eius coronam de lapide pretioso. *Psal.8. Psal.20. Ibidem.*

EODEM DIE NAT. SANCTORVM CYRINI NABORIS. ET NAZARII.

C

ANTIPH. Intret in conspectu tuo, Domine, gemitus compeditorum: redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum: vindica Domine sanguinem sanctorum tuorum, qui effusus est. PSAL. Deus venerunt gentes in hereditatem tuam: polluerunt templum sanctũ tuum, posuerunt Hierusalē in pomorum custodiam. RESP. Vindica Domine sanguinem sanctorum tuorum, qui effusus est. VERS. Posuerunt mortalia seruorum tuorum, escas volatilibus cæli: carnes sanctorum tuorum bestijs terræ. ALL. Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. OFF. Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis, exultationes Dei in faucibus eorum. VERS. Cantate Domino canticum nouum, laus eius in ecclesia sanctorum. lætetur Israel in eo qui fecit eum, & filiæ Sion exultent in rege suo. AD COM. Posuerunt mortalia seruorum tuorum, Domine, escas vola-
D tilibus cæli, carnes sanctorum tuorum bestijs terræ: secundum magnitudinem brachij tui, posside filios morte punitorum. *Psal.78. Ibidem. Psal.149. Psal.78.*

NAT. SANCTORVM MARCI ET MARCELLIANI.

ANTIPH. Salus autem iustorum a Domino, & protector eorum est in tempore tribulationis. PSAL. Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem. RESP. Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum malitiæ. VERS. Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace. ALL. Sancti tui Domine. OFF. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est, & nos liberati sumus. VERS. I. Nisi quia Dominus. VERS. II. Torren-
E tem pertransijt anima nostra. AD COM. Amen dico vobis, quòd vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, venite benedicti patris mei, possidete præparatum vobis regnum ab initio sæculi. Item alia: Ego vos elegi de mundo, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. PSAL. vt supra. *Psal.36. Sap.3. Psal.144. Psal.123. Matth.35. Ioan.15.*

NAT. SANCTORVM GERVASII ET PROTASII.

ANTIPH. Loquetur Dominus pacem in populo suo, & super sanctos suos, & in eos qui conuertuntur ad ipsum. PSAL. Benedixisti Domine terram tuam, auertisti captiuitatem Iacob. RESP. Glorioſus Deus in sanctis suis, mirabilis in maiestate, faciens prodigia. VERS. Dextera tua, Domine, glorificata est in virtute: dextera manus tua confregit inimicos. ALL. Gaudete iusti in Domino. OFF. Lætamini in Domino, & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde. VERS. Pro hac orauit ad te omnis sanctus in tempore oportuno. AD COM. Posuerunt mortalia. *Psal.84. Psal.84. Psal.32. Psal.31. Psal.78.*

IN

IN VIGILIA SANCTI IOANNIS BAPTISTAE.

A

Luc. 1. ANTIPH. Ne timeas Zacharia: exaudita est oratio tua, & Elizabeth vxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem: & erit magnus coram Domino, & spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ, & multi in natiuitate eius gaudebunt. Psal. 20. PSAL. Domine, in virtute tua lætabitur rex, & super salutare tuum exultabit vehementer. Ioan. 1. RESP. Fuit homo missus a Deo, cui nomen Ioannes erat. hic venit. Psal. 8. VERS. Vt testimonium perhiberet de lumine, & parare Domino plebem perfectam. Psal. 20. OFF. Gloria & honore ⌣. VERS. Domine Dominus noster ⌣. AD COM. Magna est gloria eius PSAL. vt supra ⌣.

IN PRIMA MISSA DE NOCTE.

B

Psal. 91. ANTIPH. Iustus vt palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur. Plantatus in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri. PSAL. Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo altissime. RESP. Iustus vt palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur in domo Domini. VERS. Bonum est. OFF. In virtute tua Domine ⌣. AD COM. Posuisti Domine. PSAL. 20.

IN NATALI VNDE SVPRA 8. Kal. Iulij.

Psal. 49. ANTIPH. De ventre matris meæ vocauit me Dominus nomine meo, & posuit os meum vt gladium acutum: sub tegumento manus suæ protexit me, qui posuit me quasi Psal. 91. sagitã electam. PSAL. Bonum est confiteri Domino. AD RESP. Iustus vt palma. RESP. Priusquam te formarem in vtero, noui te: & antequam exires de ventre, sanctificaui te ⌣. Hiere. 1. VERS. Misit Dominus manum suam, & tetigit os meum, & dixit mihi. ALL. Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius cupit nimis. Psal. 111. OFF. Iustus vt palma florebit. Psal. 91. VERS. I. Bonum est. VERS. II. Ad adnunciandum mane. VERS. III. Plantati in Luc. 1. domo Domini. Item. OFF. Ingressus est Zacharias sacerdos in domo Domini ad horam incensi. Dixit ad eum angelus: Ne timeas, quia exaudita est oratio tua, & Elizabeth vxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem: quia in natiuitate eius multi gaudebunt, alleluia. VERS. Elizabeth venit tempus pariendi, & peperit filium, quia magnificauit Dominus misericordiam suam, cum venissent ad circumcidendum puerum. & vocabant eum nomine patris sui, respondente matre eius, Nequaquam: innuebant patri eius, quem vellet vocari eum: scripsit, dicens: Ioannes nomen eius erit. & mirati sunt omnes, quia apertum est os eius, & lingua eius, & loquebatur, benedicens Deum: Ibidem. quia in natiuitate eius multi gaudebunt. AD COM. Tu puer, propheta altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius. VERS. Ad dandam scientiam.

C

D

IN NAT. SANCTORVM IOANNIS ET PAVLI MART.

Psal. 33. ANTIPH. Multæ tribulationes iustorum: & de his omnibus liberauit eos Dominus: Dominus custodit omnia ossa eorum: vnum ex his non conteretur. PSAL. Benedicam Psal. 132. Domino in omni tempore, semper laus eius in ore meo. RESP. Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum: sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. VERS. Mandauit Dominus benedictionem & vitam vsque E Psal. 5. in sæculum. ALL. quale volueris. OFF. Gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum, quoniam tu Domine benedicis iustis. Domine vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti eos. VERS. I. Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum: intende voci orationis meæ, rex meus & Deus meus. VERS. II. Quoniam ad te orabo Domine, quoniam ad te clamabo Domine mane, & exaudies vocem meam. AD COM. Et Sap. 3. si coram hominibus tormenta passi sunt, Deus tentauit eos: tamquam aurum in fornace probauit eos. & sicut holocausta accepit eos. PSAL. vt supra.

VIGILIA S. PETRI.

Ioan. 21. ANTIPH. dicit Dominus Petro: Cum esses iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis. Hoc Psal. 18. autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum. PSAL. Cæli enarrant

gloriam

A gloriam Dei. RESP. In omnem terram exijt ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. VERS. Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius adnnunciat firmamentum. OFF. Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum. VERS. I. Domine probaſti me, & cognouiſti me, tu cognouiſti ſeſſionem meam & reſurrectionem meam. VERS. II. Intellexiſti cogitationes meas a longe, ſemitam meam & directionem meam inueſtigaſti. VERS. III. Ecce tu Domine cognouiſti omnia nouiſſima & antiqua, tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam. AD COM. Tues Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. *Ibidem.* *Pſal. 138.* *Pſal. 138.* *Matth. 16.*

3. Kal. Iulij. NAT. SANCTI PETRI.

B ANTIPH. Nunc ſcio vere, quia miſit Dominus angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum. PSAL. Domine probaſti me. RESP. Conſtitues eos principes ſuper omnem terram, memores erunt nominis tui Domine. VERS. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, propterea populi confitebuntur tibi. ALL. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Item ALL. Nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum. OFF. Conſtitues eos principes ſuper omnem terram, memores erunt nominis tui in omni progenie & generatione. VERS. I. Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. VERS. II. Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis. ſpecioſus forma præ filijs hominum, diffuſa eſt gratia in labijs tuis. VERS. III. Propterea benedixit te Deus in æternum. accingere gladio tuo circa femur potentiſſime. AD COM. Simon Ioannis, C diligis me plus his? Domine, tu omnia noſti, tu ſcis quia amo te, paſce oues meas. PSAL. vt ſupra. *Actu. 12.* *Pſal. 138.* *Pſal. 138.* *Pſal. 44.* *Matth. 16.* *Pſal. 138.* *Pſal. 44.* *Ioan. 21*

PRIDIE KAL. IVL. NAT. SANCTI PAVLI.

ANTIPH. Scio cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem. PSAL. Domine, probaſti. RESP. Qui operatus eſt Petro in apoſtolatum, operatus eſt & mihi inter gentes. & cognouerunt gratiam Dei, quæ data eſt mihi. VERS. Gratia Dei in me vacua non fuit, ſed gratia eius ſemper in me manet. ALL. Gaudete iuſti in Domino, rectos decet conlaudatio. OFF. Mihi autem nimis. AD COM. Amen dico vobis, quòd vos qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me: centuplum accipietis, & vitam æternam poſſidebitis. PSAL. vt ſupra. *Gal. 2.* *Pſal. 138.* *1. Cor. 15.* *Pſal. 132.* *Pſal. 138.* *Matth. 19.*

D [NAT. SANCTORVM PROCESSI ET MARTINIANI.

ANTIPH. Iudicant ſancti gentes, & dominantur populis, regnabit Dominus Deus illorum in perpetuum. PSAL. Exultate iuſti in Domino. RESP. Exultabunt ſancti in gloria. VERS. Cantate Domino. ALL. Mirabilis Dominus noſter in ſanctis ſuis. OFF. Gloriabuntur in te omnes. VERS. Verba mea. AD COM. Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium. PSAL. Niſi quia Dominus.] *Sap. 3.* *Pſal. 32.* *Pſal. 149.* *Pſal. 69.* *Pſal. 5.* *Pſal. 123.*

PRIDIE NONAS IVL. OCTAVA BEATORVM APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI.

E ANTIPH. Sapientiam ſanctorum narrent populi, & laudes eorum nunciet Eccleſia: nomina autem eorum viuent in ſæculum ſæculi. PSAL. Exultate iuſti in Domino. RESP. Iuſtorum animæ. VERS. Viſi ſunt oculis. ALL. Sancti tui, Domine, benedicent te: gloriam regni tui dicent. OFF. Exultabunt ſancti in gloria. AD COM. Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt. PSAL. vt ſupra. *Eccli. 44.* *Pſal. 32.* *Sap. 3.* *Pſal. 144.* *Pſal. 149.* *Sap. 3.*

SANCORVM SEPTEM FRATRVM.

ANTIPH. Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini, qui habitare facit ſterilem in domo, matrem filiorum lætantem. PSAL. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc & vſque in ſæculum. RESP. Anima noſtra ſicut paſſer. VERS. Laqueus contritus eſt. ALL. Laudate pueri Dominum. OFF. Anima noſtra. VERS. Niſi quia Dominus. AD COM. Quicumque fecerit voluntatem patris mei qui in cælis eſt, ipſe meus frater, ſoror, & mater eſt, dicit Dominus. PSAL. vt ſupra. *Pſal. 112.* *Pſal. 123.* *Pſal. 112.* *Pſal. 123.* *Matth. 12.*

SAN-

SANCTI BENEDICTI NAT.

A

Psal. 91. ANTIPH. Iustus vt palma. PSAL. Bonum est confiteri. RESP. Inueni Dauid ser-
Psal. 88. uum meum, oleo sancto meo vnxi eum. manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium
meum confortabit eum. VERS. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non
nocebit ei. ALL. Dispossui testamentum electis meis. iuraui Dauid seruo meo. OFF. In-
Matt. 24. ueni Dauid. AD COM. Beatus seruus, quem cum venerit Dominus, inuenerit illum vi-
gilantem: amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.]

SANCTÆ PRAXEDIS.

Psal. 118. ANTIPH. Loquebar de testimonijs tuis in conspectu regum, & non confundebar: &
Psal. 44. meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi nimis. PSAL. Beati immaculati in via. B
RESP. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem. VERS. Propterea vnxit te Deus, Deus
tuus oleo lætitiæ. ALL. Specie tua & pulchritudine tua intende prospere, procede & re-
Matth. 13. gna. OFF. Diffusa est gratia. AD COM. Simile est regnum cælorum homini negotia-
tori, quærenti bonas margaritas: inuenta vna pretiosa margarita, dedit omnia sua, &
comparauit eam. PSAL. vt supra.

NATAL. S. APOLLINARIS.

ANTIPH. Sacerdotes Dei, benedicite Domino, sancti & humiles corde, laudate
Psal. 88. Deum. PSAL. Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. RESP. Inue-
Psal. 131. ni Dauid seruum meum. VERS. Nihil proficiet inimicus in eo. ALL. Memento Do-
Psal. 88. mine Dauid. OFF. Veritas mea & misericordia. AD COM. Semel iuraui in sancto C
Ibidem. meo, semen eius in æternum manebit: & sedes eius sicut sol in conspectu meo, & sicut lu-
na perfecta in æternum, & testis in cælo fidelis. PSAL. Misericordias Domini.

NATAL. S. FELICIS.

Eccl. 44. ANTIPH. Sacerdotes eius induantur iustitia, & sancti eius exultatione exultabunt.
Psal. 88. PSAL. Memento Domine Dauid. RESP. Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis
Matth. 24. placuit Deo. VERS. Non est inuentus similis illi qui conseruaret legem excelsi.
OFF. Veritas mea & misericordia mea cum ipso, & in nomine meo exaltabitur cornu
eius. AD COM. Beatus seruus. PSAL. vt supra.

EODEM DIE NATAL. SS. SIMPLICII, FAVSTINI, ET BEATRICIS. D

ANTIPH. Sapientiam sanctorum narrent populi. PSAL. Exultate iusti in Domino.
Psal. 33. RESP. Clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit eos: & de omnibus tribulationibus eo-
rum liberauit eos. VERS. Iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde, & humiles
Psal. 144. spiritu saluabuntur. ALL. Sancti tui Domine. OFF. Gloriabuntur in te omnes.
Ioan. 15. AD COM. Ego vos elegi.]

NATAL. SANCTORVM ABDON ET SENNES.

Psal. 78. ANTIPH. Intret in conspectu tuo Domine gemitus compeditorum. PSAL. Deus,
Exod. 15. venerunt gentes. RESP. Gloriosus Deus in sanctis suis. VERS. Dextera tua Domine. E
Psal. 117. ALL. Sancti tui Domine. OFF. Mirabilis Deus in sanctis suis. AD COM. Posuerunt
Psal. 67. mortalia sanctorum. PSAL. Deus, venerunt.
Psal. 78.

[S. PETRI AD VINCVLA.

Matth. 16. ANTIPH. Salus populi. PSAL. Attendite populus meus legem meam. RESP. Saluum
Psal. 77. fac populum. VERS. Ad te Domine clamaui. ALL. Tu es Petrus, & super hanc pe-
tram ædificabo ecclesiam meam. OFF. Populum humilem saluum facies & oculos su-
perborum humiliabis. AD COM. Domine, si tu es.)

NATAL. S. STEPHANI PAPÆ.

Psal. 91. ANTIPH. Iustus vt palma. PSAL. Bonum est confiteri Domino. RESP. Iustus

non

A non conturbabitur, quia Dominus firmat manum eius. VERS. Tota die miseretur & commodat, & semen eius in benedictione erit. ALL. Disposui testamentum electis meis, iuraui Dauid seruo meo. OFF. Inueni Dauid seruum meum. AD COM. Domine, quinque talenta tradidisti mihi: ecce alia quinque superlucratus sum: euge serue fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.] *Psal. 88. Matth. 25. & 25.*

ALIA.

ANTIPH. Sacerdotes eius induam salutari. PSAL. Memento Domine Dauid. *Psal. 131.* RESP. Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium. VERS. Lex *Psal. 36.* Dei eius in corde ipsius, & non supplantabuntur gressus eius. OFF. Inueni Dauid. *Psal. 88.* VERS. I. Potentes Domine. VERS. II. Veritas mea & misericordia mea. AD COM. Do- *Matth. 25.* mine, quinque talenta tradidisti mihi. PSAL. vt supra.

B

NATAL. S. XYSTI PAPÆ.

ANTIPH. Sacerdotes Dei, Benedicite Domino. PSAL. Memento Domine Dauid. *Dan. 3.* RESP. Sacerdotes eius induam salutari: & sancti eius exultatione exultabunt. VER. Illuc producam cornu Dauid, paraui lucernam Christo meo. ALL. Inueni Duid. OFF. In- *Psal. 88.* ueni Dauid. AD COM. Fidelis seruus & prudens quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram. PSAL. vt supra. *Matth. 25.*

EODEM DIE NAT. SANCTORVM FELICISSIMI ET AGAPITI.

ANTIPH. Salus autem iustorum a Domino, & protector eorum est in tempore tribu- *Psal. 26.*
C lationis. PSAL. Noli æmulari in malignantibus. RESP. Iustorum animæ in manu *Sap. 3.* Dei sunt. VERS. Visi sunt oculis insipientium mori. ALL. Cantate Domino canticum *Psal. 149.* nouum, laus eius in ecclesia sanctorum. OFF. Gloriabuntur in te omnes qui diligunt *Psal. 5.* nomen tuum, quoniam tu Domine benedices iusto: Domine, vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos. VERS. I. Verba mea auribus. VERS. II. Quoniam ad te orabo *Psal. 5.* Domine. AD COM. Ego elegi vos de mundo. PSAL. vt supra. *Ioan. 5.*

NATAL. S. CYRIACI.

ANTIPH. Timete Dominum omnes sancti eius, quoniam nihil deest timentibus *Psal. 33.* eum: diuites eguerunt, & esurierunt: inquirentes autem Dominum, non deficient omni bono. PSAL. Benedicam Domino in omni tempore, semper laus eius in ore meo. *Psal. 33.*
D RESP. Timete Dominum omnes sancti eius, quoniam nihil deest timentibus eum. VERS. Inquirentes autem Dominum, non deficient omni bono. ALL. Exultabunt *Psal. 149.* sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. OFF. Lætamini in Domino, & exultate. *Psal. 31.* VERS. I. Beati quorum remissæ. VERS. II. Pro hac orabit ad te omnis sanctus. AD COM. Signa eos qui in me credunt, hæc sequentur: Dæmonia eijcient, super ægros *Mar. 16.* manus imponent, & bene habebunt.

VIGILIA S. LAVRENTII.

ANTIP. Dispersit dedit pauperibus: iustitia eius manet in sæculum sæculi, cornu eius *Psal. 111.* exaltabitur in gloria. PSAL. Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius cupit nimis. RESP. Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in sæculum sæculi. VERS. Po- *Ibidem.*
E tens in terra erit semen eius, generatio rectorum benedicetur. OFF. Oratio mea munda est, & ideo peto, vt detur locus voci meæ in cælo: quia ibi est iudex meus, & conscius meus in excelso, ascendat ad Dominum deprecatio mea. VERS. Probauit me Dominus sicut aurum, vias eius custodiui, & a præceptis eius non discessi. Item aliud. OFF. Gloria *Psal. 20.* & honore. AD. COM. Qui vult venire post me, abneget semetipsum: & tollat crucem *Matt. 16.* suam, & sequatur me. PSAL. vt supra.

IN NATAL. S. LAVRENTII.

ANTIPH. Confessio & pulchritudo in conspectu eius, sanctitas & magnificentia in *Psal. 95.* sanctificatione eius. PSAL. Cantate Domino. RESP. Probasti Domine cor meum, *Psal. 16.* & visitasti nocte. VERS. Igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas. ALL. Beatus vir. OFF. Confessio & pulchritudo. VERS I. Cantate Domino canti- *Psal. 111.* cum nouum, cantate Domino omnis terra. VERS. II. Cantate Domino, & benedicite *Psal. 95.*

nomini

Ioan. 12. nomini eius: adnunciate de die in diem salutare eius. AD COM. Qui mihi ministrat, A
me sequatur: & vbi ego sum, illic & minister meus erit. PSAL. vt supra.

NAT. S. TIBVRTII.

Psal. 91. ANTIPH. Iustus vt palma florebit: sicut cedrus quæ est in Libano, multiplicabitur.
Psal. 36. PSAL. Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo altissime. RESP. Os iusti
Psal. 8. meditabitur sapientiam. VERS. Lex Dei eius in corde. ALL. Gloria & honore coro-
Psal. 20. nasti eum Domine. OFF. In virtute tua lætabitur iustus. AD COM. Posuisti Domine in
capite eius. PSAL. Domine, in virtute tua.

NATAL. S. HYPPOLITI ET SOCIORVM.

Psal. 65. ANTIPH. Iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia. B
Sap. 3. PSAL. Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius: & fugiant, qui oderunt eum, a facie
Psal. 144. eius. RESP. Iustorum animæ. VERS. Visi sunt oculis insipientium mori. ALL. Sancti
Psal. 113. tui Domine. OFF. Anima nostra sicut passer. AD COM. Dico autem vobis amicis
Luc. 12. meis, ne terreamini ab his qui vos persequuntur. Item alia: Amen dico vobis, quod vni
Matth. 25. ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. PSAL. vt supra.

NATAL. S. EVSEBII.

Psal. 36. ANTIPH. Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium: lex
ibidem. Dei eius in corde ipsius. PSAL. Noli æmulari in malignantibus. RESP. Os iusti medita-
Psal. 20. bitur. VERS. Lex Dei eius. ALL. Iustus non conturbabitur. OFF. Desiderium ani-
Matth. 24. mæ. VERS. I. Vitam petijt. VERS. II. Lætificabis eum. VERS. III. Inueniatur C
manus tua. AD COM. Beatus seruus. PSAL. vt supra.

[ADSVMPTIO S. MARIÆ.

Psal. 44. ANTIPH. Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis: adducentur regi vir-
gines post eam, proximæ eius adducentur tibi in lætitia & exultatione. PSAL. Eructa-
uit cor meum verbum bonum. RESP. Propter veritatem & mansuetudinem & iusti-
tiam, & deducet te mirabiliter dextera tua. VERS. Audi filia, & vide, & inclina aurem
tuam, quia concupiuit rex speciem tuam. ALL. Specie tua & pulchritudine tua intende,
prospere procede & regna. OFF. Offerentur regi virgines post eam, proximæ eius offe-
rentur tibi. AD COM. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus
Deus meus. PSAL. vt supra. D

OCTAVA S. LAVRENTII.

ANTIPH. Probasti Domine cor meum, & visitasti nocte: igne me examinasti, &
Psal. 16. non est inuenta in me iniquitas. PSAL. Exaudi Domine iustitiam meam, intende depre-
Psal. 20. cationem meam. RESP. Posuisti Domine super caput eius coronam de lapide pretioso.
Psal. 8. VERS. Desiderium animæ eius tribuisti ei, & voluntate labiorum eius non fraudasti
Psal. 20. eum. ALL. Gloria & honore coronasti eum Domine. OFF. In virtute tua Domine lætabitur
iustus, & super salutare tuum exultabit vehementer: Desiderium animæ eius tribuisti
Matth. 16. ei. AD COM. Qui vult venire post me. PSAL. vt supra.

NATAL. S. AGAPITI. E

Psal. 63. ANTIPH. Lætabitur iustus in Domino, & sperauit in eo, & laudabuntur omnes re-
cti corde. PSAL. Exaudi Deus orationem meam, cum deprecor, a timore inimici eripe
Psal. 36. animam meam. RESP. Iustus non conturbabitur. VERS. Tota die miseretur & com-
modat. ALL. Beatus vir qui timet Dominum. OFF. In virtute tua lætabitur.
AD COM. Beatus seruus. PSAL. vt supra.

[NATAL. SANCTORVM TIMOTHEI ET SYMPHORIANI.

Psal. 39. ANTIPH. Salus autem iustorum. PSAL. Noli æmulari in malignantibus. RESP. Pre-
Psal. 115. tiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. VERS. Credidi, propter quod locutus
Psal. 144. sum, ego autem humiliatus sum nimis. ALL. Sancti tui Domine. OFF. Mirabilis Deus
in san-

A in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus, alleluia. AD COM. Ego vos elegi de mundo. *Psal. 67. Ioan. 15.*

NAT. S. GENESII.

ANTIPH. Gloria & honore coronasti eum Domine, & constituisti eum super opera manuum tuarum PSAL. Domine Dominus noster. RESP. Domine præuenisti eum. VERS. Vitam petijt. ALL. Iustus non conturbabitur, quia Dominus firmar manum eius. OFF. Desiderium animæ eius rribuisti ei Domine, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. AD COM. Qui vult venire. *Psal. 20. Psal. 8.*

B [NATAL. S. AVGVSTINI.

ANTIPH. Dicit Dominus: sermones mei, quos dedi in os tuum, non deficient de ore tuo. Adest enim nomen, & munera tua accepta erunt super altare meum. PSAL. Domine, exaudi. RESP. Iurauit Dominus. VERS. Dixit Dominus Domino meo. ALL. Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. OFF. Inueni Dauid. AD COM. Fidelis seruus. *Psal. 109. Psal. 131.*

NAT. S. HERMETIS.

ANTIPH. Iustus non conturbabitur, quia Dominus firmat manum eius: tota die miseretur & commodat, & semen eius in benedictione erit. PSAL. Noli æmulari in malignantibus. RESP. Iustus vt palma florebit. VERS. Ad annunciandum mane misericor. ALL. Beatus vir qui suffert tentationum. OFF. In virtute tua Domine. AD COM. Multitudo languentium, & qui vexabantur a spiritibus immundis, veniebant ad eum, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes. PSAL. vt supra. *Psal. 36. Psal. 91. Iac. 1. Psal. 20. Luc. 6.*

C [DECOLLATIO S. IOANNIS BAPTISTÆ.

ANTIPH. In virtute tua Domine lætabitur iustus. PSAL. Vitam petijt. RESP. Domine, præuenisti. VERS. Vitam petijt, ALL. Beatus vir. OFF. Iustus vt palma. AD COM. Magna est gloria eius. *Ps. 1. & 111.*

NAT. S. SABINÆ.

ANTIPH. Cognoui Domine, quia æquitas iudicia tua, & in veritate tua humiliasti me: confige timore tuo carnes meas, a mandatis tuis non me repellas. PSAL. Beati immaculati in via. RESP. Specie tua. VERS. Propter veritatem & mansuetudinem. ALL. Diffusa est gratia. OFF. Filiæ regum in honore tuo: adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. AD COM. Principes persequuti sunt me gratis, & a verbis ruis formidauit cor meum: lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa: concupiuit anima mea testimonia tua Domine, & dilexit ea vehementer, PSAL. vt supra. *Psal. 118.*

D

NAT. SANCTORVM FELICIS ET AVDACTI.

ANTIPH. Sapientia sanctorum. PSAL. Exultate iusti in Domino. RESP. Gloriosus Deus in sanctis suis. VERS. Dextera tua Domine. ALL. Gaudete iusti in Domino, rectos decet collaudatio. OFF. Lætamini iusti in Domino. AD COM. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, dicit Dominus: & quod in aure auditis, prædicate super tecta. *Eccl. 44. Psal. 32. Psal. 31. Matth. 11.*

E [NATIVITAS S. MARIÆ.

ANTIPH. Vultum tuum Domine. PSAL. Eructauit cor meum. RESP. Dilexisti iustitiam. VERS. Propter veritatem. ALL. Adducentur regi virgines post eam, proximæ eius offerentur tibi in lætitia. OFF. Offerentur regi. AD COM. Diffusa est gratia] *Psal. 44.*

NAT. S. ADRIANI.

ANTIPH. Lætabitur iustus in Domino. PSAL. Exaudi Deus orationem. RESP. Domine, præuenisti. VERS. Vitam petijt a te. ALL. Beatus vir. OFF. Gloria & honore coronasti eum. AD COM. Posuisti Domine. *Psal. 63. Psal. 20. Psal. 8. Psal. 20.*

[NAT. S. GORGONII.

ANTIPH. Gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manum tuarum. PSAL. Domine Dominus noster. RESP. Posuisti Domine. VERS. Desiderium animæ. ALL. Gloria & honore. OFF. Posuisti Domine in capite eius coronam de la-

de lapide pretioſo, vitam petijt a te, & tribuiſti ei. VERS. Deſiderium animæ eius tribuiſti ei, & voluntate labiorum eius non fraudaſti eum. VERS. Magna eſt gloria eius in ſalutari tuo: gloriam & magnũ decorem impones ſuper eum. AD COM. Poſuiſti Domine. A

NAT. SANCTORVM PROTI ET HYACINTHI.

Sap. 3. ANTIPH. Iudicant ſancti gentes, & dominabuntur populis: regnabit Dominus eorum in perpetuum. *Pſal. 33.* PSAL. Exultate iuſti in Domino. *Pſal. 68.* RESP. Vindica Domine ſanguinem ſanctorum tuorum, qui effuſus eſt. VERS. Poſuerunt mortalia ſeruorum tuorum eſcas volatilibus cæli, carnes ſanctorum tuorum beſtijs terræ. ALL. Gaudete iuſti in Domino, rectos decet collaudatio. *Pſal. 33.* OFF. Gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum, quoniam tu Domine benedices iuſto: Domine, vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos. *Pſal. 5.* AD COM. Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium, vel: *Pſal. 123.* Qui vult venire poſt me. *Matt. 16.* B

EXALTATIO S. CRVCIS.

Gal. 6. ANTIPH. Nos autem gloriari oportet in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, in quo eſt ſalus, vita & reſurrectio noſtra, per quem ſaluati & liberati ſumus. *Pſal. 92.* PSAL. Dominus regnauit, decorem. *Pſal. 2.* RESP. Chriſtus factus eſt. VERS. Propter quod & Deus. *Pſal. 95.* ALL. Dicite in gentibus, quia Dominus regnauit a ligno. *Pſal. 117.* OFF. Dextera Domini. AD COM. Nos autem gloriari oportet. *Gal. 6.*

NAT. SANCTORVM CORNELII, ET CYPRIANI.

Dan. 3. ANTIP. Sacerdotes Dei. *Pſal. 131.* PSAL. Memento Domine Dauid. RESP. Sacerdotes eius. *Pſal. 88.* Illuc producam cornu Dauid. ALL. Diſpoſui teſtamentum electis meis. *Matth. 25.* OFF. Ventas mea. AD COM. Domine, quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuperlucrarus ſum, euge ſerue fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam. intra C in gaudium Domini tui. PSAL. vt ſupra.

NAT. S. NICOMEDIS.

Pſal. 63. ANTIPH. Lætabitur iuſtus in Domino. *Pſal. 31.* PSAL. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates. *Pſal. 20.* RESP. Poſuiſti Domine. Deſiderium animæ eius. *Pſal. 36.* ALL. Iuſtus non conturbabitur. *Pſal. 20.* OFF. Gloria & honore. AD COM. Qui vult venire poſt me. PSAL. vt ſupra. *Matth. 16.*

[NAT. SANCTÆ EVPHEMIÆ, AC SANCTORVM LVCIAE ET GEMINIANI.

Pſal. 44. ANTIPH. Vultum tuum deprecabuntur. PSAL. Eructauit cor meum. RESP. Diffuſa eſt gratia. VERS. Propter veritatem & manſuetudinem. ALL. Specie tua. *Matth. 13.* OFF. Offerentur regi virgines. AD COM. Simile eſt regnum cælorum. Item alia. In ſalutari tuo D *Pſal. 118.* anima mea. PSAL. Beati immaculati in via.

VIGILIA S. MATTHÆI.

Pſal. 51. ANTIPH. Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Domini, ſperaui in miſericordia Dei mei, & expectabo nomen tuum, quoniam bonum eſt ante conſpectum ſanctorum tuorum. PSAL. Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? RESP. Iuſtus vt palma florebit. *Pſal. 91.* VERS. Bonum eſt confiteri Domino. *Pſal. 8.* OFF. Gloria & honore. AD COM. Poſuiſti Domine. *Pſal. 20.*

NAT. S. MATTHÆI.

Pſal. 36. ANTIPH. Os iuſti meditabitur ſapientiam, & lingua eius loquetur iudicium: lex Dei *Pſal. 36.* eius in corde ipſius. PSAL. Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes *Pſal. 111.* iniquitatem. RESP. Beatus vir qui timet Dominum. VERS. Potens in terra erit ſe- E *Pſal. 88.* men eius. ALL. Inueni Dauid. *Ibidem.* OFF. Poſuiſti Domine. VERS. 1. Deſiderium animæ eius. VERS. 11. Magna eſt gloria. AD COM. Magna eſt gloria. PSAL. 20.

[NAT. S. MAVRICII.

ANTIPH. Intret in conſpectu tuo Domine. PSAL. Deus venerunt gentes. RESP. Glorioſus Deus. VERS. Dextera tua Domine. ALL. Exultabunt ſancti in gloria. OFF. Lætamini in Domino. AD COM. Poſuerunt mortalia.]

NAT. S ANCTORVM COSMÆ ET DAMIANI.

Eccl. 44. ANTIPH. Sapientiam ſanctorum narrent populi. PSAL. Exultate iuſti in Domino. RESP.

A RESP. Clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit eos. VERS. Iuxta est Dominus. ALL. Sancti tui Domine. OFF. Gloriabuntur. AD COM. Posuerunt mortalia.] *Psal. 31. Psal. 33. Psal. 44. Psal. 5. Psal. 101.*

DEDICATIO BASILICÆ SANCTI MICHAELIS.

ANTIPH. Benedicite Dominum omnes angeli eius, potentes virtute, qui facitis verbū eius, ad audiendam vocem sermonum eius. PSAL. Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius. RESP. Benedicite Domino omnes angeli eius, potentes virtute, qui facitis verbum eius. VERS. Benedic anima mea Domino, & omnia interiora mea nomini sancto eius. ALL. Laudate Dominum omnes angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius. ALL. Confitebor tibi Domine. OFF. In conspectu angelorum psallam tibi. VERS. I. Confitebor tibi Domine. VERS. II. Confiteantur tibi Domine omnes reges terræ. AD COM. Benedicite omnes angeli Domini Domino, hymnum dicite, & su-
B perexaltate eum in sæcula. *Psal. 148. Psal. 137. Dan. 3.*

NAT. S. MARCI.

ANTIPH. Sacerdotes Dei, benedicite Domino. PSAL. Benedicite omnia opera Domini Domino. RESP. Inueni Dauid. VERS. Nihil proficiet. ALL. Memento Dauid. OFF. Veritas mea. AD COM. Beatus seruus. *Dan. 3. Psal. 88. Psal. 131. Psal. 88. Matt. 24.*

[VIGILIA S. DIONYSII ET SOCIORVM EIVS.

ANTIPH. Salus autem iustorum a Domino, & protector eorum est in tempore tribulationis. PSAL. Noli æmulari in malignantibus. RESP. Vindica Domine. VERS. Posuerunt mortalia. OFF. Exultabunt sancti in gloria. AD COM. Posuerunt mortalia. *Psal. 131. Psal. 88. Matth. 24.*

[NAT. S. DIONYSII.

ANTIPH. Intret in conspectu Domine. PSAL. Deus venerunt gentes. RESP. Glorioſus
C Deus. VERS. Dextera tua Domine. ALL. Gaudete iusti in Domino. OFF. Mirabilis Deus. AD COM. Anima nostra.] *Psal. 78. Psal. 149. Sap. 3.*

NAT. S. CALLIXTI.

ANTIPH. Sacerdotes eius. PSAL. Memento Domine Dauid. RESP. Sacerdotes eius. VERS. Illuc producam cornu. ALL. Inueni Dauid seruum meum. OFF. Inueni Dauid seruum. AD COM. Beatus seruus.

VIGILIA APOSTOLORVM SIMONIS ET IVDÆ.

ANTIPH. Intret in conspectu. PSAL. Deus, venerunt gentes. RESP. Vindica Domine sanguinem seruorum tuorum. VERS. Posuerunt mortalia seruorum tuorum. OFF. Exultabunt sancti. AD COM. Iustorum animæ.

AD MISSAM.

D ANTIPH. Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum. PSAL. Domine, probasti me, & cognouisti me, tu cognouisti sessionem meam & resurrectionem meam. RESP. Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum. VERS. Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur. ALL. Sancti tui Domine. OFF. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. VERS. Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuciat firmamentum. AD COM. Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes, iudicantes duodecim tribus Israel. PSAL. vt supra. *Psal. 138. Psal. 144. Psal. 18. Matth. 19.*

Kal. Nouemb. NAT. SANCTI CÆSARII.

ANT. Confessio & pulchritudo in conspectu eius. PSAL. Cantate Domino. RESP. Iustus non conturbabitur, quia Dominus firmat manum eius. VERS. Quotidie miseretur & com-
E modat, & semen eius in benedictione erit. OFF. In virtute tua Domine. AD COM. Qui vult venire post me. PSAL. vt supra. *Psal. 95. Psal. 36. Matth. 16.*

VIGILIA OMNIVM SANCTORVM.

ANTIPH. Iudicant sancti gentes. PSAL. Exultate iusti in Domino. RESP. Glorioſus Deus. VERS. Dextera tua Domine. OFF. Exultabunt sancti in gloria. AD COM. Dico autem vobis amicis meis, ne terreamini ab his qui vos persequuntur.

IN DIE AD MISSAM.

ANTIPH. Gaudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore Sanctorum omnium: de quorum solemnitate gaudent angeli, & collaudant filium Dei. PSAL. Exultate iusti in Domino, rectos decet collaudatio. RESP. Timete Dominum omnes sancti eius, quoniam nihil deest timentibus eum. VERS. Inquirentes autem Dominum, non deficient omni bono. ALL. Iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei, dele-

ctentur in lætitia. OFF. Mirabilis Deus in sanctis suis. AD COM. Gaudete iusti in Domino. A

5. Idus Nouemb. NAT. QVATTVOR CORONATORVM.

Psal. 78. ANTIPH. Intret in conspectu tuo Domine gemitus. PSAL. Deus, venerunt gentes.
Psal. 144. RESP. Vindica Domine sanguinem seruorum tuorum. VERS. Posuerunt mortalia.
Psal. 113. ALL. Sancti tui Domine. OFF. Anima nostra sicut. AD COM. Posuerunt mortalia.
Psal. 78.

NAT. S. THEODORI.

Psal. 20. ANTIPH. In virtute tua Domine. PSAL. Vitam petijt. RESP. Domine, præuenisti.
Psal. 181. VERS. Vitam petijt. ALL. Beatus vir. OFF. Gloria & honore. AD COM. Posuisti Domine.
Psal. 8.
Psal. 20.

NAT. S. MENNÆ.

Psal. 36. ANTIPH. Os iusti meditabitur. PSAL. Noli æmulari in malignantibus. RESP. Glo-
Psal. 8. ria & honore. VERS. Et constituisti eum. ALL. Iustus non conturbabitur. OFF. De-
Psal. 36. siderium animæ eius. AD COM. Magna est gloria eius. B
Psal. 20.

[EODEM DIE NAT. S. MARTINI.

ANTIPH. Sacerdotes tui. PSAL. Memento Domine Dauid. RESP. Inueni Dauid. VERS. Nihil proficiet. ALL. Disposui testamentum. OFF. Inueni Dauid seruum meum. AD COM. Domine, quinque talenta tradidisti mihi.]

NAT. S. CÆCILIÆ.

Psal. 118. ANTIPH. Loquebar de testimonijs tuis in conspectu regum, & non confundebar: &
Psal. 44. meditabar in mandatis tuis quæ dilexi nimis. PSAL. Beati immaculati in via. RESP. Au-
Ibidem. di filia & vide. VERS. Specie tua. OFF. Offerentur regi virgines. AD COM. Con-
Psal. 118. fundantur superbi, quia iniuste iniquitatem fecerunt in me: ego autem in mandatis tuis
Ibidem. exercebor in tuis iustificationibus, vt non confundar. Item alia: Feci iudicium & iustitiam:
Domine, non calumnientur mihi superbi: ad omnia mandata tua dirigebar, omnem C
viam iniquitatis odio habui.

NAT. S. CLEMENTIS.

ANTIPH. Dicit Dominus, si quis testimonium meum seruauerit. PSAL. Misericor-
Psal. 88. dias Domini in æternum cantabo. RESP. Iurauit Dominus. VERS. Dixit Dominus
Matth. 25. Domino meo. ALL. Disposui. OFF. Veritas mea & misericordia mea. AD COM. Bea-
Matth. 25. tus seruus. Item alia: Domine, quinque talenta. PSAL. vt supra.

NAT. S. CHRYSOGONI.

Psal. 67. ANTIPH. Lætabitur iustus. PSAL. Exaudi Deus orationem meam cum deprecor.
Psal. 111. RESP. Beatus vir. VERS. Potens in terra. ALL. Iustus non conturbabitur. OFF. Glo-
Psal. 36. ria & honore. AD COM. Posuisti Domine.
Psal. 8.

VIGIL. S. ANDREÆ APOST. D

Matth. 4.
Psal. 18. ANTIPH. Dominus secus mare Galilææ vidit duos fratres, Petrum & Andream, &
Psal. 138. vocauit eos: venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. PSAL. Cæli enarrant.
Psal. 8. RESP. Nimis honorati sunt. VERS. Dinumerabo eos. OFF. Gloria & honore.
Matth. 4. AD COM. Venite post me, faciam vos piscatores fieri hominum. PSAL. vt supra.

IN NAT. EIVSDEM.

Psal. 138. ANTIPH. Mihi autem nimis. VERS. Domine probasti me. RESP. Constitues eos
principes super omnem terram: memores erunt nominis tui Domine. VERS. Pro patri-
bus tuis nati sunt tibi filij, propterea populi confitebuntur tibi. ALL. Nimis honorati sunt
amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum. OFF. Mihi autem nimis.
Ioan. 1. AD COM. Dicit Andreas Simoni fratri suo: inuenimus Messiam, qui dicitur Christus, & E
& adduxit eum ad Iesum. PSAL. vt supra.

IN ORDINATIONE PONTIFICIS.

Psal. 90. ANTIPH. Inuocauit me. PSAL. Qui habitat in adiutorio altissimi. RESP. Inueni
Dauid. OFF. Inueni Dauid seruum meum. AD COM. Fidelis seruus & prudens, quem
Matth. 25. constituit Dominus super familiam suam.

IN ORDINATIONE EPISCOPI.

Psal. 19. ANTIPH. Elegit te Domine. PSAL. Exaudiat te Dominus in die tribulationis, pro-
tegat te nomen Dei Iacob. RESP. Memor sit Dominus omnis sacrificij tui, & holocau-
stum tuum pingue fiat. VERS. Mittat tibi auxilium de sancto, & de Sion tueatur te.
Psal. 20. ALL. Elegit te Dominus. Si in quadragesima euenerit. TRACTVS. Desiderium
Psal. 19. animæ eius tribuisti, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum. OFF. Memor sit
Psal. 132. Dominus. VERS. Exaudiat te Dominus. AD COM. Vnguentum in capite.

ITEM

A

ITEM ALIA.

ANTIPH. Sicut fui cum Moyſe. PSAL. Exaudiat te dominus. RESP. Mittat tibi Dominus. VERS. Exaudiat te dominus. ALL. Diſpoſui teſtamentum electis meis, iuraui Dauid ſeruo meo. OFF. Veritas mea & miſericordia mea cum ipſo. AD COM. Lætabimur. *Ioſ. 1.* *Pſal. 19.* *Pſal. 88.* *Ibidem.* *Pſal. 19.*

ITEM ALIA.

ANTIPH. Benedixit te hodie. PSAL. Deus deorum Dominus locutus eſt, & vocauit terram. RESP. Immola Deo ſacrificium laudis, & redde altiſſimo vota tua. VERS. Congregate illi ſanctos eius, qui ordinant teſtamentum eius ſuper ſacrificia. ALL. Diffuſa eſt gratia: Si in quadrageſima euenerit. TRACTVS. Deſiderium animæ eius. OFF. Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto
E eius. AD COM. Euntes prædicare euangelium omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur. *Pſal. 49.* *Ibidem.* *Pſal. 44.* *Pſal. 101.* *Pſal. 20.* *Mar. 14.*

IN ORDINATIONE PLVRIMORVM EPISCOPORVM.

ANTIPH. Congregate illi. PSAL. Deus deorum Dominus locutus eſt. RESP. Immola Deo ſacrificium laudis. VERS. Congregate illi ſanctos. ALL. Sancti tui Domine. OFF. Benedic anima. AD COM. Meſſis quidem multa, operarij vero pauci. Rogate ergo Dominum meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam. *Pſal. 49.* *Ibidem.* *Pſal. 144.* *Matth. 4.*

HEBDOMADA I. POST OCT. PENTECOSTES.

C

ANTIPH. Domine, in tua miſericordia ſperaui, exultauit cor meum in ſalutari tuo: cantabo Domino qui bona tribuit mihi. PSAL. Vſquequo domine obliuiſceris me in finem? Vſquequo auertis faciem tuam a me? RESP. Ego dixi, Domine, miſerere mei, ſana animam meam, quoniam peccaui tibi. VERS. Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem: in die mala liberauit eum Dominus. Item aliud. RESP. Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me Domine. VERS. Conturbata ſunt omnia oſſa mea, & anima mea turbata eſt valde. ALL. Dominus regnauit decorem indutus eſt: indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe virtute. OFF. Intende voci orationis meæ. VERS. I. Verba mea auribus percipe Domine. VERS. II. Dirige in conſpectu tuo viam meam. AD COM. Narrabo omnia mirabilia tua, lætabor & exultabo in te,
D pſallam nomini tuo altiſſime. PSAL. 9. *Pſal. 12.* *Pſal. 40.* *Pſal. 6.* *Pſal. 92.* *Pſal. 5.*

HEBDOMADA SECVNDA.

ANTIPH. Factus eſt Dominus protector meus, & eduxit me in latitudine: ſaluum me fecit, quoniam voluit me. PSAL. Diligam te Domine fortitudo mea. Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. RESP. Ad Dominum, dum tribularer, clamaui, & exaudiuit me. VERS. Domine, libera animam meam a labijs iniquis, & a lingua doloſa. Item. RESP. Domine Dominus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra. VERS. Quoniam eleuata eſt magnificentia tua ſuper cælos. ALL. Deus iudex iuſtus, fortis & patiens, numquid iraſcitur per ſingulos dies? OFF. Domine, conuertere, & eripe animam meam: ſaluum me fac propter miſericordiam tuam. VERS. I. Domine, ne ira tua arguas me, neque in furore tuo corri-
E pias me. VERS. II. Miſerere mihi Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt omnia oſſa mea. AD COM. Cantabo domino qui bona tribuit mihi, & pſallam nomini Domini altiſſimi. PSAL. 12. *Pſal. 17.* *Pſal. 119.* *Pſal. 8.* *Pſal. 7.* *Pſal. 6.*

HEBDOMADA TERTIA.

ANTIPH. Reſpice in me, & miſerere mei Domine, quoniam vnicus & pauper ſum ego vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea Deus meus. PSAL. Ad te, Domine, leuaui animam meam: Deus meus, in te confido, non erubeſcam. RESP. Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet. VERS. Dum clamarem ad Dominum, exaudiuit vocem meam ab his qui appropinquant mihi. Item. RESP. Adiutor in oportunitatibus, in tribulatione. ſperent in te, qui nouerunt te, quoniam non derelinques quærentes te Domine. VERS. Quoniam non in finem obliuio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in æternum: *Pſal. 24.* *Pſal. 54.* *Pſal. 9.*

Psal. 17. exurge Domine, non prævaleat homo. ALL. Diligam te Domine virtus mea; A
Dominus firmamentum meum & refugium meum, & liberator meus. OFF. Sperent
Psal. 9. in te omnes, qui nouerunt nomen tuum Domine, quoniam non derelinquis quærentes
te: Psallite Domino qui habitat in Sion, quoniam non est oblitus orationem pauperum.
VERS. I. Sedes super thronum qui iudicas iustitiam: increpasti gentes, & petijt impius:
nomen eorum delesti in æternum, & in sæculum sæculi perijt memoria eorum cum soni-
tu, & Dominus in æternum permanet. VER. II. Cognoscetur Dominus iudicia faciens:
in operibus manuum suarum comprehensus est peccator. AD COM. Ego clamaui, quo-
Psal. 16. niam exaudisti me Deus: inclina aurem tuam, & exaudi verba mea. PSAL. Exaudi
Domine iustitiam meam.

HEBDOMADA QVARTA. B

Psal. 26. ANTIPH. Dominus illuminatio mea & salus. quem timebo? Dominus defensor vi-
tæ meæ, a quo trepidabo? qui tribulant me inimici mei, infirmati sunt & ceciderunt.
Psal. 87. PSAL. ipse. Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. RESP. Propi-
tius esto Domine peccatis nostris, ne quando dicant gentes, vbi est Deus eorum?
VERS. Adiuua nos Deus salutaris noster, & propter honorem nominis tui Domine libe-
Psal. 9. ra nos. Item RESP. Exurge Domine, non prævaleat homo iudicentur gentes in con-
spectu tuo. VERS. In conuertendo inimicum meum retrorsum, infirmabuntur & peri-
Psal. 145. bunt a facie tua: quoniam fecisti iudicium meum & causam meam. ALL. Lauda anima
Psal. 12. mea Dominum: laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quàm diu ero.
OFF. Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte: ne quando dicat inimi-
cus meus, prævalui aduersus eum. VERS. I. Vsquequo Domine obliuiscris me in finem C
Psal. 17. vsquequo auertis faciem tuam a me? VERS. II. Respice & exaudi me Domine Deus
meus. AD COM. Dominus firmamentum meum & refugium meum, & liberator meus,
Deus meus, adiutor meus. PSAL. 10.

HEBDOMADA QVINTA.

Psal. 26. ANTIPH. Exaudi Domine vocem meam qua clamaui ad te adiutor meus esto, ne de-
relinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus. PSAL. Dominus illuminatio
Psal. 83. mea & salus mea: quem timebo? RESP. Protector noster adspice Deus, & respice super
Psal. 18. seruos tuos. VERS. Domine Deus virtutum, exaudi preces seruorum tuorum. Item.
Psal. 50. RESP. Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo. VERS. Si
Psal. 30. mei fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor a delicto maximo. ALL. In D
Psal. 15. te Domine speraui, non confundar in æternum. OFF. Benedicam Domino qui tribuit
mihi intellectum: prouidebam Deum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est
mihi, ne commouear. VERS. I. Conserua me Domine, dixi Domino Deus meus es tu,
Psal. 26. quoniam bonorum meorum non eges. VERS. II. Notas fecisti mihi vias vitæ, adim-
plebis me lætitia cũ vultu tuo, delectationes in dextera tua vsque in finem. AD COM. Vnam
petij a domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.
PSAL. 32.

HEBDOMADA SEXTA.

Psal. 27. ANTIPH. Dominus fortitudo plebis suæ, & protector salutarium Christi sui est. salu-
uum fac populum tuum Domine, & benedic hereditati tuæ, & rege eos vsque in sæculum. E
PSAL. Ad te Domine clamabo: Deus meus, ne sileas a me, ne quando taceas a me, &
Psal. 89. assimilabor descendentibus in lacum. RESP. Conuertere domine aliquantulum, & de-
precare super seruos tuos. VERS. Domine refugium factus es nobis a generatione &
Psal. 46. progenie. Item. RESP. Vnam petij a Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo
Domini omnibus diebus vitæ meæ. VERS. Vt videam voluntatẽ Domini & protegat a
Psal. 4[illegible]. templo sancto eius. ALL. Omnes gentes, plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultatio-
nis. OFF. Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea, inclina au-
rem tuam, & exaudi verba mea: mirifica misericordias tuas, qui saluos facis sperantes in te
Domine. VERS. I. Exaudi Domine iustitiã meam, intẽde deprecationem meã. VERS. II. Cu-
stodi me Domine vt pupillam oculi, sub vmbra alarũ tuarũ protege me, a facie impiorum
qui me afflixerunt. VERS. III. Ego autem cum iustitia apparebo conspectui tuo:

satiabor,

A satiabor, cum apparuerit gloria tua. AD COM. Circuibo, & immolabo in tabernaculo eius hostiam iubilationis, cantabo, & psalmum dicam Domino. PSAL. 26.

HEBDOMADA SEPTIMA.

[Ista Hebdomada non est in Antiphonario Romano.]

ANTIPH. Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis. *Psal. 46.* PSAL. Quoniam excelsus terribilis, rex magnus super omnem terram. RESP. Venite filij, audite me: timorem Domini docebo vos. VERS. Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur. Item. RESP. Beata gens, cuius est Dominus Deus, eius, populus quem elegit Dominus in hereditatem sibi. ALL. Eripe me de inimicis meis &c. OFF. Sicut in holocausto arietum & taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium, sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie vt placeat tibi, quia non est *Psal. 33.* *Psal. 32.*

B confusio confidentibus in te Domine. VERS. Et nunc sequimur in toto corde, & timemus te, & quærimus faciem tuam Domine, ne confundas nos, sed fac nobis iuxta mansuetudinem tuam, & secundum multitudinem misericordiæ tuæ: quia non est confusio confidentibus in te Domine. AD COM. Inclina aurem tuam, accelera vt eruas me. PSAL. 30.

HEBDOMADA VIII.

ANTIPH. Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui: secundum nomen tuum Deus, ita & laus tua in fines terræ: iustitia plena est dextera tua. PSAL. Magnus Dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius. RESP. Liberasti nos Domine ex affligentibus nos, & eos qui nos oderunt, confudisti. VERS. In *Psal. 47.* *Psal. 43.*

C Deo laudabimur tota die, & nomini tuo confitebimur in sæcula. Item RESP. Esto mihi in Deum protectorem, & in locum refugij, vt saluum me facias. VERS. Deus, in te speraui: Domine, non confundar in æternum. ALL. Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votũ in Hierusalẽ. VERS. Replebimur in bonis domus tuæ, sanctum est templũ tuum, mitabile in æquitate. OFF. Populum humilem saluum facies Domine, & oculos superborum humiliabis: quoniam quis Deus præter te Domine? VERS. I. Liberator meus de gentibus iracundis, & ab insurgentibus in me exaltabis me, a viro iniquo eripies me. VERS. II. Clamot meus. AD COM. Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus. Beatus vir qui sperat in eo. PSAL. Benedicam Domino. *Ps. 30. & 70.* *Psal. 64.* *Psal. 17.* *Psal. 33.*

HEBDOMADA IX.

ANTIPH. Ecce Deus adiuuat me, & Dominus susceptor est animæ meæ, auerte mala inimicis meis, in veritate tua disperde illos, protector meus Domine. PSAL. Deus, in *Psal. 53.*

D nomine tuo saluum me fac, & in virtute tua iudica me. RESP. Esto mihi in Deum protectorem & in locum refugij, vt saluum me facias. VERS. Deus, in te speraui. Item RESP. Speciosus forma præ filijs hominum: diffusa est gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. VERS. Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. ALL. Attendite populus meus legem meam, inclinate aurem vestram in verba otis mei. OFF. Iustitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: & dulciora super mel & fauum: nam & seruus tuus custodit ea. VERS I. Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos: timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi: iudicia Domini vera iustificata in semetipsa. VERS. II. Et erunt vt complaceant eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper. AD COM. Primum quærite regnum Dei, & omnia adijcientur vobis, dicit Dominus. PSAL. vt supra. *Psal. 90.* *Psal. 40.* *Psal. 77.* *Psal. 18.* *Matth. 6.*

E

HEBDOMADA DECIMA.

ANTIPH. Dum clamarem ad Dominum, exaudiuit vocem meam ab his qui appropinquant mihi, & humiliauit eos qui est ante sæcula, & manet in æternum: iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriret. PSAL. Exaudi Deus orationem meam, & ne despexeris deprecationem meam: intende mihi, & exaudi me. RESP. Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra? VERS. Quoniam eleuata est magnificentia tua super cælos. Item RESP. Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mitabilia magna solus a sæculo. VERS. Suscipiant montes pacem populo tuo, & colles iustitiam. ALL. Exultate Deo adiutori nostro, iubilate Deo Iacob, sumite psalmum iucundum cum cithara. OFF. Ad te Domine leuaui animam meam, Deus meus in te confido non erubescam: neque irrideant me inimici mei, *Psal. 13.* *Psal. 54.* *Psal. 8.* *Psal. 8.*

etenim

etenim vniuersi qui te expectant, non confundentur. AD COM. Acceptabis sacrificium A.
iustitiæ, oblationes & holocausta super altare tuum Domine. PSAL. 50.

HEBDOMADA XI.

Psal.67. ANTIPH. Deus in loco sancto suo, Deus qui inhabitare facit vnanimes in domo, ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ. PSAL. Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum a facie eius. RESP. Custodi me Domine vt pupillam
Psal.16. oculi. VERS. De vultu tuo iudicium meum prodeat, oculi tui videant æquitates. Item
Psal.82. RESP. Sciant gentes, quoniam nomen tibi Deus, tu solus altissimus super omnem terram. VERS. Deus meus, pone illos vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti.
Psal.87. ALL. Domine Deus salutis meæ, in die clamaui & nocte coram te. OFF. Exaltabo te
Psal.29. Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me. Domine, clamaui ad te, & sanasti me. VERS. Domine, abstraxisti ab inferno animam meam: saluaB
Prou.3. sti me a descendentibus in lacum. AD COM. Honora Dominum de tua substantia, & de primitijs frugum tuarum, vt impleantur horrea tua saturitate, & vino torcularia redundabunt. PSAL. vt supra.

HEBDOMADA XII.

ANTIPH. Deus, in adiutorium meum intende: Domine, ad adiuuandum me festina: confundantur & reuereantur inimici mei, qui quærunt animam meam. PSAL. Auertantur retrorsum & erubescant, qui volunt mihi mala. RESP. In Deo sperauit cor
Psal.33. meũ, & adiutus sum: & refloruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor illi. VERS. Ad te, Domine, clamaui: Deus meus, ne sileas, ne discedas a me. Item RESP. Protector
Exod.32. noster. VERS. Domine Deus virtutum. OFF. Precatus est Moyses in conspectu Domini Dei sui, & dixit: precatus est Moyses in conspectu Domini Dei sui, & dixit: Quare DoC
mine irascetis in populo tuo? parce iræ animi tui, memento Abraam, Isaac, Iacob, quibus iurasti dare terram fluentem lac, & mel. & placatus factus est Dominus de malignitate, quam dixit facere populo suo. VERS. Dixit Dominus ad Moysen. Inueniisti gra-
Exod.33. tiam in conspectu meo, & scio te præ omnibus. Et festinans Moyses, inclinauit se in terram, & adorauit, dicens: Scio quia misericors es in millibus, auferens iniquitatem & peccata. Dixit Moyses & Aaron, dixit Moyses & Aaron ad omnem synagogam filiorum Israel,
Psal.103. accedite ante Deum, maiestas Domini apparuit in nube, & exaudiuit murmurationem vestram in tempore. AD COM. De fructu operum tuorum Domine satiabitur terra, vt educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis: vt exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet. PSAL. 103.

HEBDOMADA XIII. D.

Psal.73. ANTIPH. Respice, Domine, in testamentum tuum, & animas pauperum tuorum ne derelinquas in finem. exurge Domine, & iudica causam tuam: & ne obliuiscaris
Psal.33. voces quærentium te. PSAL. Vt quid, Deus, repulisti in finem? iratus est furor tuus super oues pascuæ tuæ? RESP. Benedicam Domino in omni tempore, semper laus eius in
Psal.89. ore meo. VERS. In Domino laudabitur anima mea: audiant mansueti, & lætentur. Item
Psal.30. RESP. Conuertere Domine aliquantulum, & deprecare super seruos tuos.
Psal.70. VERS. Domine, refugium factus es nobis a generatione & progenie. ALL. Dominus regnauit, decorem. OFF. In te speraui Domine, dixi, tu es Deus meus, in manibus tuis tempora mea. VERS. 2. Illustra faciem tuam super seruum tuum, & saluum fac filium
Sap.9. ancillæ tuæ. VERS. 11. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te. AD COM. Panem de cælo dedisti nobis Domine, habentem E
omne delectamentum, & omnem saporem suauitatis. PSAL. vt supra.

HEBDOMADA XIIII.

Psal.83. ANTIPH. Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui: quia melior est dies vna in atrijs tuis super millia. PSAL. Quàm dilecta tabernacula tua Domine
Psal.73. virtutum? concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. RESP. Respice Domine in testamentũ tuum, & animas pauperum tuorum ne obliuiscaris in finem. VERS. Exurge Domine, iudica causam tuam: memor esto opprobrij seruorum tuorum, Item
Psal.101. RESP. Domine exaudi orationem meam. ALL. Venite, exultemus Domino, iubile-
Psal.94. mus Deo salutari nostro. VERS 1. Præoccupemus faciem eius in confessione, & in psal-
Psal.33. mis iubilemus ei. OFF. Immittet angelum dominus in circuitu timentium eum, & eripiet

A eripiet eos: gustate & videte, quoniam suauis est Dominus, AD COM. Panis quem ego dedero, caro mea est, pro sæculi vita. PSAL. vt supra

HEBDOM. XV.

ANTIPH. Inclina Domine aurem tuam ad me, & exaudi me. saluum fac seruum tuum Deus meus sperantem in te: miserere mihi Domine, quoniam ad te clamaui tota die. PSAL. Lætifica animam serui tui, quoniam ad te Domine animam meam leuaui. RESP. Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo altissime. VERS. Ad adnunciandum mane misericordiam tuam, & veritatem ruam per noctem. Item. RESP. Timebunt gentes nomen tuum Domine, & omnes reges terræ gloriam tuam. VERS. Quoniam ædificauit dominus Sion, & videbitur in maiestate sua. ALL. Quoniam Deus magnus Dominus, & rex magnus super omnem terram. OFF. Expectans expectaui do- *Psal. 39.*
B minum, & respexit me, & exaudiuit deprecationem meam: & misit in os meum canticum nouum, hymnum Deo nostro. AD COM. Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo, dicit Dominus. PSAL. vt supra. *Ioan. 6.*

Psal. 85. *Psal. 91.* *Psal. 101.* *Psal. 46.*

HEBDOM. XVI.

ANTIPH. Miserere mihi Domine, quoniam ad te clamaui tota die: quia tu Domine, suauis ac mitis es, & copiosus in misericordia omnibus inuocantibus te. PSAL. Inclina, Domine, aurem tuam mihi; & exaudi me, quoniam inops & pauper sum ego. RESP. Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine. VERS. Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in principibus. Item. RESP. Misit Dominus verbum suum. VERS. Confiteantur Domino. ALL. Dominus regnauit, exultet terra, lætentur insulæ multæ. OFF. Domine, in auxilium meum respice: confundantur &
C reuereantur, qui quærunt animam meam vt auferant eam. Domine, in auxilium meum respice. VERS. Auertantur retrorsum & erubescant, qui volunt mihi mala. AD COM. Domine, memorabor iustitiæ tuæ solius: Deus, docuisti me a iuuentute mea, & vsque in senectam & senium: Deus, ne derelinquas me. PSAL. 70.

Psal. 85. *Psal. 117.* *Psal. 106.* *Psal. 69.* *Ps. 70. & 39.*

HEBDOM. XVII.

ANTIPH. Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum: Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam. PSAL. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. RESP. Timebunt gentes. VERS. Quoniam adificauit. Item. RESP. Bonum est confidere in Domino. VERS. Bonum est sperare. ALL. Iubilate Deo omnis terra, seruiuite Domino in lætitia. OFF. Oraui Deum meum ego Daniel, dicens: Exaudi Domine preces serui tui, illumina faciem tuam super sanctuarium tuum, & propitius intende po-
D pulum istum, super quem inuocatum est nomen tuum Deus. VERS. I. Adhuc me loquente, & orante, & narrante peccata mea, & delicta populi mei Israel. VERS. II. Audiui vocem dicentem mihi: Daniel, intellige verba quæ loquor tibi, quia ego missus sum ad te: nam & Michael venit in adiutorium meum. AD COM. Vouete & reddite Domino Deo vestro omnes, qui in circuitu eius affertis munera: terribili & ei qui aufert spiritum principum, terribili apud omnes reges terræ. PSAL. Notus in Iudæa Deus.

Psal. 118. *Psal. 117.* *Dan. 9.* *Psal. 75.*

FERIA QVARTA MENSIS SEPTIMI.

AD S. MARTAM.

ANTIPH. Exultate Deo adiutori nostro, iubilate Deo Iacob: sumite psalmum iucundum cum cithara, canite initio mensis tuba, quia præceptum in Israel est, & iudicium Deo Iacob. PSAL. Testimonium in Ioseph posuit illud, cum exiret de terra Ægypti.
E RESP. Quis sicut Dominus Deus qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo & in terra? VERS. Suscitans a terra inopem, & de stercore erigens pauperem. RESP. Tribulationes. OFF. Meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi valde: & leuabo manus meas ad mandata tua, quæ dilexi. VERS. I. Pars mea Dominus. VERS. II. Miserere mei secundum eloquium tuum. AD COM. Comedite pinguia, & bibite mustum, & mittite partes eis, qui non præparauerunt sibi, sanctus enim dies Domini est: nolite contristari, gaudium etenim Domini est fortitudo nostra. PSAL. vt supra.

Psal. 32. *Psal. 112.* *Psal. 24.* *Psal. 115.* *2. Esdr. 8.*

FERIA VI. STATIO AD SANCTOS XII. APOSTOLOS.

ANTIPH. Lætetur cor quærentium Dominum, & confortamini, quærite faciem eius semper. PSAL. Confitemini Domino, & inuocate nomen eius, adnunciate inter gentes opera eius. RESP. Conuertere Domine aliquantulum, & deprecare super seruos tuos.

Psal. 104. *Psal. 84.*

Pſal. 102. tuos. VERS. Domine, refugium factus es nobis a generatione & progenie. OFF. Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius, & renouabitur ſicut aquilæ iuuentus tua. VERS. Dominus in cælo. AD COM. Auſer a me opprobrium & contemptum, quia mandata tua exquiſiui Domine. nam & teſtimonia tua, Pſal. 118. meditatio mea eſt. PSAL. Beati immaculati in via.

SABBAT. IN XII. LECTIONIBVS AD S. PETRVM.

ANTIPH. Venite, adoremus Deum, & procidamus ante Dominum, ploremus ante eum qui fecit nos, quia ipſe eſt Dominus Deus noſter. PSAL. Venite, exultemus Domino, iubilemus Deo ſalutari noſtro. [RESP. Ego dixi, Domine miſerere mei, ſana animam meam, quia peccaui tibi. VERS. Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. RESP. Timebunt gentes. VERS. Quoniam ædificauit. RESP. Bonum eſt confidere in Domino. VERS. Bonum eſt ſperare in Domino. RESP. Liberaſti nos Domine. VERS. In Deo laudabimur. HYM. Benedictus es Domine. TRACT. Laudate Dominum omnes gentes.] OFF. Domine Deus ſalutis meæ, in die clamaui & nocte coram te: intret oratio mea in conſpectu tuo Domine. AD COM. Menſe ſeptimo feſta celebrabitis, cum in tabernaculis habitare fecerim filios Iſrael, cum educerem eos de terra Ægypti, ego Dominus Deus veſter. PSAL. vt ſupra.

HEBDOM. XVIII.

ANTIPH. Da pacem Domine ſuſtinentibus te, vt prophetæ tui fideles inueniantur: exaudi preces ſerui tui, & plebis tuæ Iſrael. PSAL. Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ. RESP. Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus. VERS. Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis. ALL. Confitemini Domino, & inuocate nomen eius, adnunciate inter gentes opera eius. Exod. 33. OFF. Sanctificauit Moyſes altare Domino, offerens ſuper illud holocauſta: & immolans victimas, fecit ſacrificium veſpertinum in odorem ſuauitatis Domino Deo in conſpectu filiorum Iſrael. VERS. I. Locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Aſcende ad me in montem Sina, & ſtabis ſuper cacumen eius. Surgens Moyſes, aſcendit in monrem vbi conſtituit ei Deus: & deſcendit ad eum Dominus in nube, & adſtitit ante faciem eius. videns Moyſes, procidens adorauit, dicens: Obſecro Domine, dimitte peccata populi tui. & dixit ad eum Dominus: Faciam ſecundum verbum tuum. VERS. II. Orauit Moyſes Dominum, & dixit: Si inueni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi teipſum manifeſte vt videam te. Et locutus eſt ad eum Dominus, dicens: Non enim videbit me homo & viuere poteſt, ſed eſto ſuper altitudinem lapidis, & protegat te dextera mea, donec pertranſeam: dum pertranſiero, auferam manum meam, & tunc videbis gloriam meam. Facies autem mea non videbitur tibi, quia ego ſum Deus oſtendens mirabilia in terra. AD COM. Tollite hoſtias, & introite in atria eius, adorate Dominum in aula ſancta eius. PSAL. 95.

HEBDOM. XIX.

ANTIPH. Salus populi ego ſum, dicit Dominus, de quacumque tribulatione clamauerint ad me, exaudiam eos, & ero illorum Dominus in perpetuum. PSAL. Adtendite populus meus legem meam, inclinate aurem veſtram in verba oris mei. RESP. Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus. VERS. Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis. Item. RESP. Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo Domine. VERS. Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum. ALL. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo, & pſallam, Pſal. 138. tibi in gloria mea. OFF. Si ambulauero in medio tribulationis, viuificabis me Domine, & ſuper iram inimicorum meorum extendes manum tuam: & ſaluum me fecit dextera tua. VERS. I. In quacumque die inuocauero te, exaudi me: multiplicabis in anima mea virtutem. VERS. II. Adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo. AD COM. Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis: vtinam dirigantur viæ meæ, ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas. PSAL. 118.

HEBDOM. XX.

ANTIPH. Omnia quæ feciſti nobis Domine, in vero iudicio feciſti: quia peccauimus tibi, & mandatis tuis non obediuimus: ſed da gloriam nomini tuo, & fac nobiſcum

ſecundum

A secundum multitudinem misericordiæ tuæ. PSAL. Beati immaculati in via. RESP. Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das illis escam in tempore oportuno. VERS. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Item. RESP. Eripe me Dome de inimicis meis. VERS. Liberator meus. ALL. Redemptionem misit Dominus populo suo, mandauit in æternum testamentum suum. OFF. Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion. VERS. I. Si oblitus fuero tui Hierusalem, obliuioni detur dextera mea. VERS. II. Memento Domine filiorum Edom in die Hierusalem. AD COM. Memento verbi tui seruo tuo Domine, in quo mihi spem dedisti: hæc me consolata est in humilitate mea. PSAL. 118. vt supra. *Psal. 144.*

HEBDOMADA XXI.

B ANTIPH. In voluntate tua, Domine, vniuersa sunt posita, & non est qui possit resistere voluntati tuæ: tu enim fecisti omnia, cælum & terram, & vniuersa quæ cæli ambitu continentur. PSAL. Beati immaculati. RESP. Domine, refugium factus es nobis a generatione & progenie. VERS. Priusquam montes fierent aut formaretur terra & orbis, a sæculo & in sæculum tu es Deus. ALL. Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini. VERS. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc & vsque in sæculum. OFF. Vir erat in terra nomine Iob, simplex & rectus, ac timens Deum, quem satan petijt vt tentaret, & data est ei potestas a Domino in facultate & in carne eius, perditq. omnem substantiam ipsius, & filios, carnem quoque eius graui vlcere vulnerauit. VERS. I. Vtinam appenderentur peccata mea, vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, quibus iram merui, & calamitas, & calamitas, & calamitas quam pa-
C tior, hæc grauior appareret. VERS. II. Quæ est enim, quæ est enim, quæ est enim fortitudo mea, vt sustineam? aut quis finis meus, vt patienter agam? VERS. III. Numquid fortitudo lapidum est fortitudo mea? aut caro mea ænea est? aut caro mea ænea est? VERS. IIII. Quoniam quoniam quoniam non reuertetur oculus meus, vt videam bona, vt videam bona, vt videam bona, vt videam bona, vt videam bona, vt videam bona, vt videam bona, vt videam bona, vt videam bona. AD COM. In salutari tuo defecit anima mea, & in verbum tuum speraui, quando facies de persequentibus me iudicium: iniqui persecuti sunt me, adiuua me Domine Deus meus. PSAL. vt supra. *Esth. 13. Psal. 118. Psal. 89. Psal. 112. Iob. 1. Psal. 118.*

HEBDOMADA XXII.

D ANTIPH. Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine, quis sustinebit? quia apud te propitiatio est Deus Israel. PSAL. De profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi vocem meam. RESP. Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum. VERS. Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. VERS. Mandauit Dominus benedictionem & vitam vsque in sæculum. ALL. Qui timent Dominum, sperent in eo: adiutor & protector eorum est. OFF. Recordare mei Domine, omnipotentia tua dominans: da sermonem rectum & bene sonantem in os meum, vt placeant verba mea in conspectu principis. VERS. Euerte cor eius in odium repugnautium nobis, & in eos qui consentiunt eis. Nos autem libera in manu tua Deus nostri in æternum. AD COM. Dico vobis, gaudium est angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente. PSAL. vt supra. *Psal. 129. Psal. 132. Psal. 113. Esth. 14. Luc. 15.*

HEBDOMADA XXIII.

E ANTIPH. Dicit Dominus, ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis: inuocabitis me, & ego exaudiam vos, & reducam captiuitatem vestram de cunctis locis. PSAL. Benedixisti Domine terram tuam, auertisti captiuitatem Iacob. RESP. Timebunt gentes. VERS. Quoniam ædificauit. Item. RESP. Liberasti nos Domine ex affligentibus nos, & eos qui nos oderunt, confudisti. VERS. In Deo laudabimur tota die, & nomini tuo confitebimur in sæcula. ALL. Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ. OFF. De profundis clamaui ad te Domine: Domine, exaudi vocem meam. VERS. I. Fiant aures tuæ intendentes in orationem serui tui. VERS. II. Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine, quis sustinebit? AD COM. Amen dico vobis, quidquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis. PSAL. De profundis. *Iere. 29. Ieremi. 24. Psal. 84. Psal. 101. Psal. 43. Psal. 114. Psal. 129. Marc. 11.*

DE

A

[DE S. TRINITATE.

Pſal. 74. ANTIPH. Benedicta ſit ſancta Trinitas, atque indiuiſa vnitas: confitebimur ei, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam. PSAL. Benedicamus Patrem & Filium cum ſancto Spiritu, laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula. RESP. Benedictus es Domine, qui intueris abyſſos, & ſedes ſuper Cherubin. VERS. Benedicite Deum cæli. ALL. Benedictus es Domine Deus patrum noſtrorum, & laudabilis in ſæcula. *Pſal. 143.* OFF. Benedictus ſit Deus Pater, vnigenituſq. Dei Filius, ſanctus quoque Spiritus, quia fecit nobiſcum miſericordiam tuam. VERS. Benedicamus Patrem, & Filium cum ſancto Spiritu, laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula. AD COM. Benedicite Deum cæli, & coram omnibus viuentibus confitemini ei, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam.]

B

PRO ITER AGENTIBVS.

Pſal. 67. ANTIPH. Benedictus Dominus Deus. PSAL. Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius, & fugiant, qui oderunt eum, a facie eius. RESP. Si ambulem in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es Domine. VERS. Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. *Pſal. 58.* RESP. Eripe me de inimicis meis Deus meus, & ab inſurgentibus in me, libera me. VERS. Liberator meus de gentibus iracundis. OFF. Perfice greſſus meos in ſemitis tuis, vt non moueantur veſtigia mea. VERS. Greſſus meos dirige ſecundum eloquium tuum, vt non dominetur mei omnis iniuſtitia. AD COM. Tu *Pſal. 118.* mandaſti tua cuſtodiri nimis. Vtinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas.]

C

IN AGENDA MORTVORVM.

ANTIPH. Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis. PSAL. Te *Pſal. 64.* decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum in Hierusalem: exaudi orationem meam, ad te omnis caro veniet. RESP. Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis. VERS. Anima eius in bonis demoretur, & ſemen eius hereditet terram. OFF. Erue Domine animas eorum ab omni vinculo delictorum, vt in reſurrectionis gloria inter ſanctos tuos reſuſcitari mereantur. VERS. Tuam Deus piiſſime pater depoſcimus pietatem, vt eis tribuere digneris placitas & quietas manſiones. AD COM. Au- *Apocal. 14.* diui vocem de cælo, dicentem mihi: Scribe, beati mortui qui in Domino moriuntur: amodo iam dicit ſpiritus, vt requieſcant a laboribus ſuis. Opera enim illorum ſequuntur illos.

D

ITEM ALIA.

ANTIPH. Subuenite ſancti Dei, ſuccurrite angeli Domini, ſuſcipientes animam eius, *Pſal. 24.* offerentes eam in conſpectu altiſſimi. PSAL. Anima eius in bonis demoretur, & ſemen *Pſal. 114.* eius hereditet terram. RESP. Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. VERS. Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, *Pſal. 50.* pedes meos a lapſu. OFF. Miſerere mihi Deus ſecundum. VERS. I. Quoniam iniqui- *Pſal. 117.* tatem meam ego. VERS. II. Tibi ſoli peccaui, Item OFF. Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me: non moriar, ſed viuam, & narrabo opera Do- *Pſal.* mini. VERS I. In tribulatione mea inuocaui Dominum, & exaudiuit me in latitudine Dominus. VERS. II. Impulſus verſatus ſum vt caderem, & Dominus ſuſcepit me. E *Pſal. 6.* Item. OFF. Conuertere Domine, & eripe animam meam, ſaluum me fac propter miſericordiam tuam. VERS. I. Domine, ne ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me. VERS. II. Miſerere mihi Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt omnia oſſa mea. AD COM. Ego ſum reſurrectio & vita, di- *Ioan. 11.* cit Dominus. Qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, viuet.

A

IN NOMINE DOMINI
INCIPIT
LIBER SACRAMENTORVM
DE CIRCVLO ANNI EXPOSITVS
A S. GREGORIO PAPA ROMANO EDITVS

B EX AVTHENTICO BIBLIOTHECAE CVBICVLI SCRIPTVS

Qualiter Missa Romana celebratur, hoc est:

IN *primis* INTROITVS, *qualis fuerit statutis temporibus, seu diebus festis, siue quotidianis. Deinde,* KYRIE ELEISON.

Item dicitur GLORIA IN EXCELSIS DEO, *si Episcopus fuerit, tantummodo die Dominico, siue diebus festis. A Presbyteris autem minime dicitur, nisi solo in Pascha. Quando vero Litania agitur, neque Gloria in excelsis Deo, neque Allelvia canitur.*

Postmodum dicitur Oratio: Deinde sequitur Apostolus.

Item Graduale, seu ALLELVIA.

Postmodum legitur Euangelium, & dicitur Oratio super Oblata.

C *Qua completa, dicit Sacerdos excelsa voce:*

PER OMNIA SAECVLA SAECVLORVM. AMEN. DOMINVS VOBISCVM. ET CVM SPIRITV TVO. SVRSVM CORDA. HABEMVS AD DOMINVM. GRATIAS AGAMVS DOMINO DEO NOSTRO. DIGNVM ET IVSTVM EST.

VERE dignum & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Per quem Maiestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates: Cæli, cælorumq. Virtutes, ac beata Seraphin socia exultatione concelebrant. Cum quibus & nostras voces, vt admitti iubeas, deprecamur,

D supplici confessione dicentes: SANCTVS, SANCTVS, SANCTVS.

Oratio ante quàm Sacramenta incipiant.

FACTVRVS memoriam salutaris hostiæ totius mundi, cum illius dignitatem, & meam intueor fœditatem, conscientia torqueor peccatorum. Verum, quia tu Deus multum misericors es, imploro, vt digneris mihi dare spiritum contribulatum, quod tibi gratum sacrificium reuelasti, vt eo purificatus, vitali hostiæ pias manus admoueam, quæ omnia mea peccata aboleat, & ea deinceps in perpetuum mihi vitandi cautelam infundat: omnibusq. pro quibus tibi offertur, præsentis & futuræ salutis commercia largiaris. Per Dominum nostrum Iesum Christum, Filium tuum, qui tecum viuit, & regnat Deus in vnitate Spiritus sancti. Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

E

E IGITVR CLEMENTISSIME PATER PER IESVM CHRISTVM FILIVM TVVM DOMINVM NOSTRVM, supplices rogamus, & petimus, vti accepta habeas & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata. In primis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica, quam pacificare, custodire, adunare, & regere digneris toto orbe terrarum, una cum famulo tuo Papa nostro *Ill.* & Rege nostro *Ill.* & omnibus orthodoxis atque Catholicæ, & Apostolicæ fidei cultoribus.

MEMENTO DOMINE Famulorum, Famularumq. tuarum, *Ill.* & *Ill.* & omnium circum adstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio: qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se, suisq. omnibus, pro spe salutis, pro redemptione animarum

 suarum,

suarum, & incolumitatis suæ, tibi reddunt vota sua, æterno Deo, viuo, & vero. A

COMMVNICANTES, & memoriam venerantes, in primis gloriosæ semper Virginis Mariæ genitricis Dei, & Domini nostri IESV CHRISTI. Sed & beatorum Apostolorum, ac Martyrum tuorum, Petri, Pauli, Andreæ, Iacobi, Ioannis, Thomæ, Iacobi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, & Tathæi, Lini, Cleti, Clementis, Xysti, Cornelij, Cypriani, Laurentij, Chrysogoni, Ioannis, & Pauli, Cosmæ, & Damiani; & omnium Sanctorum tuorum, quorum meritis precibusq. concedas, vt in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio, Per Christum Dominum nostrum.

HANC igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus Domine, vt placatus accipias: diesq. nostros in tua pace dispouas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum iubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum. B

QVAM oblationem tu Deus in omnibus, quæsumus, benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemq. facere digneris, vt nobis cor ✠ pus, & san ✠ guis fiat dilectissimi filij tui Domini Dei nosti Iesu Christi.

QVI pridie quàm pateretur, accepit panem in sanctas, ac venetabiles manus suas, eleuatis oculis in cælum, ad te Deum patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, bene ✠ dixit, fregit, dedit discipulis suis, dicens: Accipite, & manducate ex hoc omnes: HOC EST ENIM CORPVS MEVM.

SIMILI modo, postea quàm cenatum est, accipiens & hunc præclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens, bene ✠ dixit, dedit discipulis suis, dicens: Accipite, & bibite ex eo omnes: HIC EST ENIM CALIX SANGVINIS MEI, NOVI ET AETERNI TESTAMENTI, MYSTERIVM FIDEI, QVI C PRO VOBIS ET PRO MVLTIS EFFVNDETVR IN REMISSIONEM PECCATORVM.

HAEC quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.

VNDE & memores Domine nos tui serui, sed & plebs tua sancta, CHRISTI filij tui Domini Dei nostri, tam beatæ Passionis, nec non & ab inferis Resurrectionis, sed & in cælos gloriosæ Ascensionis, offerimus præclaræ Maiestati tuæ de tuis donis, ac datis, Hostiam ✠ puram, Hostiam ✠ sanctam, Hostiam ✠ immaculatam, Panem ✠ sanctum vitæ æternæ, & Calicem ✠ salutis perpetuæ.

SVPRA quæ, propitio, ac sereno vultu recipere digneris, & accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech sanctum sacrificium, D immaculatam Hostiam.

SVPPLICES te rogamus, omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectum Diuinæ Maiestatis tuæ, vt, quotquot ex hac Altaris participatione sacrosanctum filij tui ✠ Corpus, & ✠ sanguinem sumpserimus, omni benedictione cælesti, & gratia repleamur. Per Christum Dominum nostrum.

Super Diptycha.

MEMENTO etiam Domine famulorum, famularumq. tuarum *Ill.* qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis. Ipsis Domine, & omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerij, lucis, & pacis, vt indulgeas, deprecamur. Per eumdem.

NOBIS quoque peccatoribus famulis tuis de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquam & societatem donare digneris, cum tuis sanctis Apostolis, E & Martyribus, cum Ioanne, Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agathe, Lucia, Agne, Cæcilia, Anastasia, & cum omnibus sanctis tuis, intra quorum nos consortium, non æstimator meriti, sed veniæ, quæsumus largitor admitte. Per Christum Dominum nostrum.

PER quem hæc omnia Domine semper bona creas, sancti ✠ ficas, viui ✠ ficas, bene ✠ dicis & præstas nobis. Per ip ✠ sum, & cum ✠ ipso, & in ✠ ipso, est tibi Deo Patri omnipotenti in vnitate Spiritus sancti, omnis honor & gloria.

PER OMNIA SAECVLA SAECVLORVM. AMEN.

Oremus.

PRAECEPTIS SALVTARIBVS moniti, & Diuina institutione formati, audemus dicere:

PATER

A PATER noſter, qui es in cælis, Sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua ſicut in cælo, & in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem.

LIBERA nos, quæſumus, Domine, ab omnibus malis, præteritis, præſentibus, & futuris, & intercedente beata & glorioſa ſemper Virgine Dei genitrice Maria, & beatis Apoſtolis tuis, Petro, & Paulo, atque Andrea, & omnibus ſanctis, da propitius pacem in diebus noſtris, vt ope miſericordiæ tuæ adiuti, & a peccato ſimus ſemper liberi, & ab omni perturbatione ſecuri. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum viuit, & regnat Deus in vnitate Spiritus ſancti. & c.

PAX DOMINI SIT SEMPER VOBISCVM.

B AGNVS DEI QVI TOLLIS PECCATA MVNDI MISERERE NOBIS.

VIIII. KALEND. IANVARII VIGIL. NAT. DOMINI
AD NONAM.

DEVS, qui nos redemptionis noſtræ annua expectatione lætificas, præſta, vt Vnigenitum tuum, quem Redemptorem læti ſuſcipimus, venientem quoque Iudicem ſecuri videamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. & c.

Secreta.

DA nobis, quæſumus, omnipotens Deus, vt, ſicut adoranda filij tui natalitia præuenimus, ſic eius munera capiamus ſempiterna gaudentes. Per eumdem.

C PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, Per Chriſtum Dominum noſtrum: Cuius hodie faciem in confeſſione præuenimus, & voce ſupplici exoramus: vt ſuperuenturæ noctis officijs, nos ita peruigiles reddat, vt ſinceris mentibus eius percipere mereamur Natale venturum, in quo inuiſibilis ex ſubſtantia tua, viſibilis per carnem apparuit in noſtra: Tecumq. vnus non tempore genitus, non natura inferior, ad nos venit ex tempore natus. Per quem, & cet.

AD COMPLENDVM.

D DA NOBIS, Domine, quæſumus, Vnigeniti filij tui recenſita Natiuitate reſpirare, cuius cæleſti myſterio paſcimur, & potamur. Per eundem, & c.

ALIA.

PRAESTA, miſericors Deus, vt ad ſuſcipiendum filij tui ſingulare Natiuitatis myſterium, & mentes credentium præparentur, & non credentium corda ſubdantur. Per eundem.

IN VIGILIA DOMINI IN NOCTE.

DEVS, qui hanc ſacratiſſimam noctem, veri luminis feciſti illuſtratione clareſcere,
E da, quæſumus, vt, cuius lucis myſteria in terra cognouimus, eius quoque gaudijs in cælo perfruamur. Qui tecum viuit, & c.

Secreta.

ACCEPTA ſit tibi, Domine, quæſumus, hodiernæ feſtiuitatis oblatio, vt tua gratia largiente, per hæc ſacroſancta commercia, in illius inueniamur forma: in quo tecum eſt noſtra ſubſtantia. Qui tecum viuit, & c.

PRAEFATIO.

VERE dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, Per Chriſtum Dominum noſtrum. Cuius Diuinæ Natiuitatis potentiam, ingenita virtutis tuæ genuit magnitudo. Quem ſemper Filium, & ante tempora æterna genitum, quia tibi pleno atque perfecto

æterni Patris nomen non defuit, prædicamus, & honore, maiestate, atque virtute, A
æqualem ribi cum Spiritu sancto confitemur, & in trino vocabulo vnicam credimus Maiestatem. Et ideo cum Angelis, & Archangelis, cum Thronis, & c.

AD COMPLENDVM.

DA nobis, quæsumus, Domine Deus noster, vt, qui Natiuitatem Domini nostri Iesu Christi nos frequentare gaudemus, dignis conuersationibus ad eius mereamur pertingere consortium. Qui tecum viuit, &c.

ALIA.

RESPICE nos, misericors Deus: & mentibus clementer humanis, nascente Christo, summæ veritatis lumen ostende. Per eundem Dominum nostrum.

B

MISSA PRIMA MANE
AD SANCTAM ANASTASIAM.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, vt, qui noua incarnati Verbi tui luce perfundimur, hoc in nostro resplendeat opere, quod per fidem fulget in mente. Per eundem.

ALIA.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, vt, qui beatæ Anastasiæ martyris tuæ sollemnia colimus, eius apud te patrocinia sentiamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Secreta.

C

MVNERA nostra, quæsumus, Domine, Natiuitatis hodiernæ mysterijs apta proueniant, vt, sicut homo genitus, idem refulsit Deus, sic nobis hæc terrena substantia conferat quod diuinum est. Per eundem.

ALIA.

ACCIPE, quæsumus, Domine, munera dignanter oblata, & beatæ Anastasiæ suffragantibus meritis, ad nostræ salutis auxilium prouenire concede. Per Dominum nostrum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: quia nostri Saluatoris hodie D
lux vera processit, quæ clara nobis omnia, & intellectu manifestauit, & visu. Et ideo cum Angelis, & Archangelis, cum Thronis, & Dominationibus, cumq. omni militia cælestis exercitus, hymnum gloriæ tuæ canimus, sine fine dicentes.

ALIA.

QVI, vt de hoste generis humani maior victoria duceretur, non solum per viros virtute martyrij, sed de eo etiam per feminas triumphasti. Er ideo cum Angelis, & c.

AD COMPLENDVM.

HVIVS nos, Domine, Sacramenti semper nouitas natalis instauret: Cuius Natiuitas singularis humanam repulit vetustatem. Per. E

ALIA.

SATIASTI Domine Familiam tuam muneribus sacris, eius, quæsumus, semper interuentione nos refoue, cuius sollemnia celebramus. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

VIII. KALEND. IANVARII
IN DIE NATALIS DOMINI.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, vt nos Vnigeniti Filij tui noua per carnem Natiuitas liberet, quos sub peccati iugo vetusta seruitus tenet. Qui tecum viuit.

Secre-

A *Secreta.*

OBLATA, Domine, munera noua Vnigeniti tui Natiuitate sanctifica, nosq. a peccatorum nostrorum maculis emunda. Per eundem, &c.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum, & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Quia per incarnati Verbi mysterium, noua mentis nostræ oculis lux tuæ claritatis infulsit. Vt, dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in inuisibilium amorem rapiamur. Et ideo cum Angelis.

AD COMPLENDVM.

B COMMVNICANTES, & diem sacratissimum celebrantes, quo Beatæ Mariæ intemerata Virginitas huic mundo edidit Saluatorem: sed & memoriam venerantes eiusdem gloriosæ semper Virginis Mariæ, Genitricis Dei, & Domini nostri Iesu Christi: Et Beatorum. &c.

AD COMPLENDVM.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt natus hodie Saluator mundi, sicut Diuinæ nobis generationis est auctor, ita & immortalitatis sit ipse largitor. Qui tecum viuit, & regnat Deus.

ALIÆ ORATIONES.

CONCEDE nobis, omnipotens Deus, vt salutare tuum, noua cælorum luce mirabile, quod ad salutem mundi hodierna festiuitate processit, nostris semper innouandis
C cordibus oriatur. Qui tecum.

ALIA.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui hunc diem per incarnationem Verbi tui, & partum Beatæ Mariæ Virginis consecrasti, da populis tuis in hac celebritate consortium, vt, qui tua gratia sunt redempti, tua sint adoptione securi. Per eundem Dominum nostrum.

ALIA.

FVNDAMENTVM fidei nostræ Deus, qui in mentibus sanctis tamquam in excelsis montibus, æternitatis portas, iustitia muniente, componis, concede nobis vitæ gloriosæ credere, tuumq. Filium Dominum nostrum ad redemptionem animarum hominem factum prædicabiliter confiteri. Qui tecum, &c.

D

ALIA.

LARGIRE, quæsumus, Domine famulis tuis, fidei, spei, & charitatis augmentum, vt, qui Natiuitate filij tui Domini nostri gloriantur, & aduersa mundi, te gubernante, non sentiant; & quæ temporaliter celebrare desiderant, sine fine percipiant. Per eundem.

ALIA.

DEVS, qui per Beatæ Mariæ Virginis partum sine humana concupiscentia procreatum, in Filij tui membra venientes, paternis fecisti præiudicijs non teneri, præsta quæsumus, vt, huius creaturæ nouitate suscepta, vetustatis antiquæ contagijs exuamur. Per eundem.

E

ALIA.

DEVS, qui humanæ substantiæ dignitatem & mirabiliter condidisti, & mirabilius reformasti, da nobis quæsumus eius diuinitatis esse consortes, qui humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps. Qui tecum viuit & regnat Deus, &c.

ALIA.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui in Filij tui Domini Nostri Natiuitate tribuisti totius religionis initium, perfectionemq. constare, da nobis, quæsumus, in eius portione censeri, in quo totius salutis humanæ summa consistit. Qui tecum, &c.

ALIA.

DA quæsumus Domine populo tuo inuiolabilem fidei firmitatem, vt, qui Vnigeni-

tum tuum in tua tecum gloria sempiternum in veritate nostri corporis natum de matre Virgine confitentur, & a præsentibus liberentur aduersis, & mansuris gaudijs inserantur. Per eumdem, &c. A

VII. KALENDAS IANVARII
Nat. Sancti Stephani Martyris.

Da nobis, quæsumus, Domine imitari quod colimus, vt discamus & inimicos diligere, quia eius natalitia celebramus, qui nouit etiam pro persecutoribus exorare Dom.

Secreta.

Svscipe Domine munera pro tuorum commemoratione Sanctorum, vt, quòd illos passio fecit glorioſos, nos deuotio reddat innocuos. Per Dominum. B

Praefatio.

Vere dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, Beati Stephani Leuitæ simul & martyris natalitia recolentes: qui fidei, qui sacræ militiæ, qui dispensationis & castitatis egregiæ, qui prædicationis mirabilis, mirabilisq. constantiæ, qui confessionis ac patientiæ nobis exempla veneranda proposuit. Et ideo Natiuitatem Filij tui merito præ ceteris passionis suæ festiuitate prosequitur: cuius gloriæ sempiternæ primus martyr occurrit. Per quem Maiestatem, &c.

C

Ad Complendvm.

Avxilientvr nobis, Domine, sumpta mysteria, & intercedente B. Stephano martyre tuo, sempiterna protectione confirment. Per.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, qui primitias martyrum, in Beati Leuitæ Stephani sanguine dedicasti, tribue, quæsumus, vt pro nobis interceſſor existat, qui pro suis etiam persecutoribus exorauit Dominum nostrum.

Alia.

Deus, qui nos Vnigeniti tui clementer incarnatione redemisti, da nobis patrocinia tuorum continuata Sanctorum, quibus capere valeamus salutaris mysterij portionem. Per eundem. D

Alia.

Gratias agimus Domine de multiplicatis circa nos miserationibus tuis, qui & Filij tui Natiuitate nos saluas, & beati Martyris Stephani deprecatione sustentas. Per eundem.

VI. KALENDAS IANVARII
Nat. S. Ioannis Evangelistae.

Ecclesiam tuam Domine benignus illustra, vt Beati Ioannis Euangelistæ illuminata doctrinis, ad dona perueniat sempiterna. Per. E

Svper Oblata.

Svscipe munera Domine, quæ in eius tibi sollemnitate deferimus, cuius confidimus patrocinio liberari. Per.

Praefatio.

Vere dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, Beati Apostoli tui, & Euangelistæ Ioannis veneranda natalitia recensentes: qui Domini Nostri Iesu Christi Filj tui vocatione susceptа terrenum respuit patrem, vt posset inuenire cælestem; adeptus in regno cælorum sedem Apostolici culminis, qui tantum retia carnalia contempserat genitoris: quiq. ab Vnigenito tuo sic familiariter est dilectus, & immensæ gratiæ

munera-

A muneribus approbatus, vt eum idem Dominus in cruce iam positus, vicarium suæ Matri Virgini filium subrogaret: quatenus Beatæ Genitricis integritati, probati dilectiq. discipuli virginitas deseruiret. Nam & in cenæ mysticæ sacrosancto conuiuio super ipsum vitæ fontem æternum, scilicet pectus recubuerat Saluatoris. De quo perenniter manantia cælestis hauriens fluenta doctrinæ, tam profundis, ac mysticis reuelationibus est imbutus, vt omnem transgrediens creaturam, excelsa mente conspiceret, & Euangelica voce proferret, quòd In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Et ideo cum Angelis.

AD COMPLENDVM.

REFECTI cibo, potuq. cælesti, Deus noster, te supplices deprecamur, vt, pro cu-
B ius hæc commemoratione percepimus, eius muniamur & precibus. Per.

AD VESPER.

BEATI Ioannis Euangelistæ, quæsumus, Domine, supplicatione placatus, & veniam nobis tribue, & remedia sempiterna concede. Per Dominum nostrum.

ALIA.

BEATI Euangelistæ Ioannis, Domine, precibus adiuuemur, vt, quod possibilitas nostra non obtinet, eius nobis intercessione donetur. Per.

ALIA.

C SIT, Domine, quæsumus, Beatus Ioannes Euangelista nostræ fragilitatis adiutor, vt pro nobis tibi supplicans, copiosius audiatur. Per.

ALIA.

DEVS, qui per os Beati Apostoli tui Ioannis Verbi tui nobis arcana reseraſti, præsta, quæsumus, vt, quod ille nostris auribus excellenter infudit, intelligentiæ competentis eruditione capiamus. Per.

ALIA.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui huius diei venerandam, sanctamq. lætitiam Beati Apostoli tui Ioannis, & Euangelistæ festiuitate tribuisti, da Ecclesiæ tuæ, quæsumus, & amare quod credidit, & prædicare quod docuit. Per.
D

ALIA.

ADSIT Ecclesiæ tuæ Domine, quæsumus, Beatus Euangelista Ioannes, vt, cuius perpetuus doctor existit, semper esse non desinat suffragator. Per Dominum.

ALIA.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt excellentiam Verbi tui, quam Beatus Euangelista Ioannes asseruit, & conuenienter intelligere valeamus, & veraciter profiteri. Per eundem.

E V. KALENDAS IANVARII
NATAL. INNOCENT.

DEVS, cuius hodierna die præconium innocentes Martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt, omnia in nobis vitiorum mala mortifica, vt fidem tuam, quam lingua nostra loquitur, etiam moribus vita fateatur. Per.

Secreta.

ADESTO, Domine, muneribus Innocentum festiuitate sacrandis, & præsta, quæsumus, vt eorum sinceritatem possimus imitari, quorum tibi dicatam veneramur infantiam. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias

tias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus; & in pretiosis mortibus A
paruulorum, quos propter nostri Redemptoris infantiam bestiali sæuitia Herodes fune-
stus occidit, immensa clementiæ tuæ dona prædicare, in quibus fulget sola magis gra-
tia, quàm volunras, & clara est prius confessio, quàm loquela, ante passio, quàm mem-
bra idonea passioni. Existunt testes Christi, qui eius nondum fuerant agnitores. O infi-
nita benigniras: O ineffabilis misericordia, quæ pro suo nomine trucidaris, meritum glo
riæ perire non patitur, sed proprio cruore perfusis & salus regenerationis adhibetur, &
imputatur corona martyrij. Et ideo cum Angelis, &c.

AD COMPLENDVM.

VOTIVA, Domine, dona percepimus, quæ Sanctorum nobis precibus, & præsen- B
tis, quæsumus, vitæ pariter & æternæ tribue conferre subsidium. Per.

AD VESP.

DEVS, qui licet sis magnus in magnis, mirabilia tamen glorioſius operaris in mi-
nimis, da nobis, quæsumus, in eorum celebritate gaudere, qui Filio tuo Domino no-
stro testimonium præbuerunt etiam non loquentes. Per eundem, &c.

ALIA.

IPSI nobis, Domine, quæsumus, postulent mentium puritatem, quorum innocen-
tiam hodie sollemniter celebramus. Per.

ALIA.

ADIVVA nos, Domine, quæsumus, eorum deprecatione Sanctorum, qui Filium C
tuum humana necdum voce profitentes, cælesti sunt pro eius Natiuitate gloria co-
ronati. Per eundem.

PRID. KALENDAS IANVARII
NAT. S. SILVESTRI PAPAE.

DA quæsumus, omnipotens Deus, vt Beati Siluestri Confessoris tui, atque Ponti-
ficis veneranda sollemnitas, & deuotionem nobis augeat, & salutem. Per.

Secreta.

SANCTORVM tuorum nobis, Domine, pia non desit oratio, quæ & munera D
nostra conciliet, & tuam nobis indulgentiam semper obtineat. Per.

AD COMPLENDVM.

QVAESVMVS, omnipotens Deus, vt hodiernæ munus sollemnitatis acceptum,
intercedente Beato Siluestro Confessore tuo, & corporibus nostris salutem præstet &
mentibus. Per Dominum.

ALIA.

ADESTO, Domine, supplicationibus nostris, nec eos vllis mentis, & corporis
patiaris subiacere periculis, quos Beati Siluestri Pontificis tui munit glorioſa confes-
sio. Per. E

KALENDIS IANVARII
IN OCTAVA DOMINI.

DEVS, qui salutis æternæ Beatæ Mariæ virginitate fecunda, humano generi præ-
mia præstitisti, tribue, quæsumus, vt ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per
quam meruimus auctorem vitæ suscipere Dominum nostrum.

ALIA.

DEVS, qui nobis nati Saluatoris diem celebrare concedis octauum, fac, quæ-
sumus, nos eius perpetua diuinitate muniri, cuius sumus carnali commercio repara-
ti. Qui tecum viuit, &c.

Secre-

A *Secreta.*

PRAESTA, quæsumus, Domine, vt per hæc munera, quæ Domini nostri Iesu Christi arcanæ Natiuitatis mysterio gerimus, purificatæ mentis intelligentiam consequamur. Per eundem.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Cuius hodie Circumcisionis diem, & Natiuitatis octauum celebrantes, tua Domine mirabilia veneramur. Quia, quæ peperit, & Mater & Virgo est; Qui natus est, & infans & Deus est. Et ideo cum Angelis, &c.

B AD COMPLENDVM.

PRAESTA, quæsumus, Domine, vt, quod Saluatoris nostri iterata sollemnitate percepimus, perpetuæ nobis redemptionis conferat medicinam. Per eundem.

ALIA.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui in Vnigenito tuo nouam creaturam nos tibi esse fecisti, custodi opera misericordiæ tuæ, & ab omnibus nos maculis vetustatis emunda, vt per auxilium gratiæ tuæ in illius inueniamur forma, in quo tecum est nostra substantia. Qui tecum viuit.

DOMINICA PRIMA POST NAT. DOMINI.

C OMNIPOTENS sempiterne Deus, dirige actus nostros in beneplacito tuo, vt in nomine dilecti Filij tui mereamur bonis operibus abundare. Qui tecum.

Secreta.

CONCEDE, quæsumus, Domine, vt oculis tuæ Maiestatis munus oblatum, & gratiam nobis deuotionis obtineat, & effectum beatæ perennitatis acquirat. Per Dominum nostrum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique
D gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui peccato primi parentis hominem a salutis finibus exulantem, pietatis indulgentia ad veniam, vitamq. reuocasti, mittendo nobis Vnigenitum Filium tuum Dominum, & Saluatorem nostrum: Per quem Maiestatem tuam, &c.

AD COMPLENDVM.

PER huius, Domine, operationem mysterij, & vitia nostra purgentur, & iusta desideria compleantur. Per Dominum, &c.

SVPER POPVLVM.

PROPITIARE misericors Deus supplicationibus nostris, & populum tuum per-
E uigili protectione custodi, vt qui Vnigenitum tuum in carne nostri corporis Dominum natum esse fatetur, nulla possit diaboli falsitate corrumpi. Per eundem.

NONIS IANVARII,
MISSA IN VIGIL. THEOPHANIAE.

CORDA nostra, quæsumus, Domine, venturæ festiuitatis splendor illustret, quo mundi huius tenebris carere valeamus, & perueniamus ad patriam claritatis æternæ. Per.

Secreta.

TRIBVE, quæsumus, Domine, vt præsentibus illi immolemus sacrificijs, & sumamus quæ venturæ sollemnitatis pia munera præcurrunt. Per. &c.

PRAE-

PRAEFATIO. A

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus; & te laudare mirabilem Dominum in omnibus operibus tuis, quibus sacratissima regni tui mysteria reuelasti. Hanc etenim festiuitatem Dominicæ apparitionis index stella præcessit, quæ natum in terra cæli Dominum, Magis stupentibus, nunciaret. Vt manifestandus mundo Dominus & cælesti denunciaretur indicio, & temporaliter procreatus signorum temporalium ministerio panderetur. Et ideo, &c.

AD COMPLENDVM.

ILLVMINA, quæsumus, Domine, populum tuum, & splendore gratiæ tuæ cor eius semper accende, vt Saluatoris mundi stella famulante, manifestata Natiuitas B mentibus eorum reueletur, semper & crescat. Per eundem.

VIII. ID. IANVARII

MISSA IN EPIPHANIA DOMINI.

DEVS, qui hodierna die Vnigenitum tuum gentibus stella duce reuelasti, concede propitius, vt qui iam te ex fide cognouimus, vsque ad contemplandam speciem tuæ celsitudinis perducamur. Per eundem, &c.

Secreta.

ECCLESIAE tuæ, quæsumus, Domine, dona propitius intuere, quibus non iam C aurum thus & myrra profertur, sed quod eisdem muneribus declaratur, immolatur, & sumitur, Iesus Christus Dominus noster.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Quia cum Vnigenitus tuus in substantia nostræ mortalitatis apparuit, in nouam nos immortalitatis suæ lucem reparauit. Et ideo cum Angelis, &c.

Infra actionem.

COMMVNICANTES & diem sacratissimum celebrantes, quo Vnigenitus tuus D in tua tecum gloria coæternus, in veritate carnis nostræ visibiliter corporalis apparuit. Sed et memoriam, &c.

AD COMPLENDVM.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt quæ sollemni celebramus officio, purificatæ mentis intelligentia consequamur. Per.

ALIÆ ORATIONES.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, fidelium splendor animarum, qui hanc sollemnitatem electionis Gentium primitus consecrasti, imple mundum gloria tua, & E subditis tibi populis per luminis tui appare claritatem. Per.

ALIA.

DEVS, illuminator omnium Gentium, da populis tuis perpetua pace gaudere; illud lumen splendidum infunde cordibus nostris, quod trium Magorum mentibus adspirasti. Per.

ALIA.

DA nobis, quæsumus, Domine, digne celebrare mysterium, quod in nostri Saluatoris infantia miraculis coruscantibus declaratur, & corporalibus incrementis manifesta designatur humanitas. Per eundem.

ALIA.

A

ALIA.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt Saluatoris mundi stella duce manifestata Natiuitas mentibus nostris reueletur, semper & crescat. Per eundem.

AD COMPLENDVM.

ILLVMINA, quæsumus, Domine, populum tuum, & splendore gloriæ tuæ cor eius semper accende, vt Saluatorem suum & incessanter agnoscat, & veraciter apprehendat, Dominum nostrum, &c.

DOMINICA PRIMA POST THEOPHANIAM.

B VOTA, quæsumus, Domine, supplicantis populi cælesti pietate prosequere, vt & quæ agenda sunt videant, & adimplenda quæ viderint conualescant. Per, & c.

Secreta.

OBLATVM tibi, Domine, sacrificium viuificet nos semper & muniat. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Quia cum Vnigenitus tuus in substantia nostræ mortalitatis apparuit, in nouam nos immortalitatis suæ lucem reparauit. Et ideo cum Angelis.

C AD COMPLENDVM.

SVPPLICES te rogamus omnipotens Deus, vt quos tuis reficis sacramentis, tibi etiam placitis moribus dignanter deseruire concedas. Per Dominum.

ALIA.

CONSERVA, quæsumus, Domine, familiam tuam, & benedictionum tuarum propitius vbertate purifica, vt eruditionibus tuis semper multiplicetur & donis. Per.

MISSA IN OCTAVA THEOPHANIÆ.

DEVS, cuius Vnigenitus in substantia nostræ carnis apparuit, præsta, quæsumus,
D vt per eum, quem similem nobis foris agnouimus, intus reformari mereamur. Qui tecum viuit, & c.

Secreta.

HOSTIAS tibi, Domine, pro nati tui Filij apparitione deferimus, suppliciter exorantes, vt sicut ipse nostrorum auctor est munerum, ita ipse sit misericors & susceptor Iesus Christus, & c.

Secreta.

TRIBVE, quæsumus, Domine, vt eum præsentibus immolemus sacrificijs, & sumamus, quem præsentis sollemnitatis pia munera prælocuntur, Iesum Christum Filium tuum, & c.

AD COMPLENDVM.

E CAELESTI lumine, quæsumus, Domine, semper & vbique nos præueni, vt mysterium, cuius nos participes esse voluisti, & puro cernamus intuitu, & digno percipiamus effectu. Per.

XVIIII. KALENDAS FEBRVARII

NAT. SANCTI FELICIS.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, vt ad meliorem vitam Sanctorum tuorum exempla nos prouocent, quatenus quorum sollemnia agimus, etiam actus imitemur. Per.

Secreta.

HOSTIAS tibi, Domine, pro commemoratione Sancti Felicis Confessoris offerimus,

rimus, suppliciter deprecantes, vt sicut illi tribuisti sacræ fidei largitatem, sic nobis A
indulgentiam largiaris & pacem. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus; & confessionem Sancti Felicis memorabilem non tacere, qui nec hereticis prauitatibus, nec sæculi blandimentis a sui status rectitudine potuit immutari: sed inter vtraque discrimina veritatis assertor, firmitatem tuæ fidei non reliquit. Per.

AD COMPLENDVM.

QVAESVMVS, Domine, salutaribus repleti mysterijs, vt cuius sollemnia coli- B
mus, eius orationibus adiuuemur. Per Dominum nostrum, &c.

DOMINICA SECVNDA POST THEOPHANIAM.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui cælestia simul & terrena moderaris, supplicationes populi tui clementer exaudi, & pacem tuam nostris concede temporibus. Per.

Secreta.

ADESTO, quæsumus, Domine, supplicationibus nostris, & in tua misericordia confidentes, ab omni nos aduersitate custodi. Per.

ALIA. C

VT tibi grata sint, Domine, munera populi tui supplicantis, ab omni, quæsumus, eum contagione peruersitatis emunda. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus; semperq. virtutes & laudes tuas labijs exultationis effari, qui nobis ad reuelandos istius vitæ labores diuersa donorum tuorum solatia, & munerum salutarium gaudia contulisti, mittendo nobis Iesum Christum Filium tuum Dominum nostrum. Per quem, &c.

D

AD COMPLENDVM.

AVGEATVR in nobis, Domine, quæsumus, tuæ virtutis operatio, vt diuinis vegetati sacramentis, ad eorum promissa capienda tuo munere præparemur. Per.

SVPER POPVLVM.

AVXILIARE, Domine, populo tuo, vt sacræ deuotionis proficiens incrementis, & tuo semper munere gubernetur, & ad redemptionis æternæ pertineat, te ducente, consortium. Per, &c.

XVII. KALENDAS FEBRVARII
NAT. S. MARCELLI PAPAE. E

PRECES populi tui, quæsumus, Domine, clementer exaudi, vt Beati Marcelli Martyris tui atque Pontificis meritis adiuuemur, cuius passione lætamur. Per Dominum nostrum, &c.

Secreta.

SVSCIPE, quæsumus, Domine, munera dignanter oblata, & Beati Marcelli suffragantibus meritis, ad nostræ salutis auxilium prouenire concede. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui glorificaris in tuorum confes-

A confessione Sanctorum. Et non solum excellentioribus præmijs Martyrum tuorum, merita glorioſa proſequeris: ſed etiam ſacra myſteria competentibus ſeruitijs exequentes, gaudium Domini ſui tribuis benignus intrare. Per Chriſtum Dominum.

AD COMPLENDVM.

SATIASTI, Domine, familiam tuam muneribus ſacris, ſemper eius, quæſumus, interuentione nos refoue: cuius ſollemnia celebramus. Per, &c.

XV. KALENDAS FEBRVARII
NAT. S. PRISCAE VIRGINIS.

B DA, quæſumus, omnipotens Deus, vt qui Beatæ Priſcæ Martyris tuæ natalitia colimus, & annua ſollemnitate lætemur, & tantæ fidei proficiamus exemplo. Per.

Secreta.

HOSTIA, Domine, quæſumus, quam Sanctorum tuorum natalitia recenſentes offerimus, & vincula noſtræ prauitatis abſoluat, & tuæ nobis miſericordiæ dona conciliet. Per.

AD COMPLENDVM.

QVAESVMVS, Domine, ſalutaribus repleti myſterijs, vt cuius ſollemnia celebramus, eius orationibus adiuuemur. Per, &c.

C

XIII. KALENDAS FEBRVARII
NAT. S. FABIANI MARTYRIS.

INFIRMITATEM noſtram reſpice omnipotens Deus, & quia pondus propriæ actionis grauat, Beati Fabiani Martyris tui atque Pontificis interceſſio glotioſa nos protegat. Per.

Secreta.

HOSTIAS tibi, Domine, Beati Fabiani Martyris tui dicatas meritis benignus aſſume, & ad perpetuum nobis tribue prouenire ſubſidium. Per Dominum.

D AD COMPLENDVM.

REFECTI participatione muneris ſacri, quæſumus, Domine Deus noſter, vt cuius exequimur cultum, ſentiamus effectum. Per, &c.

EODEM DIE NAT. S. SEBASTIANI MARTYRIS.

DEVS, qui Beatum Sebaſtianum Martyrem tuum virtute conſtantiæ in paſſione roboraſti, ex eius nobis imitatione tribue pro amore tuo proſpera mundi deſpicere, & nulla eius aduerſa formidare. Per, &c.

Secreta.

E ACCEPTA ſit in conſpectu tuo, Domine, noſtra deuotio, & eius nobis fiat ſupplicatione ſalutaris, pro cuius ſollemnitate defertur. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Quoniam Martyris Beati Sebaſtiani pro confeſſione nominis tui venerabilis ſanguis effuſus, ſimul & tua mirabilia manifeſtat, quo perficis in infirmitate virtutem, & noſtris ſtudijs dat profectum, & infirmis apud te præſtat auxilium. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

AD COMPLENDVM.

SACRO munere ſatiati ſupplices te, Domine, deprecamur, vt quod debite ſetui-

tutis celebramus officio, intercedente Beato Sebastiano Martyre tuo, salutationis tuæ A sentiamus augmentum. Per Dominum nostrum.

XII. KALENDAS FEBRVARII
Nat. S. Agnes Virginis.

Omnipotens sempiterne Deus, qui infirma mundi eligis, vt fortia quæque confundas, concede propitius, vt qui Beatæ Agnes Martyris tuæ sollemnia colimus, eius apud te patrocinia sentiamus. Per.

Secreta.

Hostias, Domine, quas tibi offerimus, propitius suscipe, & intercedente Bea- B ta Agne Martyre tua, vincula peccatorum nostrorum absolue. Per Dominum.

Praefatio.

Vere dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et diem Beatæ Agnes Martyrio consecratam sollemniter recensere, quæ terrenæ generositatis oblectamenta despiciens, cælestem meruit dignitatem: societatis humanæ vota contemnens, æterni Regis est sociata consortio: & pretiosam mortem sexus fragilitate calcata, pro Christi confessione suscipiens simul est facta conformis & sempiternitatis eius & gloriæ. Per quem Maiestatem tuam, &c. C

Ad Complendvm.

Svmentes, Domine, gaudia sempiterna de participatione sacramenti festiuitatis sanctæ Martyris Agnes, suppliciter deprecamur, vt quæ sedula seruitute donan te gerimus, dignis sensibus tuo munere capiamus. Per.

XI. KALENDAS FEBRVARII
Nat. S. Vincentii Martyris.

Adesto, quæsumus, Domine, supplicationibus nostris, vt qui ex iniquitate no stra reos nos esse cognoscimus, B. Vincentij Martyris tui intercessione liberemur. Per. D

Secreta.

Hodiernvm, Domine, sacrificium lætantes offerimus, quo Beati Vincentij cælestem victoriam recensentes, & tua magnalia prædicamus, & nos acquisisse gaudemus suffragia glorioſa. Per.

Praefatio.

Vere dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Pro cuius nomine glorioſus Leuita Vincentius, & miles inuictus, rabidi hostis insaniam interritus adijt, modestus sustinuit, securus irrisit: sciens paratus esse, vt resisteret, nescius elatus esse quòd vinceret, in vtroque, Domini ac Ma- E gistri sui vestigia sequens, qui & humilitatis custodiendæ, & de hostibus triumphandi, suis sequenda exempla monstrauit. Per quem, &c.

Ad Complendvm.

Qvaesvmvs, omnipotens Deus, vt qui cælestia alimenta percepimus, intercedente Beato Vincentio Martyre tuo, per hæc contra omnia aduersa muniamur. Per.

VIII. KALENDAS FEBRVARII
Conversio Sancti Pavli.

Deus, qui vniuersum mundum Beati Pauli Apostoli tui prædicatione docuisti, da no-

A da nobis, quæsumus, vt qui eius hodie conuersionem colimus, per eius ad te exempla gradiamur. Per.

Secreta.

APOSTOLI tui Pauli precibus, Domine, plebis tuæ dona sanctifica, vt quæ tibi tuo grata sunt instituto, gratiora fiant patrocinio supplicantis. Per Dominum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et Maiestatem tuam suppliciter exorare, vt Ecclesiam tuam Beati Pauli Apostoli tui prædicatione edoctam, nulla sinas fallacia violari: & sicut nihil in veta religione manere dignoscitur, quod
B non eius condierit disciplina; ita ad peragenda ea, quæ docuit, eius obtentu fidelibus ttibuatur efficacia: sentiatq. credentium gentium multitudo, cum pro se apud te intercessorem, quem habere cognouit Magistrum atque Doctorem. Per Christum Dominum nostrum.

AD COMPLENDVM.

SANCTIFICA nos, Domine, quæsumus, salutari mysterio, & pro nobis eius non desit oratio, cuius nos donasti patrocinio gubernari. Per Dominum.

EODEM DIE NAT. SANCTI PROIECTI MARTYRIS.

MARTYRIS tui Proiecti nos, quæsumus, Domine, interuentio glorioſa commen
C det, vt quod nostris actibus non meremur, eius precibus consequamur. Per Dominum.

Secreta.

SVSCIPE, Domine, propitius otationem nostram cum oblationibus hostiarum superimpositis, & martyris tui Proiecti deprecatione pietati tuæ perfice benignus acceptas, & illam, quæ in eo flagrauit fortem dilectionem in nobis aspira benignus. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutate, Nos tibi semper, & vbique gratias agete, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et tuam misericordiam deprecari, vt mentibus nostris Beati Martyris tui Proiecti repetita sollemnitate spiritalis lætitiæ tribuas iugiter suauitatem: Concedasq. nobis, vt venerando passio-
D nis eius triumphum, obtentu illius, & peccatorum remissionem & sanctorum mereamur adipisci consortium. Per Chtistum Dominum.

AD COMPLENDVM.

VOTIVA, Domine, pro Beati Martytis tui Proiecti passione dona percepimus, quæsumus, vt eius precibus, & ptæsentis vitæ nobis pariter & æternæ ttibuas conferre ptæsidium. Per.

V. KALENDAS FEBRVARII
DE NAT. SANCTAE AGNES.

E DEVS, qui nos annua Beatæ Agnes Martyris tuæ sollemnitate lætificas, da quæsumus, vt quam veneramur officio, etiam piæ conuersationis sequamur exemplo. Per.

Secreta.

SVPER has, quæsumus, Domine, Hostias benedictio copioſa descendat, quæ & sanctificationem nobis clementer opetetur, & de Martyrum nos sollemnitate lætificet. Per, & c.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, Beatæ Agnes natalitia geminantes. Vere enim huius honorandus est dies, quæ sic terrena generatione processit, vt ad diuinitatis consortium peruenirer. Per Christum.

AD COMPLENDVM. A

SVMPSIMVS, Domine, celebritatis annuæ votiua sacramenta, præsta, quæsumus, vt temporalis nobis vitæ remedia præbeant & æternæ. Per.

ALIA.

ADESTO nobis, omnipotens Deus, Beatæ Agnes festa repetentibus, quam hodiernæ festiuitatis prolatam exortu ineffabili munere subleuasti. Per.

AD COLLECTAM.

ERVDI, quæsumus, Domine, plebem tuam, & quæ extrinsecus annua tribuis deuotione venerari, interius assequi gratiæ tuæ luce concede. Per.

IN PVRIFICATIONE B. MARIÆ SEMPER VIRGINIS

AD MISSAM. B

OMNIPOTENS sempiterne Deus, Maiestatem tuam supplices exoramus, vt sicut Vnigenitus Filius tuus hodierna die cum nostræ carnis substantia in templo est præsentatus, ita nos facias purificatis tibi mentibus præsentari. Per eundem Dominum.

Secreta.

EXAVDI, Domine, preces nostras, &, vt digna sint munera, quæ oculis tuæ Maiestatis offerimus, subsidium nobis tuæ pietatis impende. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Quia per incarnati Verbi mysterium, noua mentis nostræ oculis lux tuæ claritatis effulsit, vt dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in inuisibilium amorem rapiamur. Et ideo cum Angelis, & Archangelis, & c. C

AD COMPLENDVM.

QVAESVMVS, Domine, Deus noster, vt sacrosancta mysteria, quæ pro reparationis nostræ munimine contulisti, intercedente Beata semper Virgine Maria, & præsens nobis remedium esse facias & futurum. Per.

AD VESP.

PERFICE in nobis, quæsumus, Domine, gratiam tuam, qui iusti Simeonis expectationem implesti, vt sicut ille mortem non vidit prius quàm Christum Dominum videre mereretur, ita & nos vitam obtineamus æternam. Per eundem. D

NONIS FEBRVARII

NAT. S. AGATHES MARTYRIS.

DEVS, qui inter cetera potentiæ tuæ miracula, etiam in sexu fragili victoriam martyrij contulisti, concede propitius, vt cuius natalitia colimus, per eius ad te exempla gradiamur. Per Dominum.

Secreta.

SVSCIPE, Domine, munera, quæ in Beatæ Agathes Martyris tuæ sollemnitate deferimus, cuius nos confidimus patrocinio liberari. Per Dominum nostrum.

Secreta. E

FIANT, Domine, tuo grata conspectui munera supplicantis Ecclesiæ: &, vt nostræ saluti proficiant, adsit intercessio Beatæ tuæ martyris Agathes. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Pro cuius nomine, pœnarum mortisq. contemptum in vtroque sexu fidelium cunctis ætatibus contulisti, vt inter felicium Martyrum palmas Agathen quoque beatissimam Virginem victrici patientia coronares. Quæ nec minis territa, nec supplicijs superata, de diaboli sæuitia triumphauit, quia in tuæ Deitatis confessione permansit. Et ideo.

AD

A AD COMPLENDVM.

BEATAE Agathes martyris tuæ, Domine, precibus confidentes, quæsumus clementiam tuam, vt per ea, quæ sumpsimus, æterna remedia capiamus. Per.

ALIA.

INDVLGENTIAM nobis, Domine, beata Agathe martyr imploret, quæ tibi grata extitit & merito castitatis, & tuæ professione virtutis. Per Dominum nostrum.

DOMINICA TERTIA POST THEOPHANIAM.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, infirmitatem nostram propitius respice, at-
B que ad protegendum nos dexteram tuæ Maiestatis extende. Per.

SVPER OBLATA.

HAEC Hostia, Domine, quæsumus, emundet nostra delicta, & ad sacrificium celebrandum subditorum tibi corpora mentesq. sanctificet. Per Dominum nostrum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et te in omni tempore collaudare, & benedicere, quia in te viuimus, & mouemur, & sumus. Et nullum rempus, nullumq. momentum est, quod a beneficijs pietatis tuæ vacuum tran-
C sigamus. Varijs etenim sollemnitatum causis, salutarium nobis operum tuorum & munerum memoria, præsentis vitæ tempora exornat. Vnde & nos vel innouanre lætitia præteriti gaudij, vel permanentis boni tempus agnoscentes, indefessas Maiestati tuæ grates exsoluimus. Per Christum Dominum nostrum.

AD COMPLENDVM.

QVOS tantis, Domine, largiris vti mysterijs, quæsumus, vt effectibus nos eorum veraciter aptare digneris. Per.

SVPER POPVLVM.

ADSIT, Domine, quæsumus, propitiatio tua populo supplicanti, vt quod te in-
D spirante fideliter expetit, tua celeri largitate percipiat. Per Dominum nostrum.

DOMINICA QVARTA POST THEOPHANIAM.

DEVS, qui nos in tantis periculis constituros pro humana scis fragilitate non posse subsistere, da nobis salutem mentis & corporis, vt ea, quæ pro peccatis nostris patimur, te adiuuante vincamus. Per.

SVPER OBLATA.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, vt huius sacrificij munus oblatum, fragilitatem nostram ab omni malo purget semper & muniat. Per.

E PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui genus humanum pro præuaricatione sua in ipsius originis radice damnatum, per florem virginalis vteri reddere dignatus es absolutum; vt hominem, quem per Vnigenitum creaueras, per Filium tuum Deum & hominem recreares; & diabolus, qui Adam in fragili carne deuicerat, conseruata iustitia, a Deo carne vinceretur assumpta. Per quem Maiestatem tuam, &c.

AD COMPLENDVM.

MVNERA tua nos, Deus, a delectationibus terrenis expediant, & cælestibus semper instruant alimentis. Per.

DOMINICA QVINTA POST THEOPHANIAM.

FAMILIAM tuam, quæsumus, Domine, continua pietate custodi, vt quæ in sola spe gratiæ cælestis innititur, tua semper protectione muniatur. Per Dominum.

Secreta.

HOSTIAS tibi, Domine, placationis offerimus, vt & delicta nostra miseratus absoluas, & nutantia corda tu dirigas. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: & tibi hanc immolationis Hostiam offerre, quæ est salutifera, & ineffabile Diuinæ gratiæ sacramentum, quæ offertur a plurimis, & vnum Christi corpus, sancti Spiritus infusione perficitur: singuli accipiunt Christum Dominum: & in singulis portionibus totus est: nec per singulos minuitur, sed integrum se præbet in singulis: Propterea ipsi qui sumimus communionem huius sancti panis, & calicis, vnum Christi corpus efficimur. Per ipsius itaque Maiestatem Te supplices exoramus, vt nos ab omnibus emundes contagijs vetustatis, & in nouitate vitæ perseuerare concedas. Per Christum.

AD COMPLENDVM.

QVAESVMVS, omnipotens Deus, vt illius salutaris capiamus effectum, cuius per hæc mysteria pignus accepimus. Per eundem.

SVPER POPVLVM.

ECCLESIAE tuæ, Domine, voces placatus admitte, vt destructis aduersitatibus vniuersis, secura tibi seruiat libertate. Per, &c.

DOMINICA SEXTA POST THEOPHANIAM.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt semper rationabilia meditantes, quæ tibi sunt placita, & dictis exequamur & factis. Per.

SVPER OBLATA.

HAEC nos oblatio Deus mundet, quæsumus, & renouet, & gubernet, & protegat. Per Dominum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Ad cuius immensam pertinet gloriam, vt non solum mortalibus, tua pietate succurreres, sed de ipsa etiam mortalitate nostra nobis remedium prouideres, & perditos quosque vnde perierant inde saluares. Per Christum Dominum nostrum.

AD COMPLENDVM.

CAELESTIBVS, Domine, pasti delicijs, quæsumus, vt semper eadem, per quæ veraciter viuimus, appetamus. Per.

SVPER POPVLVM.

CONSERVA populum tuum, Deus, & tuo nomini sac deuotum, vt diuinis subiectus officijs, & temporalia viriliter & æterna dona percipiat. Per Dominum nostrum, &c.

XVI. KALENDAS MARTII

NAT. S. VALENTINI MARTYRIS.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt qui B. Valentini martyris tui natalitia co-

A tia colimus, a cunctis malis imminentibus eius interceſſione liberemur. Per Dominum noſtrum.

SVPER OBLATA.

OBLATIS, quæſumus, Domine, placare muneribus, & intercedente beato Valentino Martyre tuo, a cunctis nos defende periculis. Per Dominum noſtrum.

AD COMPLENDVM.

SIT nobis, Domine, reparatio mentis & corporis cæleſte myſterium, vt cuius exequimur actionem, ſentiamus effectum. Per.

VIII. KALENDAS MARTII
CATHEDRA S. PETRI IN ROMA.

B DEVS, qui Beato Apoſtolo tuo Petro, collatis clauibus regni cæleſtis, animas ligandi atque ſoluendi Pontificium tradidiſti, concede, vt interceſſionis eius auxilio, a peccatorum noſtrorum nexibus liberemur. Qui viuis & regnas, &c.

SVPER OBLATA.

ECCLESIAE tuæ, quæſumus, Domine, preces & Hoſtias Beati Petri Apoſtoli commendet oratio, vt quod pro illius gloria celebramus, nobis proſit ad veniam, Per Dominum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique
C gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus; & te laudare mirabilem Deum in ſanctis tuis, in quibus glorificatus es vehementer. Per quos Vnigeniti tui ſacrum corpus exornas, & in quibus Eccleſiæ tuæ fundamenta conſtituis: quam in Patriarchis fundaſti, in Prophetis præparaſti, in Apoſtolis condidiſti. Ex quibus Beatum Petrum Apoſtolorum Principem, ob confeſſionem Vnigeniti Filij tui, per os eiuſdem Verbi tui confirmatum, in fundamento domus tuæ mutato nomine cæleſtium clauſtrorum præſulem cuſtodemq. feciſti, Diuino ei iure conceſſo, vt quæ ſtatuiſſet in terris, ſeruarentur in cælis: In cuius veneratione hodierna die Maieſtati tuæ hæc feſta perſoluimus, & gratiarum ac laudis Hoſtiam immolamus. Per quem Maieſtatem, &c.

AD COMPLENDVM.

D LAETIFICET nos, Domine, munus oblatum, vt ſicut in Apoſtolo tuo Petro te mirabilem prædicamus, ſic per illum tuæ ſumamus indulgentiæ largitatem. Per.

SVPER POPVLVM.

BENEDIC, quæſumus, Domine, plebem tuam, & beati Petri Apoſtoli tui precibus tribue conſequi tuæ defenſionis auxilium. Per.

ALIA MISSA.

OMNIPOTENS ſempiterne Deus, qui ineffabili ſacramento Apoſtoli tui Petri principatum in Romani nominis arce poſuiſti, præſta, vt, quod in orbem terrarum
E eius prædicatione inchoauit, Chriſtianæ deuotionis ſequatur vniuerſitas. Per.

Secreta.

HOSTIAS populi tui, Domine, propitius intuere, vt quod noſtra fiducia non meretur, per eum, quem nobis conſtituiſti præſulem, inceſſabiliter largiaris. Per Dominum noſtrum, &c.

AD COMPLENDVM.

REPLETI benedictione cæleſti ſupplices imploramus, vt quod fragili celebramus officio Beati Apoſtoli tui Petri prodeſſe nobis ſentiamus auxilio. Per.

ALIA.

PROTECTOR in te ſperantium Deus, reſpice populum ſupplicantem, & Apoſtoli tui Petri interueniente ſuffragio, perfice miſeratus pia deſideria ſingulorum. Per.

VI. KA-

VI. KALENDAS MARTII
Nat. S. Matthiae Apostoli.

A

Deus, qui Beatum Matthiam Apostolorum tuorum collegio sociasti, tribue, quæsumus, vt eius interuentione, tuæ circa nos pietatis semper viscera sentiamus. Per Dominum.

Super Oblata.

Deus, qui proditoris apostatæ ruinam, ne Apostolorum tuorum numerus sacratus perfectione careret, Beati Matthiæ electione supplesti, præsentia munera sanctifica, & per ea nos gratiæ tuæ virtute confirma. Per.

Praefatio.

B

Vere dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus; & te laudare mirabilem Deum in Beatis Apostolis tuis, in quibus glorificatus es vehementer. Per quos Vnigeniti tui sacrum corpus colligis, & in quibus Ecclesiæ tuæ fundamenta constituis: Vnde poscimus clementiam tuam, pijssime omnipotens Deus, vt intercessione Beati Apostoli tui Matthiæ, cuius passionis triumphum sollemniter celebramus, mereamur a peccatorum nostrorum nexibus solui, & æternæ vitæ felicitati reddi, atque Sanctorum tuorum cœtibus connumerari. Per quem, &c.

Ad Complendvm.

C

Praesta, quæsumus, omnipotens, & misericors Deus, vt per hæc sancta, quæ sumpsimus, interueniente Beato Matthia Apostolo tuo, veniam consequamur & pacem. Per.

Super Popvlvm.

Percipiat, Domine, quæsumus, populus tuus, intercedente Beato Matthia Apostolo tuo, misericordiam, quam deposcit, & quam precatur humiliter, indulgentiam consequatur & pacem. Per Dominum, &c.

IIII. IDVS MARTII
Nat. S. Gregorii Papae.

D

Concede, quæsumus, Domine, fidelibus tuis digne Sancti Gregorij Pontificis tui celebrare sollemnia, vt eius & hic experiantur auxilia, & æternis effectibus apprehendant. Per.

Super Oblata.

Hostias, Domine, quas nomini tuo sacrandas offerimus, Sancti Gregorij prosequatur oratio, per quam nos & expiari facias, & defendi. Per.

Praefatio.

Vere dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Quia sic tribuis Ecclesiam tuam Sancti Gregorij Pontificis tui commemoratione gaudere, vt eam illius & festiuitate lætifices, & exemplo piæ conuersationis exerceas, & Verbo prædicationis erudias, grataq. tibi supplicatione tuearis. Per.

E

Ad Complendvm.

Praestent nobis, quæsumus, Domine, tua sancta præsidium, quod, interuenientibus Beati Gregorij meritis, ab omnibus nos absoluat peccatis. Per.

VIII. KALENDAS APRILIS
Annvnciatio Angeli Ad B. Mariam.

Deus, qui Beatæ Mariæ Virginis vtero Verbum tuum, Angelo annunciante, carnem

A carnem ſuſcipere voluiſti, præſta ſupplicibus tuis, vt qui vere eam Genitricem Dei credimus, eius apud te intercessionibus adiuuemur. Per eundem.

AD MISSAM.

DEVS, qui hodierna die Verbum tuum Beatæ Virginis aluo coadunare voluiſti, fac nos ita peragere, vt tibi placere valeamus. Per eundem.

SVPER OBLATA.

ALTARI tuo, Domine, ſuperpoſita munera Spiritus ſanctus aſſumat, qui hodie Beatæ Mariæ viſcera ſplendoribus ſuæ virtutis repleuit. Per Dominum noſtrum.

B

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum: Quem pro ſalute hominum naſcirurum, Gabriel Archangelus nunciauit, Virgo Maria Spiritus ſancti cooperatione concepit: vt quod Angelica nunciauit ſublimitas, Virginea crederet puritas, ineffabilis perficeret Deitas. Illius itaque optamus, te opitulante, cernere faciem ſine confuſione, cuius Incarnationis gaudemus ſollemnitate. Per quem Maieſtatem.

AD COMPLENDVM.

C IN mentibus noſtris, Domine, veræ fidei ſacramenta confirma, vt qui conceptum de Virgine Deum verum & hominem confitemur, per eius ſalutiferæ reſurrectionis potentiam ad æternam mereamur peruenire lætitiam. Per.

SVPER POPVLVM.

PROTEGE, Domine, famulos tuos ſubſidijs pacis, & Beatæ Mariæ patrocinijs confidentes a cunctis hoſtibus redde ſecuros. Per.

ALIA.

GRATIAM tuam, quæſumus, Domine, mentibus noſtris infunde, vt qui Angelo nunciante Chriſti Filij tui Incarnationem cognouimus, per paſſionem eius & cru-
D cem ad reſurrectionis gloriam perducamur. Qui tecum viuit & regnat Deus.

ALIA.

OMNIPOTENS ſempiterne Deus, qui coæternum tibi Filium hodie pro mundi ſalute ſecundum carnem Spiritu ſancto concipiendum angelico miniſterio Beatæ Mariæ ſemper Virginis declaraſti, adeſto propitius populo tuo, vt ad eius Natiuitatem, pace conceſſa, liberioribus animis occurramus. Per eundem, &c.

ALIA.

EXAVDI nos, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui per Beatæ Mariæ ſaeri vteri Diuinæ gratiæ obumbrationem vniuerſum mundum illuminare
E dignatus es; & præſta, vt quod noſtris meritis non valemus obtinere, eius adipiſci præſidijs mereamur. Per Dominum noſtrum.

ALIA.

BEATAE, & glorioſæ ſemperq. Virginis Dei genitricis Mariæ nos, Domine, quæſumus, merita conſequantur, & tuam nobis indulgentiam ſemper implorent. Per.

ALIA.

PORRIGE nobis, Deus, dexteram tuam, & per intercessionem Beatæ, & glorioſæ ſemperq. Virginis Dei genitricis Mariæ, auxilium nobis ſupernæ Virtutis impende. Per eundem.

IN

IN SEPTVAGESIMA. A

PRECES populi tui, quæsumus, Domine, clementer exaudi, vt qui iuste pro peccaris nostris affligimur, pro tui nominis gloria misericorditet liberemur. Per Dominum, & c.

SVPER OBLATA.

CONCEDE nobis misericors Deus, & digne tuis seruire semper altaribus, & eorum perpetua participatione saluari. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Quia per ea, quæ conspiciuntur, instruimur, quibus modis ad inuisibilia tendere debeamus. Denique commonemur, anni ducente successu, de præteritis ad futura, de vetustate ad nouiratem vitæ transire, vt terrenis sustentarionibus expediti, cælestis doni capiamus desiderabilius vbertatem. Et per eum cibum, qui beneficijs prærogatur alterius, perueniamus ad victum sine fiue mansurum, Iesum Christum Dominum nostrum. Per quem. B

AD COMPLENDVM.

FIDELES tui, Deus, perpetua dona firmentur, vt eadem & percipiendo requirant, & quærendo sine fine percipiant. Per.

SVPER POPVLVM. C

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, fragilitati nostræ sufficientiam competentem, vt suæ reparationis effectum, & pia conuersatione recensеat, & cum exultatione susсipiat. Per Dominum nostrum.

IN SEXAGESIMA.

DEVS, qui conspicis, quia ex nulla nostra actione confidimus, concede propitius, vt contra aduersa omnia Doctoris Gentium protectione muniamur. Per.

SVPER OBLATA.

INTENDE, quæsumus, Domine, Hostias familiæ tuæ, & quam sacri muneris facis esse participem, tribue ad eius plenitudinem peruenire. Per. D

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui rationalem creaturam, ne temporalibus dedita bonis, ad præmia sempiterna non tendat, ea dispensatione dignaris erudire, vt nec castigatione deficiat, nec prosperitatibus insolescat: sed hoc potius fiat eius gloriosa deuotio, quò nullis aduersitatibus obruta superetur. Per Christum Dominum, & c.

AD COMPLENDVM.

ADSIT nobis, quæsumus, Domine, cibus sacer, potusq. salutaris, qui & temporalem vitam muniat, & præstet æternam. Per Dominum nostrum. E

SVPER POPVLVM.

TVERE, quæsumus, Domine, plebem tuam, & sacram sollemnitatem recolentem gratiæ cælestis largitate prosequere, vt visibilibus adiuta solatijs, ad inuisibilia bona promptius incitetur. Per.

DOMINICA IN QVINQVAGESIMA.

PRECES nostras, quæsumus, Domine, clementer exaudi, atque a peccatorum vinculis absoluros, ab omni nos aduersitate custodi. Per.

Secre-

Secreta.

A HAEC Hostia, Domine, quæsumus, emundet nostra delicta, & ad sacrificium celebrandum subditorum tibi corpora, mentesq. sanctificet. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & Maiestatem tuam cernua deuotione exorare, vt modulum terrenæ fragilitatis aspiciens, non in ira tua pro nostra prauitate nos arguas, sed immensa clementia purifices, erudias, consoleris. Qui cum sine te nihil possimus facere, quod tibi sit placitum, tua nobis gratia sola præstabit, vt salubri conuersatione viuamus. Per Christum, &c.

B AD COMPLENDVM.

REPLETI sumus, Domine, donorum participatione cælestium, præsta quæsumus, vt eadem & sumamus iugiter, & inexsabiliter ambiamus. Per.

SVPER POPVLVM.

DE multitudine misericordiæ tuæ, Domine, populum tibi protege confidentem, & corporaliter gubernatum, piæ mentis affectu tuis muneribus assequendis effice promptiorem. Per Dominum nostrum.

FERIA IV. CAPVT IEIVNII.

C CONCEDE nobis, Domine, præsidia militiæ Christianæ sanctis inchoare ieiunijs, vt contra spiritales nequitias pugnaturi continentiæ muniamur auxilijs. Per.

ORATIO AD MISSAM.

PRAESTA, quæsumus, Domine fidelibus tuis, vt ieiuniorum veneranda sollemnia, & congrua pietate susciplant, & secura deuotione percurrant. Per.

Secreta.

FAC nos, Domine, quæsumus, his muneribus offerendis conuenienter aptari, quibus ipsius venerabilis sacramenti celebramus exordium. Per.

D PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem eleuas, virtutem largiris & præmia. Per Christum.

AD COMPLENDVM.

PERCEPTA nobis, Domine, præbeant sacramenta præsidium, vt & tibi grata sint nostra ieiunia, & nobis proficiant ad medelam. Per, &c.

SVPER POPVLVM.

E INCLINANTES se, Domine, Maiestati tuæ propitiatus intende, vt qui diuino munere sunt refecti, cælestibus semper nutriantur auxilijs. Per Dominum nostrum.

FERIA V.

DEVS, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, auerte. Per, &c.

Secreta.

SACRIFICIIS præsentibus, Domine, quæsumus, intende placatus, vt & deuotioni nostræ proficiant & saluti. Per.

PRE-

PRAEFATIO. A

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Quoniam illa festa remeant, quibus nostræ mortalitati procuratur immortale commercium, ac temporali vitæ subrogatur æternitas: Et de peccati pœna, peccata mundantur, mirisq. modis conficitur de perditione saluatio, vt status conditionis humanæ, qui per felicitatis insolentiam venit ad tristitiam, humilis & modestus ad æterna gaudia redeat per mœrorem. Per Christum.

AD COMPLENDVM.

CAELESTIS doni benedictione percepta, supplices te, Deus omnipotens, deprecamur, vt hoc idem nobis & sacramenti causa sit & salutis. Per.

SVPER POPVLVM. B

PARCE, Domine, parce populo tuo, vt dignis flagellationibus castigatus, in tua miseratione respiret. Per Dominum nostrum.

FERIA VI.

INCHOATA ieiunia, quæsumus, Domine, benigno fauore prosequere, vt obseruantiam, quam corporaliter exhibemus, mentibus etiam sinceris exercere valeamus. Per.

Secreta.

SACRIFICIVM, Domine, obseruantiæ paschalis offerimus, præsta, quæsumus, C vt tibi & mentes nostras reddat acceptas, & continentiæ promptioris nobis tribuat facultatem. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et Maiestatem tuam suppliciter deprecari, vt intelligentiæ nobis spiritum benignus infundas, quo vel ipsi rationabiliter agenda cernamus, vel eis, qui inutilia sentiunt, indicemus esse censendum: nec studia nostra sectemur, sed offerentibus meliora subdamur. Quoniam apud te Sapientia est, quæ non suis inhæret vitijs, sed vndecumq. prolatam diligit veritatem. Per Christum Dominum nostrum.

D

AD COMPLENDVM.

SPIRITVM nobis, Domine, tuæ charitatis infunde, vt quos vno cælesti pane satiasti, tua facias pietate concordes. Per.

SVPER POPVLVM.

GVBERNA, Domine, quæsumus, plebem tuam, & tuis beneficijs semper accumula, vt & præsentis vitæ subsidijs gaudeat & æternæ. Per.

SABBATO.

EXAVDI nos miserator, & misericors Deus, & continentiæ salutaris propitius E nobis dona concede. Per Dominum nostrum.

Secreta.

PRAEPARA nos, quæsumus, Domine, huius abstinentiæ festiuis officijs, vt hæc sacrificia veneranda sobrijs semper mentibus celebremus. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et Maiestatem tuam suppliciter deprecari, vt mentem nostram tibi placitam benignus efficias, quæ non tantum speciem bonitatis ostendat, sed iustitiæ fructibus illuminata clarescat: Tuæq. semper

dedita

A dedita Maiestati, beneficia desiderata percipiat. Qui necessarijs prosequi muneribus non omittis, quos tuo cultui præstiteris conuenienter intentos. Per Christum Dominum nostrum.

AD COMPLENDVM.

TRIBVE nobis omnipotens Deus, vt dona cælestia, quæ debito frequentamus obsequio, salutaria nobis iugiter sentiamus. Per.

SVPER POPVLVM.

TVERE, Domine, populum tuum, & ab omnibus peccatis clementer emunda: quia nulla ei nocebit aduersitas, si nulla dominetur iniquitas. Per.

B

DOMINICA IN QVADRAGESIMA.

DEVS, qui Ecclesiam tuam annua Quadragesimæ obseruatione purificas, præsta familiæ tuæ, vt quod a te obtinere abstinendo nititur, hoc bonis operibus exequatur. Per.

Secreta.

SACRIFICIVM Quadragesimalis initij sollemniter immolamus, Te, Domine, deprecantes, vt cum epularum restrictione carnalium, a noxijs quoque voluptatibus temperemus. Per.

PRAEFATIO.

C VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Qui continuatis quadraginta diebus & noctibus, hoc ieiunium non esuriens dedicauit: postea enim esurijt non tam cibum hominum quàm salutem: nec escarum sæcularium epulas concupiuit, sed animarum desiderauit potius sanctitatem. Cibus namque eius est, redemptio populorum. Cibus eius est totius bonæ voluntatis effectus: Qui nos docuit operari, non cibum, qui terrenis dapibus apparatur, sed eum, qui diuinarum Scripturatum lectione percipitur. Per quem.

AD COMPLENDVM.

TVI nos, Domine, sacramenti libatio sancta restauret, & a vetustate purgatos
D in mysterij salutaris faciat transire consortium. Per.

SVPER POPVLVM.

IN populum tuum, quæsumus, Domine, benedictio copiosa descendat, indulgentia veniat, consolatio tribuatur, fides sancta succrescat, redemptio sempiterna firmetur. Per.

AD VESP.

ADESTO, quæsumus, Domine, supplicationibus nostris, & in tua misericordia confidentes, ab omni nos aduersitate custodi. Per Dominum nostrum.

ALIA.

E CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, vt per annua Quadragesimalis exercitia sacramenti, & ad intelligendum Christi proficiamus arcanum, & effectus eius digna conuersatione sectemur. Per eundem.

FERIA II.

CONVERTE nos, Deus, salutaris noster: &, vt nobis ieiunium Quadragesimale proficiat, mentes nostras cælestibus instrue disciplinis. Per.

Secreta.

ACCEPTA tibi sit, Domine, nostræ deuotionis oblatio, quæ & ieiunium nostrum, Te operante, sanctificet, & indulgentiam nobis tuæ consolationis obtineat. Per.

PRAEFATIO. A

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui das escam omni carni, & nos non solum carnalibus, sed etiam spiritualibus escis reficis, vt non in solo pane viuamus, sed in omni verbo tuo vitalem habeamus alimoniam: nec tantum epulando, sed etiam ieiunando pascamur. Nam vt dapibus & poculis corpora, sic ieiunijs & virtutibus animæ saginantur. Magnam in hoc munere salubritatem mentis ac corporis contulisti; quia ieiunium nobis venerabile dedicasti: vt ad paradisum, de quo non abstinendo cecidimus, ieiunando sollemnius redeamus. Per Christum Dominum, &c.

AD COMPLENDVM. B

SALVTARIS tui, Domine, munere satiati, supplices exoramus, vt cuius lætamur gustu, renouemur effectu. Per eundem.

SVPER POPVLVM.

ESTO, Domine, propitius plebi tuæ, & temporali consolatione non deseras, quam vis ad æterna contendere. Per Dominum.

FERIA III.

RESPICE, Domine, familiam tuam, & præsta, vt apud te mens nostra tuo desiderio fulgeat, quæ se carnis maceratione castigat. Per. C

Secreta.

OBLATIS, Domine, placare muneribus: & a cunctis nos defende periculis. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum. In quo ieiunantium fides alitur, spes prouehitur, charitas roboratur. Ipse enim est panis viuus & verus, qui substantia æternitatis, & esca virtutis est. Verbum enim tuum, per quod facta sunt omnia, non solum humanarum mentium, D sed ipsorum panis est angelorum. Hunc panem ministrare nobis non desinis: &, vt eum indesinenter esuriamus, hortaris. Cuius carne, dum pascimur, roboramur: & sanguine, dum potamur, abluimur. Per quem, &c.

AD COMPLENDVM.

SVMPSIMVS, Domine, celebritatis annuæ votiua sacramenta, præsta, quæsumus, vt & temporalis vitæ nobis remedia præbeant & æternæ. Per Dominum nostrum.

ALIA.

ASCENDANT ad te, Domine, preces nostræ, & ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam. Per. E

FERIA IV. MENSIS PRIMI.

PRECES nostras, quæsumus, Domine, clementer exaudi, & contra cuncta nobis aduersantia dexteram tuæ Maiestatis extende. Per Dominum nostrum.

ALIA.

DEVOTIONEM populi tui, Domine, quæsumus, benignus intende, vt qui per abstinentiam macerantur in corpore, per fructum boni operis reficiantur in mente. Per.

Secre-

A *Secreta.*

SVSCIPE, Creator omnipotens Deus, quæ ieiunantes de tuæ munificentiæ largitate deferimus, & pro temporali nobis collata præſidio ad vitam conuerte propitiatus æternam. Per Dominum noſtrum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui in alimentum corporis humani frugum copiam produci iuſſiſti, & in alimentum animarum ieiunij nobis medicinam indidiſti. Te itaque ſupplices inuocamus, vt tibi ſit acceptabile ieiunium noſtrum, & nos a cibis ieiunantes, a peccatis abſoluas. Per Chriſtum,

B AD COMPLENDVM.

TVI, Domine, perceptione ſacramenti, & a noſtris mundemur occultis, & ab hoſtium liberemur inſidijs. Per.

ALIA.

MENTES noſtras, quæſumus, Domine, lumine tuæ claritatis illuſtra, vt videre poſſimus quæ agenda ſunt, & quæ recta ſunt agere valeamus. Per Dominum noſtrum.

C FERIA V.

SVSCIPE, quæſumus, Domine preces noſtras, & ad aures miſericordiæ tuæ poſtulationes ſacratæ tibi plebis admitte. Per Dominum.

Secreta.

SACRIFICIA, Domine, quæſumus, iſta nos ſaluent, quæ medicinalibus ſunt inſtituta ieiunijs. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Quia competenter
D atque ſalubriter religioſa ſunt nobis inſtituta ieiunia, vt corporeæ iucunditatis immoderatas coerceamus illecebras, & terrenæ delectationis inſolentia refrenata, purior atque tranquillior appetitus ad cæleſtia contemplanda myſteria fidelium reddatur animarum. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

AD COMPLENDVM.

TVORVM nos, Domine, largitate donorum, & temporalibus attolle præſidijs, & renoua ſempiternis. Per Dominum noſtrum.

SVPER POPVLVM,

DA, quæſumus, Domine, populis Chriſtianis, & quæ profitentur agnoſcere, &
E cæleſte munus diligere quod frequentant. Per Dominum.

FERIA VI. MENSIS PRIMI.

ESTO, Domine, propitius plebi tuæ, & quam tibi facis eſſe deuotam, benigno refoue miſeratus auxilio. Per Dominum noſtrum.

Secreta.

SVSCIPE, quæſumus, Domine, noſtris oblata ſeruitijs, & tua propitius dona ſanctifica. Per.

PRAEFATIO. A

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui ieiunij obseruatione, & eleemosynarum gratissima largitione nos docuisti, nostrorum consequi remedia peccatorum. Vnde tuam imploramus clementiam, vt his obseruationibus, & ceteris bonorum operum exhibitionibus muniti, ea operemur, quibus ad æterna gaudia consequenda & spes nobis suppetat & facultas. Per Christum.

AD COMPLENDVM.

PER huius, Domine, operationem mysterij, & vitia nostra purgentur, & iusta desideria impleantur. Per Dominum nostrum.

SVPER POPVLVM. B

CONSERVA, quæsumus, Domine, populum tuum: & ab omnibus, quas meretur, aduersitatibus redde securum, vt tranquillitate percepta, deuota tibi mente deseruiat. Per.

SABBATO IN XII. LECT. MENSIS PRIMI
HOC EST MARTII.

POPVLVM tuum, Domine, quæsumus, propitius respice, atque ab eo flagella tuæ iracundiæ clementer auerte. Per Dominum nostrum. C

ALIA.

DEVS, qui delinquentes perire non pateris, sed expectas vt conuertantur & viuant, debitam, quæsumus, peccatis nostris suspende vindictam: & præsta propitius, ne dissimulatio cumulet vltionem, sed potius per ieiunium emendatio prosit ad veniam. Per.

ALIA.

PROTECTOR noster aspice, Deus, vt qui malorum nostrorum pondere premimur, percepta misericordia, libera tibi mente famulemur. Per.

ALIA. D

ADESTO, quæsumus, Domine, supplicationibus nostris, vt esse te largiente mereamur, & inter prospera humiles, & inter aduersa securi. Per.

ALIA.

ACTIONES nostras, quæsumus, Domine, & aspirando præueni, & adiuuando prosequere, vt cuncta nostra operatio & a te semper incipiat, & per te cæpta finiatur. Per.

AD MISSAM.

DEVS, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium, concede propitius, vt nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum. Per. E

Secreta.

PRAESENTIBVS sacrificijs, Domine, ieiunia nostra sanctifica, vt quod obseruantia nostra profitetur extrinsecus, interius operetur. Per Dominum nostrum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Illuminator, & Redemptor animarum nostrarum, qui nos per primum Adam, abstinentiæ lege violata, paradiso eiectos, fortiores ieiunij remedio ad antiquæ Patriæ beatitudinem per

gratiam

A gratiam reuocasti. Nosq. pia institutione docuisti, quibus obseruationibus a peccatis omnibus liberemur. Per Christum Dominum nostrum.

AD COMPLENDVM.

SANCTIFICATIONIBVS tuis, omnipotens Deus, & vitia nostra curentur, & remedia nobis æterna proueniant. Per.

SVPER POPVLVM.

AB omnibus nos, quæsumus, Domine, peccatis propitius absolue, vt, percepta venia peccatorum, liberis tibi mentibus seruiamus. Per.

B

DOMINICA II. IN QVADRAGESIMA.

DEVS, qui conspicis omni nos virtute destitui, interius exteriusq. custodi, vt & ab omnibus aduersitatibus muniamur in corpore, & a prauis cogitationibus mundemur in mente. Per.

Secreta.

ECCLESIAE tuæ, Domine, munera placatus assume, quæ & misericors offerenda tribuisti, & in nostræ salutis potenter efficis transire mysterium. Per Dominum nostrum.

PRAEFATIO.

C VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et Maiestatem tuam suppliciter exorare, vt mentibus nostris medicinalis obseruantiæ munus infundas. Et qui negligentibus etiam subsidium ferre non desinis, beneficia præbeas potiora deuotis. Per Christum, &c.

AD COMPLENDVM.

REFECTI, Domine, pane cæleſti, ad vitam, quæsumus, nutriamur æternam. Per.

SVPER POPVLVM.

FAMILIAM tuam, quæsumus, Domine, propitiatus illustra, vt beneplacitis in-
D hærendo, cuncta quæ bona sunt mereatur accipere. Per.

FERIA II.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt familia tua, quæ se affligendo, carne ab alimentis abstinet, sectando iustitiam a culpa ieiunet. Per.

Secreta.

HAEC Hostia, Domine, placationis & laudis, tua nos propitiatione dignos efficiat. Per.

PRAEFATIO.

E VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et pietatem tuam supplici deuotione deposcere, vt ieiunij nostri oblatione placatus, & peccatorum nobis concedas veniam, & nos a noxijs liberes insidijs. Per Christum Dominum nostrum.

AD COMPLENDVM.

HAEC nos Communio, Domine, purget a crimine, & cæleſtis remedij faciat esse consortes. Per.

SVPER POPVLVM.

TVIS, Domine, quæsumus, adesto supplicibus, & inter mundanæ prauitatis insidias fragilitatem nostram sempiterna pietate prosequere. Per.

A

FERIA III.

PERFICE, quæsumus, Domine, benignus in nobis obseruantiæ sanctæ subsidium, vt quæ te auctore facienda cognouimus, te operante impleamus. Per.

Secreta.

SANCTIFICATIONEM tuam nobis, Domine, his mysterijs placatus operare, quæ nos & a terrenis purget vitijs, & ad cælestia doua perducat. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique B gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui ob animarum medelam ieiunij deuotione castigari corpora præcepisti, concede, quæsumus, vt corda nostra ita pietatis tuæ valeant exercere mandata, vt ad tua mereamur, te opitulante, peruenire promissa. Per Christum Dominum nostrum.

AD COMPLENDVM.

VT sacris, Domine, reddamur digni muneribus, fac nos tuis, quæsumus, obedire mandatis. Per Dominum nostrum.

ALIA.

PRAESTA populo tuo, Domine, quæsumus, consolationis auxilium, & diuturnis calamitatibus laborantem propitius respirare concede. Per. C

FERIA IV.

POPVLVM tuum, Domine, propitius respice, & quos ab escis carnalibus præcipis abstinere, a noxijs quoque vitijs cessare concede. Per Dominum.

Secreta.

HOSTIAS, Domine, quas tibi offerimus, propitius respice, & per hæc sancta commercia, vincula peccatorum nostrorum absolue. Per.

PRAEFATIO. D

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: per Christum Dominum nostrum. Per quem humani generis reconciliationem mirabili dispensatione operatus es, præsta, quæsumus, vt sancto purificati ieiunio, & tibi toto corde simus subiecti, & inter mundanæ prauitatis insidias, te miserante perseueremus illæsi. Per quem Maiestatem, &c.

AD COMPLENDVM.

SVMPTIS, Domine, sacramentis, ad redemptionis æternæ, quæsumus, proficiamus augmentum. Per.

SVPER POPVLVM.

DEVS, innocentiæ restitutor & amator, dirige ad te tuorum corda seruorum, E vt spiritus tui feruore concepto, & in fide inueniamur stabiles, & in opere efficaces. Per Dominum nostrum.

FERIA V.

PRAESTA nobis, Domine, quæsumus, auxilium gratiæ tuæ, vt ieiunijs & orationibus conuenienter intenti, liberemur ab hostibus mentis & corporis. Per.

Secreta.

ACCEPTA tibi sint, Domine, quæsumus, nostri dona ieiunij, quæ & expiando nos tua gratia dignos efficiant, & ad sempiterna promissa perducant. Per.

PRAE-

A PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et tuam cum celebratione ieiunij pietatem deuotis mentibus obsecrare, vt qui peccatis ingruentibus, malorum pondere premimur, & a peccatis omnibus liberemur, & libera tibi mente famulemur. Per Christum Dominum nostrum.

AD COMPLENDVM.

GRATIA tua nos, quæsumus, Domine, non derelinquat, quæ & sactæ nos deditos faciat seruituti, & tuam nobis opem semper acquirat. Per Dominum nostrum.

B SVPER POPVLVM.

ADESTO, Domine, famulis tuis, & perpetuam benignitatem largire poscentibus, vt his, qui re auctore, & gubernatore gloriantur, & congregata restaures, & restaurata conserues. Per Dominum, & c.

FERIA VI.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, vt sacro nos purificante ieiunio, sinceris mentibus ad sancta ventura facias peruenire. Per.

Secreta.

C HAEC in nobis sacrificia, Deus, & actione permaneant, & operatione firmentur. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui delinquentes perire non pateris, sed vt ad te conuertantur & viuant hortaris. Poscimus itaque pietatem tuam, vt a peccatis nostris tuæ seueritatis suspendas vindictam & nobis optatam misericorditer tribuas veniam: nec iniquitatum nostrarum molestia prouocet ad vltionem, sed ieiunij obseruatio, & morum emendatio, reflectat ad peccatorum nostrorum remissionem. Per Christum Dominum nostrum.

D AD COMPLENDVM.

FAC nos, Domine, quæsumus, accepto pignore salutis æternæ sic tendere congruenter, vt ad eam peruenire possimus. Per Dominum.

SVPER POPVLVM.

DA, quæsumus, Domine, populo tuo salutem mentis & corporis, vt bonis operibus inhærendo, tuæ semper virtutis mereatur protectione defendi. Per.

SABBATO IN EBDOMADA II.

DA, quæsumus, Domine, nostris effectum ieiunijs salutarem, vt castigatio car-
E nis assumpta ad nostrarum vegetationem transeat animarum.

Secreta.

HIS sacrificijs, Domine, concede placatus, vt qui proprijs oramus absolui delictis, non grauemur externis. Per Dominum nostrum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et tuam iugiter exorare clementiam, vt mentes nostras, quas conspicis terrenis affectibus prægrauari, medicinalibus tribuas ieiunijs exonerari: & per afflictionem corporum proueniat nobis robur animarum. Per Christum, & c.

AD

AD COMPLENDVM. A

SACRAMENTI tui, Domine, diuina libatio penetralia noſtri cordis infundat, & ſui participes potenter efficiat. Per Dominum noſtrum.

SVPER POPVLVM.

FAMILIAM tuam, quæſumus, Domine, continua pietate cuſtodi, vt quæ in ſola ſpe gratiæ cæleſtis innititur, cæleſti etiam protectione muniatur. Per.

DOMINICA III. IN QVADRAGESIMA.

QVAESVMVS, omnipotens Deus, vota humilium reſpice, atque ad defenſionem noſtram dexteram tuæ Maieſtatis extende. Per Dominum noſtrum. B

Secreta.

SVSCIPE, quæſumus, Domine, deuotorum munera famulorum, & tua diuinis purifica ſeruientes pietate myſterijs, quibus etiam iuſtificas ignorantes. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et te ſuppliciter exorare, vt cum abſtinentia corporali mens quoque noſtra ſenſus declinet illicitos. Et quæ terrena delectatione carnalibus epulis abnegamus, humanæ voluntatis prauis intentionibus amputemus. Quatenus ad Sancta Sanctorum fideliter ſalubriterq. ca- C pienda, competenti ieiunio valeamus aptari. Tanto nobis certi propenſius iugiter adfutura, quanto fuerimus eorum inſtitutionibus gratiores. Per Chriſtum.

AD COMPLENDVM.

CVNCTIS nos, Domine, reatibus & periculis propitiatus abſolue, quos tanti myſterij tribuis eſſe participes. Per Dominum.

SVPER POPVLVM.

SVBIECTVM tibi populum, quæſumus, Domine, propitiatio cæleſtis amplificet, & tuis ſemper faciat ſeruire mandatis.

D

FERIA II.

CORDIBVS noſtris, quæſumus, Domine, benignus infunde, vt ſicut ab eſcis corporalibus abſtinemus, ita ſenſus quoque noſtros a noxijs retrahamus exceſſibus. Per Dominum noſtrum.

Secreta.

MVNVS, Domine, quod tibi noſtræ ſeruitutis offerimus, tu ſalutare nobis perfice ſacramentum. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et clementiam tuam E cum omni ſupplicatione precari, vt per hanc ieiuniorum obſeruationem creſcat noſtræ deuotionis affectus, & noſtras actiones religioſus exornet effectus: quatenus, te auxiliante, & ab humanis ſemper retrahamur exceſſibus, & monitis inhærere valeamus, te largiente, cæleſtibus. Per Chriſtum, &c.

AD COMPLENDVM.

PRAESTA, quæſumus, omnipotens & miſericors Deus, vt quæ ore contingimus, pura mente capiamus. Per Dominum.

SVPER POPVLVM.

CONSERVA, Domine, familiam tuam bonis ſemper operibus eruditam, & ſic præſen-

A præsentibus consolare subsidijs, vt ad superna perducas dona propitius. Per Dominum nostrum.

FERIA III.

EXAVDI nos omnipotens, & misericors Deus: & continentiæ salutaris propitius nobis dona concede. Per.

Secreta.

PER hæc veniat, quæsumus, Domine, sacramenta nostræ redemptionis effectus, qui nos & ab humanis retrahat semper excessibus, & ad salutaria cuncta perducat. Per Dominum nostrum.

B PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui peccantium non vis animas perire, sed culpas: & peccantes non semper continuo iudicas, sed ad pœnitentiam prouocatos expectas: Auerte, quæsumus, a nobis quam meremur iram, & quam optamus super nos effunde clementiam, vt sacro purificati ieiunio, electorum tuorum adsciſci mereamur collegio. Per Christum Dominum nostrum.

AD COMPLENDVM.

SACRIS, Domine, mysterijs expiati, & veniam consequamur, & gratiam. Per.

C SVPER POPVLVM.

CONCEDE misericors Deus, vt deuotus tibi populus semper existat, & de tua clementia, quod ei prosit, indesinenter obtineat. Per.

FERIA IV.

PRAESTA nobis, quæsumus, Domine, vt salutaribus ieiunijs eruditi, a noxijs quoque vitijs abstinentes, propitiationem tuam facilius impetremus. Per.

Secreta.

SVSCIPE, quæsumus, Domine, preces populi tui cum oblationibus Hostiarum, D & tua mysteria celebrantes ab omnibus nos defende periculis. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Tuamq. misericordiam suppliciter exorare, vt ieiuniorum nostrorum sacrosancta mysteria tuæ sint pietati semper accepta: Concedasque, vt quorum corpora abstinentiæ obseruatione macerantur, mentes quoque virtutibus, & cælestibus institutis exornentur. Per Christum Dominum nostrum.

AD COMPLENDVM.

E SANCTIFICET nos, Domine, qua pasti sumus, mensa cælestis, & a cunctis erroribus expiatos, supernis promissionibus reddat acceptos. Per.

ALIA.

DEFENDE, Domine, familiam tuam, & toto tibi corde prostratam ab hostium tuere formidine: nec bona tua difficulter inueniat, pro quibus & Sancti tui, & Angeli tui supplicant postulantes. Per.

FERIA V.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, vt qui protectionis tuæ gratiam quærimus, liberati a malis omnibus, secura tibi mente seruiamus. Per.

Secre-

Secreta. A

DEVS, de cuius gratiæ rore descendit, vt ad mysteria tua, purgatis sensibus, accedamus, præsta, quæsumus, vt in eorum traditione sollemniter honoranda, competens deferamus obsequium. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et tuam immensam clementiam supplici voto deposcere, vt nos famulos tuos, & ieiunij maceratione castigatos, & ceteris bonorum operum exhibitionibus eruditos, in mandatis tuis facias perseuerare sinceros, & ad paschalia festa peruenire illæsos, sicq. præsentibus subsidijs consolemur, quatenus ad æterna gaudia pertingere mereamur. Per Christum. B

AD COMPLENDVM.

SACRAMENTI tui, Domine, veneranda perceptio, & mystico nos mundet effectu, & perpetua virtute defendat. Per.

SVPER POPVLVM.

CONSERVA, quæsumus, Domine, populum tuum, & gratiæ tuæ in eo dona multiplica, vt ab omnibus liber offensis, & temporalibus non destituatur auxilijs, & sempiternis gaudeat institutis. Per Dominum nostrum.

FERIA VI. C

IEIVNIA nostra, quæsumus, Domine, benigno fauore prosequere, vt sicut ab alimentis in corpore, ita a vitijs ieiunemus in mente. Per.

Secreta.

RESPICE, Domine, propitius ad munera quæ sacramus, vt & tibi sint grata, & nobis salutaria semper existant. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Qui ad insinuandum humilitatis suæ mysterium, fatigatus resedit ad puteum: D qui a muliere Samaritana aquæ sibi petijt porrigi potum, qui in ea creauerat fidei donum. Et ita eius sitire dignatus est fidem, vt dum ab ea aquam peteret, in ea ignem diuini amoris accenderet. Imploramus itaque tuam immensam clementiam, vt contemnentes tenebrosam profunditatem vitiorum, & relinquentes noxiarum hydriam cupiditatum, & Te, qui fontis vitæ, & origo bonitatis es, semper sitiamus, & ieiuniorum nostrorum obseruatione tibi placeamus. Per quem, Maiestatem, &c.

AD COMPLENDVM.

HVIVS nos, Domine, perceptio sacramenti mundet a crimine, & ad cælestia regna perducat. Per.

ALIA. E

GAVDEAT, Domine, quæsumus, populus, tua semper benedictione confisus, vt & temporalibus beneficijs adiuuetur, & eruditur æternis. Per Dominum nostrum.

SABBATO IN EBDOMADA III.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt dignitas conditionis humanæ per immoderantiam sauciata, medicinalis parsimoniæ studio reformetur. Per.

Secreta.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, vt huius sacrificij munus oblatum, fragilitatem nostram ab omni malo purget semper & muniat. Per.

PRAE-

A PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui ieiunij Quadrageſimalis obſeruationem in Moyſe & Helia dedicaſti, & in Vnigenito filio tuo, legis & Prophætarum, noſtroq. omnium Domino exornaſti. Tuam igitur immenſam bonitatem ſupplices expoſcimus, vt quod ille iugi ieiuniorum compleuit continuatione, nos adimplere valeamus illius adiuti largiſſima miſeratione: & adimplentes ea quæ præcepit, dona percipere mereamur quæ promiſit. Per quem, &c.

AD COMPLENDVM.

QVAESVMVS, omnipotens Deus, vt inter eius membra numeremur, cuius cor-
B pori communicamus & ſanguini. Per.

SVPER POPVLVM.

PRAETENDE, Domine, fidelibus tuis dexteram cæleſtis auxilij, vt te toto corde perquirant, & quæ digne poſtulant conſequi mereantur. Per Dominum noſtrum.

DOMINICA IV.

CONCEDE quæſumus, omnipotens Deus, vt qui ex merito noſtræ actionis affligimur, tuæ gratiæ conſolatione reſpiremus. Per Dominum noſtrum.

C *Secreta.*

SVSCIPE, Domine, ſacrificium, cuius te voluiſti dignanter immolatione placari: & præſta, quæſumus, vt huius operatione mundati, beneplacitum tibi noſtræ mentis offeramus affectum. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et te Creatorem omnium de præteritis fructibus glorificare, & de venturis ſuppliciter exorare; Vt, cum de perceptis non inuenimur ingrati, de percipiendis non iudicemur indigni; ſed exhibitis toties ſollemni deuotione ieiunijs, cum ſubſidijs corporalibus profectum quoque
D capiamus animarum. Per Dominum noſtrum.

AD COMPLENDVM.

DA nobis miſericors Deus, vt ſancta tua, quibus inceſſanter explemur, ſinceris tractemus obſequijs, & ſemper fideli mente ſumamus. Per.

ALIA.

DEVS, qui in deſerti regione multitudinem populi tua virtute ſatiaſti, in huius quoque ſæculi tranſeuntis excurſu, victum nobis ſpiritalem, ne deficiamus, impende. Qui viuis, & regnas, &c.

E

FERIA II.

PRAESTA, quæſumus, omnipotens Deus, vt obſeruationes ſacras annua deuotione recolentes, & corpore tibi placeamus & mente. Per.

Secreta.

OBLATVM tibi, Domine, ſacrificium viuificet nos ſemper & muniat. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et tuam ſuppliciter miſericordiam implorare, vt exercitatio veneranda ieiunij ſalutaris, nos a peccato-

rum

rum noſtrorum maculis purgatos reddat, & ad ſupernorum ciuium ſocietatem perducat: vt & hic deuotorum actuum ſumamus augmentum, & illic æternæ beatitudinis percipiamus emolumentum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. A

AD COMPLENDVM.

DIVINI ſatiati muneris largitate, quæſumus, Domine Deus noſter, vt in huius ſemper participatione viuamus. Per Dominum noſtrum.

SVPER POPVLVM.

PROFICIAT, quæſumus, Domine, plebs tibi dicata piæ deuotionis affectu, vt ſacris actionibus erudita, quanto Maieſtati tuæ ſit gratior, tanto donis potioribus augeatur. Per. B

FERIA III.

SACRAE nobis, Domine, quæſumus, obſeruationis ieiunia, & piæ conuerſationis augmentum, & tuæ propitiationis continuum præſtent auxilium. Per.

Secreta.

PVRIFICA nos miſericors Deus, vt Eccleſiæ tuæ preces, quæ tibi gratæ ſunt, pia munera deferentis, fiant expiatis mentibus gratiores. Per Dominum noſtrum.

PRAEFATIO. C

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Mediatorem Dei & hominum, Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum: Qui mediante die feſto aſcendit in templum docere, qui de cælo deſcendit, mundum ab ignorantiæ tenebris liberare: Cuius deſcenſus genus humanum doctrina ſalutari inſtruit, mors a perpetua morte redemit, aſcenſio ad cæleſtia regna perducit. Per quem Te ſumme Pater poſcimus, vt eius inſtitutione edocti, ſalutaris parſimoniæ deuotione purificati, ad tua perueniamus promiſſa ſecuri. Per quem, Maieſtatem tuam, & c.

AD COMPLENDVM.

CAELESTIA dona capientibus, quæſumus, Domine, non ad iudicium peruenire patiaris, quod fidelibus tuis ad remedium prouidiſti. Per. D

SVPER POPVLVM.

TVEATVR, quæſumus, Domine, dextera tua populum tuum deprecantem, & purificatum dignanter erudiat, vt conſolatione præſenti ad futura bona proficiat. Per Dominum noſtrum.

FERIA IV.

OMNIPOTENS ſempiterne Deus, qui & iuſtis præmia meritorum, & peccatoribus per ieiunium veniam præbes, miſerere ſupplicibus, parce peccantibus, vt rearus noſtri confeſſio, indulgentiam valeat percipere delictorum. Per Dominum noſtrum. E

ALIA.

PRAESTA, quæſumus, omnipotens Deus, vt quos ieiunia votiua caſtigant, ipſa quoque deuotio ſancta lætificet, vt terrenis affectibus mitigatis, facilius cæleſtia capiamus. Per Dominum noſtrum.

Secreta.

SVPPLICES, Domine, Te rogamus, vt his ſacrificijs peccata noſtra mundentur: quia tunc veram nobis tribuis & mentis & corporis ſanitatem. Per Dominum noſtrum.

PRAE-

A PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Qui illuminatione suæ fidei, tenebras expulit mundi, & genus humanum, quod primæ matris vterus profuderat cæcum, incarnationis suæ mysterio reddidit illuminatum, fecitq. filios adoptionis, qui tenebantur vinculis iustæ damnationis. Per ipsum te petimus, vt tales in eius inueniamur iustissima examinatione, quales facti sumus in lauacri salutaris felicissima regeneratione: vt eius Incarnationis medicamine imbuti, sacrosancti lauacri ablutione loti, parsimoniæ deuotione ornati ad æterna gaudia perueniamus illæsi. Per quem, Maiestatem.

B AD COMPLENDVM.

SACRAMENTA, quæ sumpsimus, Domine Deus noster, & spiritalibus nos repleant alimentis, & corporalibus tueantur auxilijs. Per Dominum nostrum.

SVPER POPVLVM.

PATEANT aures misericordiæ tuæ, Domine, precibus supplicantium: &, vt petentibus desiderata concedas, fac eos quæ tibi sunt placita postulare. Per.

FERIA V.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt qui in tua protectione confidimus,
C cuncta nobis aduersantia, Te adiuuante, superemus. Per Dominum nostrum.

Secreta.

EFFICIATVR hæc Hostia, Domine, quæsumus, sollemnibus grata ieiunijs: &, vt tibi fiat acceptior, purificatis mentibus immoletur. Per Dominum nostrum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Cuius bonitas hominem condidit, iustitia damnauit, misericordia redemit. Te humiliter exoramus, vt sicut per illicitos appetitus a beata Regione decidimus, sic ad æternam Patriam
D per abstinentiam redeamus. Sicq. moderetur tua miseratione nostra fragilitas, vt & rransitorijs subsidijs nostra sustentetur mortalitas, & per bonorum operum incremen ta, beata acquiratur immortalitas. Per Christum.

AD COMPLENDVM.

SANCTA tua nos, Domine, quæsumus, & viuificando renouent, & renouando viuificent. Per Dominum nostrum.

SVPER POPVLVM.

POPVLI tui, Deus institutor & rector, peccata, quibus impugnatur, expelle, vt semper tibi placitus, & tuo munimine sit securus. Per eundem Dominum.

E

FERIA VI.

DEVS, qui ineffabilibus mundum renouas sacramentis, præsta quæsumus, vt Ecclesia tua æternis proficiat institutis, & temporalibus non destituatur auxilijs. Per.

Secreta.

MVNERA nos, quæsumus, Domine, oblata purificent, & Te nobis iugiter faciant esse placatum. Per Dominum nostrum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Domi-

num nostrum. Qui est dies æternus, lux indeficiens, claritas sempiterna. Qui sic iequaces suos in luce præcepit ambulare, vt noctis æternæ valeant caliginem euadere, & ad lucis Patriam feliciter peruenire. Qui per humilitatem assumptæ humanitatis, Lazarum fleuit, per Diuinitatis porentiam vitæ reddidit, genusq. humanum quadrifida peccatorum mole obrutum, ad vitam reduxit. Per quem petimus, ieiunij obseruatione, a peccatorum nostrorum nexibus solui, æternæ vitæ felicitari reddi, & sanctorum cœtibus connumerari. Per quem.

A

AD COMPLENDVM.

HAEC nos, quæsumus, Domine, participatio sacramenti, & proprijs reatibus indesinenter expediat, & ab omnibus rucatur aduersis. Per.

B

SVPER POPVLVM.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, vt qui infirmitatis nostræ conscij de tua virtute confidimus, sub tua semper pietate gaudeamus. Per.

SABBATO IN HEBDOMADA IV.

FIAT, Domine, quæsumus, per gratiam tuam fructuosus nostræ deuotionis affectus: quia tunc nobis proderunt suscepta ieiunia, si ruæ sint placita pietati. Per Dominum.

Secreta.

OBLATIONIBVS, quæsumus, Domine, placare susceptis, & ad te nostras, etiam rebelles, compelle propitius voluntates. Per Dominum.

C

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Misericordiæ dator, & totius bonitatis auctor, qui ieiunijs, orationibus, & eleemosynis peccatorum remedia, & virtutum omnium rribuis incrementa. Te humili deuorione precamur, vt qui ad hæc agenda salubberrimam dedisti doctrinam, ad complendum indefessam rribuas efficaciam, vt obedienrer tua exequentes præcepta, feliciter tua capiamus promissa. Per Christum Dominum nostrum.

D

AD COMPLENDVM.

TVA, nos, quæsumus, Domine, sancta purificent, & operatione sua perficiant esse placitos. Per Dominum nostrum.

SVPER POPVLVM.

DEVS, qui sperantibus in te, misereri potius eligis, quàm irasci, da nobis digne flere mala, quæ fecimus, vt tuæ consolationis gratiam inuenire valeamus. Per.

DOMINICA V. DE PASSIONE DOMINI.

QVAESVMVS, omnipotens Deus, familiam tuam propirius respice, vt te largiente regatur in corpore, & re seruante custodiatur in mente. Per Dominum.

E

Secreta.

HAEC munera, Domine, quæsumus, & vincula nostræ prauitatis absoluant, & tuæ nobis misericordiæ dona concilient. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Maiestatem tuam propensius implorantes, vt quanto magis dies salutiferæ festiuitatis accedit, tanto deuotius ad eius digne celebrandum proficiamus paschale mysterium. Per Christum Dominum nostrum.

AD

A AD COMPLENDVM.

ADESTO, nobis, Domine, Deus noſter: & quos tuis myſterijs recreaſti, perpetuis defende præſidijs. Per Dominum noſtrum.

SVPER POPVLVM.

DA, quæſumus, Domine, nobis perſeuerantem in tua voluntate famulatum, vt in diebus noſtris, & merito & numero populus tibi ſeruiens augeatur. Per Dominum noſtrum.

FERIA II.

B SANCTIFICA, quæſumus, Domine, noſtra ieiunia, & cunctarum nobis propitius indulgentiam largire culparum. Per Dominum noſtrum.

Secreta.

CONCEDE nobis, Domine Deus noſter, vt hæc Hoſtia ſalutaris, & noſtrorum fiat purificatio delictorum, & tuæ propitiatio Maieſtatis. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Te ſuppliciter exoramus, vt ſic noſtra ſanctificentur ieiunia, quo cunctorum nobis peccatorum proueniat indulgentia: quatenus, apptopinquante Vnigeniti Filij tui paſſione, bonorum
C operum tibi placere valeamus exhibitione. Per quem, Maieſtatem, &c.

AD COMPLENDVM.

SACRAMENTI tui, quæſumus, Domine, participatio ſalutaris, & purificationem nobis præbeat & medelam. Per Dominum noſtrum.

SVPER POPVLVM.

BENEDICTIO, quæſumus, Domine, in tuos fideles copioſa deſcendat, & quam ſubiectis cordibus expetunt, largiter conſequantur. Per.

FERIA III.

D NOSTRA tibi, quæſumus, Domine, ſint accepta ieiunia, quæ nos & expiando gratia tua dignos efficiant, & ad remedia perducant æterna. Per Dominum.

Secreta.

HOSTIAS tibi, Domine, deferimus immolandas, quæ temporali nos conſolatione lætificent, vt promiſſa certius non deſperemus æterna. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et te deuotis mentibus ſupplicare, vt nos interius exteriusq. reſtaures, & parſimonia ſalutari a pec-
E catorum ſordibus purges. Et quos illecebroſis delectationibus non vis impediri, ſpiritalium virtutum facias vigore muniri: & ſic in rebus tranſitorijs foueas, vt perpetuis inhærere concedas. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

AD COMPLENDVM.

DA, quæſumus, omnipotens Deus, vt, quæ diuina ſunt, iugiter exequentes, donis mereamur cæleſtibus appropinquare. Per Dominum noſtrum.

ALIA.

LIBERA, quæſumus, Domine, a peccatis, & hoſtibus tibi populum ſupplicantem, vt ſancta conuerſatione viuentes, nullis inficiantur aduerſis. Per eundem Dominum noſtrum.

A

FERIA IV.

SANCTIFICATO hoc ieiunio, Deus, tuorum corda fidelium miseratus illustra, & quibus deuotionis præstas affectum, præbe supplicantibus pium benignus auditum. Per.

Secreta.

ANNVE misericors Deus, vt Hostias placationis & laudis sincero tibi deferamus obsequio. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et te supplici deuo- B tione exorare, vt per ieiunia, quæ sacris institutis exequimur, a cunctis reatibus emendari mereamur: tuamq. percipere valeamus propitiationem, qui præparamur ad celebrandam Vnigeniti Filij tui passionem. Per quem, Maiestatem.

AD COMPLENDVM.

CAELESTIS doni benedictione percepta, supplices Te Deus omnipotens deprecamur, vt hoc idem nobis & sacramenti causa sit & salutis. Per Dominum.

ALIA.

EXAVDI, quæsumus, Domine, gemitum populi supplicantis, & qui de meritorum qualitate diffidimus, non iudicium, sed misericordiam consequi mereamur. Per. C

FERIA V.

TRIBVE nobis, quæsumus, indulgentiam peccatorum, vt instituta ieiunia tibi placitis sensibus operemur. Per Dominum.

Secreta.

CONCEDE nobis, Domine, quæsumus, vt celebraturi sancta mysteria, non solum abstinentiam corporalem, sed, quod est potius, habeamus mentium puritatem. Per.

PRAEFATIO. D

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui sic nos tribuis sollemne tibi deferre ieiunium, vt indulgentiæ tuæ speremus nos percipere subsidium: sic nos instituis ad celebranda Paschalia festa, vt per hæc acquiramus gaudia sempiterna. Per Christum, &c.

AD COMPLENDVM.

VEGETET nos, Domine, semper, & innouet tuæ mensæ libatio, quæ fragilitatem nostram gubernet & protegat, & in portum perpetuæ salutis inducat. Per Dominum, &c.

SVPER POPVLVM. E

CONCEDE misericors Deus, vt sicut nos tribuis sollemne tibi deferre ieiunium: sic nobis indulgentiæ tuæ præbeas benignus auxilium. Per.

FERIA VI.

CORDIBVS nostris, Domine, benignus infunde, vt peccata nostra castigatione voluntaria cohibentes, temporaliter potius maceremur, quàm supplicijs deputemur æternis. Per.

Secreta.

PRAESTA nobis misericors Deus, vt digne tuis semper seruire altaribus mereamur, & eorum perpetua participatione saluari. Per Dominum.

PRAE-

A PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Cuius nos miſericordia præuenit, vt bene agamus: ſubſequitur, ne fruſtra agamus: accendit intentionem, qua ad bona opera peragenda inardeſcamus: tribuit efficaciam, qua hæc ad perfectum perducere valeamus. Tuam ergo clementiam indefeſſis vocibus obſecramus, vt nos ieiunij victimis a peccatis mundatos, ad celebrandam Vnigeniti Filij tui Domini noſtri paſſionem facias eſſe deuotos. Per quem, Maieſtatem.

AD COMPLENDVM.

SVMPTI ſacrificij, Domine, perpetua nos tuitio non relinquat, & noxia ſemper
B a nobis cuncta depellat. Per Dominum noſtrum.

SVPER POPVLVM.

PROTEGE, Domine, populum tuum, & in Maieſtatis tuæ patrocinio confidentem perpetua defenſione guberna. Per.

SABBATO ANTE RAMOS PALMARVM.

OMNIPOTENS ſempiterne Deus, clementiam tuam ſupplices exoramus, vt qui mala noſtra ſemper præuenis miſerando, facias tibi placitos, & pijs actionibus & ieiunijs ſalubribus expiando. Per.

C SVPER OBLATA.

PRAESTA, quæſumus, omnipotens Deus, vt ieiuniorum placatus ſacrificijs, remiſſionis tuæ nos venia proſequaris. Per Dominum noſtrum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Cuius nos fides excitat, ſpes erigit, charitas iungit. Cuius miſeratio gratuita purificat quos conſcientiæ reatus accuſat. Te igitur cum interno rugitu deprecamur, vt carnalis alimoniæ refrenatione caſtigati, ad celebrandum paſchale myſterium inueniamur idonei. Per Chriſtum, &c.

D AD COMPLENDVM.

ADESTO, Domine, fidelibus tuis, & quos cæleſtibus reficis ſacramentis, a terrenis conſerua periculis. Per Dominum.

SVPER POPVLVM.

PLEBS tua, Domine, quæſumus, benedictionis ſanctæ munus accipiat, per quod & noxia quæque declinet, & optata reperiat. Per Dominum.

DOMINICA IN RAMIS PALMARVM.

OMNIPOTENS ſempiterne Deus, qui humano generi ad imitandum humilitatis exemplum Saluatorem noſtrum carnem ſumere, & crucem ſubire feciſti: conce-
E de propitius, vt & patientiæ ipſius habere documenta, & Reſurrectionis conſortia mereamur. Per eundem.

Secreta.

CONCEDE, quæſumus, Domine, vt oculis tuæ Maieſtatis munus oblatum, & gratiam nobis deuotionis obtineat, & effectum beatæ petennitatis acquirat. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et tibi hanc immolationis Hoſtiam offerre, quæ eſt ſalutifera, & ineffabile diuinæ gratiæ ſacramentum. Quæ offertur a plurimis, & vnum Chriſti corpus ſancti Spiritus infuſione perficitur. Singuli accipiunt Chriſtum Dominum, & in ſingulis portionibus totus eſt. Nec per ſin-

gulos minuitur, sed integrum se præbet in singulis. Propterea ipsi, qui sumimus communionem huius sancti panis, & calicis, vnum Christi corpus efficimur. Per ipsius itaque Maiestatem, Te supplices exoramus, vt nos ab omnibus emundes contagijs vetustatis, & in nouitate vitæ perseuerare concedas. Per quem, Maiestatem. A

AD COMPLENDVM.

PRAESTA nobis omnipotens Deus, vt quia vitijs subiacet nostra mortalitas, tua nos medicina purificet, & potentia tueatur. Per.

SVPER POPVLVM.

DA misericors Deus, vt quod in tui Filij passione mundus exercuit, salutare nobis fideliter sentiamus. Per. B

FERIA II. POST PALMAS.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, vt qui in tot aduersis ex nostra infirmitate deficimus, intercedente Vnigeniti Filij tui passione respiremus. Qui tecum, &c.

ALIA.

REMINISCERE miserationum tuarum, Domine, & famulos tuos æterna protectione sanctifica: pro quibus Iesus Christus filius tuus per suum cruorem nobis instituit paschale mysterium. Qui tecum viuit, &c. C

SVPER OBLATA.

HAEC sacrificia nos omnipotens Deus, potenti virtute mundatos ad suum faciant puriores venire principium. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Cuius nos humanitas colligit, humilitas erigit, traditio absoluit, pœna redemit, crux saluificat, sanguis emaculat, caro saginat. Per quem, Te summe Pater cum ieiuniorum obsequijs obsecramus, vt ad eius celebrandam passionem purificatis mentibus accedamus. Per quem. D

AD COMPLENDVM.

PRAEBEANT nobis, Domine, diuinum tua sancta feruorem: quo eorum pariter & actu delectemur & fructu. Per Dominum nostrum.

ALIA.

ADIVVA nos Deus salutaris noster, & ad beneficia recolenda, quibus nos instaurare dignatus es, tribue venire gaudentes. Per Dominum nostrum.

FERIA III. E

OMNIPOTENS sempiterne Deus, da nobis ita Dominicæ passionis sacramenta peragere, vt indulgentiam percipere mereamur. Per eundem.

ALIA.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui Christi tui beata passione nos reparas, conserua in nobis opera misericordiæ tuæ, vt in huius celebritate mysterij perpetua deuotione viuamus. Per.

Secreta.

SACRIFICIA nos, quæsumus, Domine, propensius ista restaurent, quæ medicinalibus sunt instituta ieiunijs. Per Dominum nostrum.

PRAE-

A PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Cuius salutiferæ passionis, & gloriosæ Resurrectionis dies appropin quare noscuntur. In quibus & antiqui hostis superbia triumphatur, & nostræ Redemptionis mysterium celebratur. Vnde poscimus tuam immensam clementiam, vt sicut in eo solo consistit totius nostræ saluationis summa, ita per eum tibi sit ieiuniorum & actuum nostrorum semper victima grata. Per quem.

AD COMPLENDVM.

REPLETI, Domine, sacri muneris gratia, supplices exoramus, vt quæ gustu corB poreo dulci veneratione contingimus, dulciora mentibus sentiamus. Per Dominum nostrum.

SVPER POPVLVM.

TVA, nos misericordia, Deus, & omni subreptione vetustatis expurget, & capaces sanctæ nouitatis efficiat. Per Dominum, &c.

FERIA IV.

Hora tertia Pontifex cum Clero, & ordine suo procedit ad Altare in Ecclesia maiore: & dicit Orationes sollemnes hoc ordine: OREMVS. *Et Diaconus:* FLECTAMVS GENVA. *Postquam orauerint, dicit,* LEVATE. *Et Pontifex dat orationem.*

C

DEVS a quo, & Iudas reatus sui pœnam, & confessionis suæ latro præmium sumpsit, concede nobis tuæ propitiationis effectum, vt sicut in passione sua Iesus Christus Dominus noster diuersa vtrisque intulit stipendia meritorum, ita nobis, ablato vetustatis errore, resurrectionis suæ gratiam largiatur. Qui tecum, &c.

Post AMEN, *sequitur, & dicit Orationes sollemnes: tantummodo pro se intermittit. Alij vero Sacerdotes in suis Ecclesys pro eo dicunt. Et cum in cæteris flectant genua, pro Iudais non flectant.*

OREMVS, Dilectissimi nobis pro Ecclesia sancta Dei, vt eam Deus, & Domi- D nus noster pacificare, & custodire dignetur toto orbe terrarum, subijciens ei principatus & potestates, detq. nobis quietam, & tranquillam vitam degentibus glorificare Deum Patrem omnipotentem.

OREMVS: *Dicit Diaconus,* FLECTAMVS GENVA. *Postquam orauerint, dicit,* LEVATE.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui gloriam tuam omnibus in Christo gentibus reuelasti, custodi opera misericordiæ tuæ, vt Ecclesia tua toto orbe diffusa, stabili fide in confessione tui nominis perseueret. Per eundem

E OREMVS, Et pro beatissimo Papa nostro *Ill.* vt Deus, & Dominus noster, qui elegit eum in ordinem Episcopatus, saluum atque incolumem custodiat Ecclesiæ suæ sanctæ ad regendum populum sanctum Dei.

Oremus.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, cuius iudicio vniuersa fundantur, respice propitius ad preces nostras, & electum nobis Antistitem tua pietate conserua, vt Christiana plebs, quæ tali gubernatur Auctore, sub tanto Pontifice, credulitatis suæ meritis augeatur. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

OREMVS, Et pro omnibus Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, Acolytis, Exorcistis, Lectoribus, Ostiarijs, Confessoribus, Virginibus, Viduis, & pro omni populo sancto Dei.

Oremus.

Oremus. A

OMNIPOTENS sempiterne Deus, cuius spiritu totum corpus Ecclesiæ sanctificatur & regitur, exaudi nos pro vniuersis ordinibus supplicantes, vt gratiæ tuæ munere ab omnibus tibi gradibus fideliter seruiatur. Per eundem.

OREMVS, Et pro Christianissimo Rege nostro *Ill.* vt Deus, & Dominus noster subditas illi faciat omnes barbaras nationes, ad nostram perpetuam pacem.

Oremus.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, in cuius manu sunt omnium potestates, & omnia iura regnorum, respice ad Romanum, atque Francorum benignus Imperium, vt gentes, quæ in sua feritate confidunt, potentiæ tuæ dextera comprimantur. Per. B

OREMVS, Et pro Cathecumenis nostris, vt & Deus & Dominus noster adaperiat aures præcordiorum ipsorum, ianuamq. misericordiæ, vt per lauacrum regenerationis, accepta remissione omnium peccatorum, & ipsi inueniantur in Christo Iesu Domino nostro.

Oremus.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui Ecclesiam tuam noua semper prole fecundas, auge fidem, & intellectum Cathecumenis nostris, vt renati fonte baptismatis, adoptionis tuæ filijs aggregentur. Per.

OREMVS, Dilectissimi nobis, Deum Patrem omnipotentem, vt cunctis mundum purget erroribus, morbos auferat, famem depellat, aperiat carceres, vincula dissoluat, C peregrinantibus reditum, infirmantibus sanitatem, nauigantibus portum salutis indulgeat.

Oremus.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, mœstorum consolatio, laborantium fortitudo, perueniant ad te preces de quacumque tribulatione clamantium, vt omnes sibi in necessitatibus suis misericordiam tuam gaudeant affuisse. Per.

OREMVS, Et pro hæreticis atque schismaticis, vt Deus ac Dominus noster eruat eos ab erroribus vniuersis, & ad sanctam matrem Ecclesiam Catholicam atque Apostolicam reuocare dignetur. D

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui saluas omnes, & neminem vis perire, respice ad animas diabolica fraude deceptas, vt, omni hæretica prauitate deposita, errantium corda resipiscant, & ad veritatis tuæ redeant vnitatem. Per Dominum nostrum.

OREMVS, Et pro perfidis Iudæis, vt Deus, & Dominus noster, auferat velamen de cordibus eorum, vt & ipsi agnoscant Iesum Christum Dominum nostrum.

Oremus.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui etiam Iudaicam perfidiam a tua misericordia non repellis, exaudi preces nostras, quas pro illius populi obcæcatione deferimus, vt agnita veritatis tuæ luce, quæ Christus est, a suis tenebris eruantur. Per eundem Dominum. E

OREMVS, Et pro paganis, vt Deus omnipotens auferat iniquitatem a cordibus eorum, & relictis idolis suis, conuertantur ad Deum viuum & verum, & vnicum filium Iesum Christum Deum & Dominum nostrum, cum quo viuit & regnat cum Spiritu sancto Deus, per omnia sæcula sæculorum.

Oremus.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui non mortem peccatorum, sed vitam semper inquitis, suscipe propitius orationem nostram, & libera eos ab idolorum cultura, & aggrega Ecclesiæ tuæ sanctæ ad laudem & gloriam nominis tui. Per.

Quibus

A *Quibus expletis, osculatur Altare, & egreditur. Postea vero hora viij. ingrediuntur ad Missam hoc ordine: Dicit Schola Antiphonam ad Introitum. Qua finita, dat orationem Pontifex.*

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt qui nostris excessibus incessanter affligimur, Vnigeniti tui passione liberemur. Qui, &c.

Deinde legitur Lectio vna. Sequitur Respons. Postea dicatur altera Oratio.

DEVS, qui pro nobis Filium tuum crucis patibulum subire voluisti, vt inimici a nobis expelleres potestatem: concede nobis famulis tuis, vt Resurrectionis gratiam consequamur. Per eundem.

B

SVPER OBLATA.

SVSCIPE, quæsumus, Domine, munus oblatum, & dignanter operare, vt quod passionis Filij tui Domini nostri mysterio gerimus, pijs effectibus consequamur. Per eundem, &c.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Qui innocens pro impijs voluit pati, & pro sceleratis indebite condemnari. Cuius mors delicta nostra detersit, & resurrectio iustificationem nobis exhibuit. Per quem tuam pietatem supplices exoramus, vt sic nos hodie a peccatis emaC cules, vt cras venerabilis cœnæ dapibus saties: Hodie acceptes confessionem nostrorum peccaminum, & cras tribuas spiritalium incrementa donorum: Hodie ieiuniorum nostrorum vota suscipias, & cras nos ad sacratissimæ cœnæ conuiuium introducas. Per quem, &c.

AD COMPLENDVM.

LARGIRE sensibus nostris, omnipotens Deus, vt per temporalem Filij tui mortem, quam mysteria venetanda testantur, vitam te nobis dedisse perpetuam confidamus. Per eundem.

SVPER POPVLVM.

RESPICE, Domine, quæsumus, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus D nostер Iesus Christus non dubitauit manibus tradi nocentium, & crucis subire tormentum. Qui tecum viuit, &c.

FERIA V. IN COENA DOMINI.

Hora tertia ingressi sacrarium, induunt dalmaticas, tam Pontifex, quàm omnes Diaconi, vel omnia ornamenta, sedente Pontifice in sella sua: & præparantur ampullæ duæ cum oleo, quarum melior defertur Pontifici, vt accepto balsamo, & commixtato cum oleo, manus sua impleat eam. Illam vero aliam ministri retineant plenam. Et Pontifex lotis manibus, procedit cum septem cereostatis ad Missam. Dicta Antiphona ad Introitum, dicit, Gloria in excelsis Deo. *Quo finito, dicit,* Pax vobis, *Et dat orationem hanc. Et cetera omnia sicE cut in alia sollemni Missa.*

DEVS, a quo & Iudas reatus sui pœnam, & confessionis suæ Latro præmium sumpsit, concede nobis tuæ propitiationis effectum, vt sicut in passione sua Iesus Christus Dominus noster diuersa vtrisque intulit stipendia meritorum, ita nobis, ablato vetustatis errore, Resurrectionis suæ gratiam largiatur. Qui tecum, &c.

Tunc legitur Epistola, & sequitur graduale, ac deinde Euangelium: quo lecto, peragitur Missa ordine suo.

SVPER OBLATA.

IPSE tibi, quæsumus, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, sacrificium nostrum

noſtrum reddat acceptum, qui diſcipulis ſuis in ſui commemorationem hoc fieri A
hodierna traditione monſtrauit Ieſus Chriſtus Dominus noſter.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum: Quem in hac nocte inter ſacras epulas increpantem mens ſibi conſcia traditoris ferre non potuit, ſed, Apoſtolorum relicto conſortio, ſanguinis pretium a Iudæis accepit, vt vitam perderet quam diſtraxit. Cœnauit igitur hodie proditor mortem ſuam, & cruentis manibus panem de manu Saluatoris exiturus accepit, vt ſaginatum cibo maior pœna conſtringeret, quem nec ſacrati cibi collatio ab ſcelere reuocaret. Patitur itaque Dominus noſter Ieſus Chriſtus filius tuus cum hoſte nouiſſimum B
participare conuiuium, a quo ſe nouerat continuo eſſe tradendum, vt exemplum innocentiæ mundo relinqueret, & paſſionem ſuam pro ſæculi redemptione ſuppleret. Patitur mitis Dominus immitem Iudam, & ſuſtinet pius crudelem conuiuam, qui merito laqueo ſuo periturus erat, quia de Magiſtri ſanguine cogitarat. O Dominum per omnia patientem. O Agnum inter ſuas epulas mitem. Cibum eius Iudas in ore ferebat, & quibus eum traderet perſecutores aduocabat. Sed Filius tuus Dominus noſter, tamquam pia Hoſtia, & immolari ſe tibi pro nobis patienter permiſit, & peccatum, quod mundus commiſerat, relaxauit. Quæſumus igitur, vt, qui pro ſalute noſtra ſe tradi permiſit, ipſe nos ſuæ grariæ dono locupletet: Et qui per buccellam panis ſuum prodidit traditorem, ipſe nos ſui panis perceprione faciat ſibi inhærere: Quiq. diſcipulorum pedes eluere dignatus eſt hodie, ipſe nos ab omnibus delictis emaculet, & C
cœtui fidelium diſcipulorum aſſociet. Per quem, Maieſtatem, &c.

COMMVNICANTES, & diem ſacratiſſimum celebrantes, quo Dominus noſter Ieſus Chriſtus pro nobis eſt traditus. Sed & memoriam, &c.

HANC igitur oblationem ſeruitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus, ob diem, in qua Dominus noſter Ieſus Chriſtus tradidit diſcipulis ſuis corporis & ſanguinis ſui myſteria celebranda; quæſumus, Domine, vt placatus, *&c.*

QVI pridie quàm pro noſtra omnium ſalute pateretur, hoc eſt, hodie, accepit panem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas. D

TE igitur, clementiſſime Pater, per Ieſum Chriſtum filium *tuum*, Dominum noſtrum, ſupplices roganus.

Tunc offertur Pontifici oleum, & benedicit eum, tam ipſe, quàm omnes Presbyteri ad vngendum infirmum, his verbis:

EMITTE, Domine, Spirjtum ſanctum tuum paraclitum de cælis in hanc pinguedinem oliuæ, quam de viridi ligno producere dignatus es ad refectionem corporis, vt tua ſancta benedictione ſit omni hoc vnguentum tangenti tutamentum mentis & corporis, ad euacuandum omnes dolores, omnesq. infirmitates, omnem E
ægritudinem corporis. Vnde vnxiſti Sacerdotes, Reges, Prophetas, & Martyres chriſma tuum perfectum, Domine, a te benedictum in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti.

PER quem hæc omnia, Domine, ſemper bona creas: Sanctificas, viuificas, benedicis, & præſtas nobis.

PER ipſum, & cum ipſo, & in ipſo eſt tibi Deo Patri omnipotenti in vnitate Spiritus ſancti, omnis honor & gloria.

PER omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

OREMVS, Præceptis ſalutaribus moniti, & Diuina inſtitutione formati, audemus dicere: Pater noſter, qui es in cælis, ſanctificetur nomen tuum.

SED LIBERA NOS A MALO.

LIBE-

A LIBERA nos, quæsumus, Domine, ab omnibus malis, præteritis, præsentibus, & futuris: & intercedente beata, & gloriosa semper Virgine Dei genitrice Maria, & beatis Apostolis tuis, Petro, & Paulo, atque Andrea, & omnibus sanctis, da propitius pacem in diebus nostris, vt ope misericordiæ tuæ adiuti, & a peccato simus semper liberi, & ab omni perturbatione securi. Per.

Tunc communicat solus Episcopus, & Diaconus offerat ei calicem, illo tantummodo die. Postquam communicauerit, ponit calicem super Altare, deinde acceptam a Subdiacono patenam, ponit iuxta calicem de latere sinistro: & statim cooperitur a duobus Diaconibus vtrumque de sindone munda, quam prius præparauerant in ora Altaris, è regione Pontificis post corporale expansam: Et continuo duo acolyti inuolutas ampullas cum sindone albo sericea, ita vt videri possint a medio, tenent in brachio sinistro, proiectis sindonibus super scapulam sinistram,

B *ita vt pertingant scapulam dextram, quatenus possint dependentia retineri. A quibus sub humero stantibus, venit Subdiaconus & accipit ampullam commixtam, vna cum sindone, & dat eam Archidiacono, & ille defert Pontifici ante sedem. Tunc Pontifex stans in sede, & respiciens ad orientem, Archidiacono tenente ante ipsum ampullam in sinistro brachio reuoluta sindone, vt supra præfiximus, & halat in ipsa ampulla, & intrat in consecrotione chrismatis excelsa voce:*

DOMINVS vobiscum: Et cum spiritu tuo. Sursum corda: Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro: Dignum & iustum est.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique
C gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui in principio inter cetera bonitatis, & pietatis tuæ munera, terram producere fructifera ligna iussisti, inter quæ huius pinguissimi liquoris ministræ oleæ nascerentur: quarum fructus sacro chrismati deseruiret. Nam & Dauid prophetico spiritu gratiæ tuæ sacramenta prænoscens, vultus nostros in oleo exhilarandos esse cantauit. Et cum mundi crimina diluuio quondam expiarentur effuso, similitudinem futuri muneris columba demonstrans, per oliuæ ramum pacem terris redditam nunciauit. Quod in nouissimis temporibus, manifestis est effectibus declaratum, cum baptismatis aquis omnium criminum commissa delentibus, hæc olei vnctio vultus nostros iucundos efficit ac serenos. Inde etiam Moysi famulo tuo mandatum dedisti, vt Aaron fratrem suum prius aqua lotum, per infusionem huius vnguenti constitueret Sacerdotem. Accessit ad hoc am-
D plior honor, cum filius tuus Iesus Christus Dominus noster lauari se a Ioanne vndis Iordanicis exegisset, vt, Spiritu sancto in Columbæ similitudine desuper misso, Vnigenitum tuum, in quo ribi optime complacuisse, testimonio subsequentis vocis ostenderes: & hoc illud esse manifestissime comprobares, quòd eum oleo lætitiæ præ consortibus suis vngendum Dauid propheta cecinisset. Te igitur deprecamur Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per eundem IESVM CHRISTVM filium tuum Dominũ nostrum, vt huius creaturæ pinguedinẽ ✠ sanctificare tua benedictione digneris, & sancti Spiritus ei admiscere virturem, cooperante potentia CHRISTI tui, a cuius sancto nomine Chrisma nomen accepit: vnde vnxisti Sacerdotes, Reges, Prophetas, & Martyres, vt spiritalis lauacri baptismo renouandis, creaturã chrismatis in sacramentũ perfectæ salutis vitæq. confirmes: vt sanctificatione vnctionis infu-
E sa, corruptione primæ natiuitatis absorpta, sanctum vniuscuiusque templũ acceptabilis vitæ, innocentiæ odore redoleſcat: vt secundum constitutionis tuæ sacramentum Regio, & Sacerdotali, Propheticoq. honore perfusi, vestimenro incorrupti muneris induantur: vt sit, his qui renati fuerint ex aqua, & Spiritu sancto, Chrisma salutis, eosq. æternæ vitæ participes, & cælestis gloriæ facias esse consortes. Per eundem Dominum nostrum.

Qua expleto, benedicit ampullam olei, ordine quo supra declaratum est: & similiter halat in ipsa, sed tacite ipsam benedicat.

DOMINVS vobiscum: Et cum spiritu tuo. *Oremus.*

DEVS, incrementorum, & profectuum spiritalium munerator, qui virtute sancti Spiritus tui, imbecillarum mentium rudimenta confirmas, te oramus Domine,

vt ven-

vt venturis ad beatæ regenerationis lauacrum tribuas per vnctionem istius creaturæ purgationem mentis, & corporis, vt, siquæ illis aduersantium spirituum maculæ inhæserunt, ad tactum sanctificati olei huius abscedant. Nullus spiritalibus nequitijs locus: nulla refugis virtutibus sit facultas: nulla insidiantibus malis latendi licentia relinquatur: sed venientibus ad fidem seruis tuis, & sancti Spiritus tui operatione mundandis sit vnctionis huius præparatio vtilis ad salutem: quam etiam cælestis regenerationis natiuitate in sacramento sunt baptismatis adepturi. Per Dominum nostrum. Qui venturus est. A

Ampulla autem, quæ cum chrismate est, statim, vt benedicta fuerit, cooperitur, vt a nemine videatur: sed tenente eam acolyto, omnes eam per ordinem salutent: nam Episcopus, & Diaconi omnes eam nudam salutant. Hoc expleto, ablutis manibus, Pontifex vadit ante Altare, B *& communicat omnis populus in ordine suo, & seruant de ipso sacrificio in crastinum, vnde communicent.*

Ad Complendvm.

Refecti vitalibus alimentis, quæsumus, Domine Deus noster, vt quod tempore nostræ mortalitatis exequimur, immortalitatis tuæ munere consequamur. Per Dominum.

ITEM ORATIO AD RECONCILIANDVM Poenitentem.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, & me, qui etiam misericordia tua C primus indigeo, clementer exaudi: & quem non electione meriti, sed dono gratiæ tuæ constituisti operis huius ministrum, da fiduciam tui muneris exequendi, & ipse in nostro ministerio (quod tuæ pietatis est) operare. Per Dominum nostrum.

ALIA.

Praesta, quæsumus, Domine, huic famulo tuo dignum pœnitentiæ fructum, vt Ecclesiæ tuæ sanctæ, a cuius integritate deuiarat peccando, admissorum reddatur innoxius veniam consequendo. Per Dominum nostrum.

ALIA.

Deus, humani generis benignissime Conditor, & misericordissime Reformator, D qui hominem inuidia diaboli ab æternitate deiectum, vnici Filij tui sanguine redemisti; viuifica hunc famulum tuum, quem tibi nullatenus mori desideras: & qui non derelinquis deuium, assume correctum: moueant pietatem tuam, quæsumus, Domine, huius famuli tui lacrymosa suspiria, tu eius medere vulneribus, tu iacenti manum porrige salutarem, ne Ecclesia tua aliqua sui corporis portione vastetur: ne grex tuus detrimentum sustineat: ne familiæ tuæ damno inimicus exultet: ne renatum lauacro salutari mors secunda possideat. Tibi ergo, Domine, supplices preces, & fletum cordis effundimus: tu parce confitenti, vt sic in hac mortalitate peccata sua, Te adiuuante, deflear, qualiter in tremendi Iudicij die sententiam damnationis æternæ euadat, & nesciat quod terret in tenebris, quod stridet in flammis, atque ab erroris via ad iter reuersus iustitiæ nequaquam vltra vulneribus saucietur: sed E integrum sit ei atque perpetuum & quod gratia tua contulit, & quod misericordia tua reformauit. Per.

ALIA.

Deus misericors, Deus clemens, qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata pœnitentium deles, & præteritorum criminum culpas venia remissionis euacuas, respice super hunc famulum ruum, & remissionem sibi omnium peccatorum suorum tota cordis confessione poscentem deprecatus exaudi. Renoua in eo pijssime Pater, quidquid terrena fragilitate corruptum, vel quidquid diabolica fraude violatum est: & in vnitate corporis Ecclesiæ tuæ membrorum, perfecta remissione restitue. Miserere Domine gemituum, miserere lacrymarum, & non habentem fiduciam nisi in tua misericordia, ad sacramentum reconciliationis admitte. Per.

ALIA.

A

ALIA.

MAIESTATEM tuam, Domine, supplices deprecamur, vt huic famulo tuo *Ill.* longo squalore pœnitentiæ macerato miserationis tuæ veniam largiri digneris, vt nuptiali veste recepta, ad Regalem mensam, vnde electus fuerat, mereatur introire. Per.

AD MISSAM.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, confitenti tibi famulo tuo pro tua pietate peccata relaxa, vt non plus ei noceat conscientiæ reatus ad pœnam, quàm indulgentiæ tuæ pietatis prosit ad veniam. Per.

B

SVPER OBLATA.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens & misericors Deus, vt hæc salutaris oblatio famulum tuum & proprijs reatibus indesinenter expediat, & ab omnibus tueatur aduersis. Per Dominum.

AD COMPLENDVM.

OMNIPOTENS, & misericors Deus, qui peccatorum indulgentiam in confessione celeri posuisti, succurre lapsis, miserere confessis, & famulum tuum *Ill.* quem delictorum catena constringit, magnitudo tuæ pietatis absoluat. Per.

C

FERIA VI.

Hora tertia conueniant omnes Presbyteri tam ciuitatis, quàm de suburbanis, & omnis Clerus cum populo in Ecclesia statuta intra Vrbem, non tamen in maiori Ecclesia, & expectent Pontificem, vel qui Vicem illius tenuerit. Qui dum veniens de Sacrario, processerit ante Altare, ad orandum ordine quo in sacrario continetur. Mox vt surrexerit, cum silentio ascendit ad sedem. Quo sedente, statim Subdiaconus ascendit ad legendum. Et post hæc cantatur Canticum, Dominc audiui, *deinde sequitur altera lectio: post quam, sequitur Tractus. Quo finito, legitur* Passio Domini secundum Ioannem.

Hac expleta, venit Pontifex ante Altare, & dicit:

D

OREMVS, Dilectissimi nobis pro Ecclesia sancta Dei, *& cetera. Sicut in quarta feria habentur. Pro Iudæis est orare, sed non flectendo genua. Quas vt finierit, statim duo Diaconi nudant Altare sindone, quæ prius fuerat sub Euangelio posita, & ista omnia tacite: & exeunt foras, Presbyteri vero Ecclesiarum, siue de Vrbe, sine de suburbanis vadunt per Ecclesias suas, vt hoc ordine cuncta ad Vesperum faciant. Hoc tantum mutantes, vt vbi Pontifex meminit Apostolicum, ipsi nominent Episcopum suum. Ad Vesperum vero tam in Ecclesia, in qua Pontifex dicit orationes, quàm in ceteris prbrũ. Post orationes, præparatur Crux ante Altare, interposito spatio inter ipsam & Altare, sustentata hinc inde a duobus Acolytis. Posito ante eam Oratorio, venit Pontifex, & adoratam deosculatur Crucem. Deinde Episcopi, Presbyteri, Diacons, & ceteri per ordinem, deinde populus, Pontifex vero redit in sedem vsque dum omnes salutent: Presbyteri vero duo priores, mox vt salutauerint intrant in sacrarium, vel vbi positum fuerit corpus Domini, quod pridie remansit ponentes*

E

illud in patena, & Subdiaconus teneat ante ipsos calicem cum vino non consecrato, & alter patenam cum corpore Domini. Quibus tenentibus, accipit vnus Presbyter patenam, & alter calicem, & deferunt super Altare nudatum. Pontifex vero sedet dum persalutet populus Crucem: nam salutante Pontifice, vel populo Crucem, canitur semper Antiphona:

ECCE lignum crucis, *Dicitur*, Psalmus 118. *Qua salutata, & reposita in loco suo, descendit Pontifex ante Altare, & dicit:*

Oremus.

PRAECEPTIS salutaribus moniti: *vsque dum:* Et ab omni perturbatione securi. *& c. Cum dixerit Amen, sumit de sancta, & ponit in calicem nihil dicens. Et communicant omnes cum silentio, & expleta sint vniuersa. Hoc facto, dicit Pontifex:* In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Pax vobis. Et cum spiritu tuo. *A feria V.*

Vesperæ nudæ sint Altaria vsque mane sabbati. Sabbato, hora viij. veniunt omnes tam cle- A
rus, quàm populus in Ecclesiam, & ingrediuntur clerici in Sacrarium, & induunt se vesti-
mentis, sicut mos est, & tunc illuminantur duo cerei, quos tenent duo notarij, vnum in dex-
tro cornu Altaris, & alterum in sinistro, & ascendit lector in ambonem pronuncians:

LECTIO LIBRI GENESIS

In Principio. *Similiter & illas lectiones omnes: ante* (In Principio) *non dicit orationem: Prima lectione finita, dicit hanc orationem:*

DEVS, qui mirabiliter creasti hominem, & mirabilius redemisti, da nobis contra oblectamenta peccati, mentis tatione resistere, vt mereamur ad gaudia æterna peruenire. Per. B

LECTIO LIBRI GENESIS

Tentauit Deus Abraham.

DEVS, qui in Abrahæ famuli tui opere, humano generi obedientiæ exempla præbuisti, concede nobis, & nostræ voluntatis prauitatem frangere, & tuorum præceptorum rectitudinem in omnibus adimplere. Per.

LECTIO LIBRI EXODI

Dixit Dominus ad Moysen & Aaron in terra Ægypti.

DEVS, qui peccati veteris hereditariam mortem, in qua posteritatis genus omne C
successerat, Christi tui Domini nostri passione soluisti, da vt conformes eidem facti,
sicut imaginem terreni, naturæ necessitate portauimus, ita imaginem cælestis gratiæ
sanctificatione portemus Christi Domini nostri. Qui tecum viuit.

LECTIO LIBRI EXODI

Factum est in vigilia matutina. *Canticum:* Cantemus.

DEVS, cuius antiqua miracula in præsenti quoque sæculo coruscare sentimus,
præsta, quæsumus, vt sicut priorem populum ab Ægyptijs liberasti, hoc ad salutem
Gentium per aquas baptismatis opereris. Per.

D

LECTIO ISAIAE PROPHETAE

Hæc hereditas seruorum Domini.

DEVS, qui Ecclesiam tuam semper Gentium vocatione multiplicas, concede propitius, vt quos aqua baptismatis abluis, continua protectione tuearis. Per Dominum nostrum.

LECTIO ISAIAE PROPHETAE

Apprehendent septem mulieres virum vnum. *Canticum:* Vinea.

DEVS, qui nos ad celebrandum paschale sacramentum, vtriusque testamenti paginis instruis, da nobis intelligere misericordiam tuam, vt ex perceptione præsentium, firma sit expectatio futurorum. Per. E

LECTIO IONAE PROPHETAE

Factum est Verbum Domini ad Ionam Prophetam.

DEVS, qui diuitias misericordiæ tuæ in hac præcipue nocte largiris, propitiare vniuerso ordini sacerdotalis officij, & omnis gradus famulatus nostri perfecta delictorum remissione sanctifica, vt ministraturos regeneratrici gratiæ tuæ nulli esse obnoxios patiaris offensæ. Per.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, vt qui festa paschalia agimus, cælestibus desiderijs accensi, fontem vitæ sitiamus. Per.

TRACT.

A TRACT. Sicut desiderat cetuus ad fontes.

ALIA ORATIO, IN EODEM PSALMO.

OMNIPOTENS sempiterne Deus respice propitius ad deuotionem populi renascentis, qui, sicut ceruus, aquarum tuarum expetit fontem: & concede propitius, vt fidei ipsius sitis, baptismatis mystetio, animam corpusq. sanctificet. Per Dominum nostrum.

Expletis lectionibus, statim vnus ministrorum tenens ampullas in manibus suis stat in dextro cornu Altaris, qui precedat Pontificem ad fontes. Tum deinde Schola descendit ad fontes ad Letaniam faciendam, expectantes parati Pontificem: secundus vero Schola tenet vas aureum
B *in manu sua sinistra super planetam, vnde Pontifex mittat chrisma in fontem, & iussi faciunt Letaniam septenam: & cum tam prope finem eius fuerint, tunc procedit Pontifex cum omni decore, sustentatus a duobus Diaconibus: Et illa duo cereostata, qua antea fuerant illuminata, semper ante ipsum procedunt vsque dum omnia finierit. Qui mox, vt venerit ante fontes, stans benedicit fontes, dicens ea voce, qua alias orationes. Et prima oratio a* Dominus Vobiscum, *incipit: & finitur*, Per omnia sæcula sæculorum, *sicut alia oratio ad Missam*. Dominus Vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, adesto magnæ pietatis tuæ mysterijs, adesto sacramentis, & ad creandos nouos populos, quos tibi fons baptismatis parturit, spiritum adoptionis emitte, vt quod nostræ humilitatis gerendum est ministerio tuæ
C virtutis, impleatur effectu. Per Dominum.

Consecratio fontis canitur sicut Prafatio, vsque & Spiritus sancti, *& non incipit a* Vere dignum. *Deinde dicitur decantando:*

DEVS, qui inuisibili potentia sacramentorum tuorum, mirabiliter operaris effectum: & licet nos tantis mysterijs exequendis simus indigni, tu tamen gratiæ tuæ dona non deserens, etiam ad nostras preces aures tuæ pietatis inclinas. Deus, cuius Spiritus super aquas inter ipsa mundi primordia fetebatur, vt iam tunc virtutem sanctificationis aquarum natura reciperet; Deus, qui nocentis mundi crimina per aquas abluens, regenerationis speciem in ipsa diluuij effusione signasti, vt vnius eiusdemq.
D elementi mysterio, & finis esset vitijs, & origo virtutibus; Respice Domine in faciem Ecclesiæ tuæ, & multiplica in ea regenerationes tuas, qui gratiæ tuæ affluentis impetu, lætificas ciuitatem ruam, fontemq. baptismatis aperis, toto orbe terrarum gentibus innouandis, vt tuæ maiestatis imperio, sumat Vnigeniti tui gratiam de Spiritu sancto.

HIC CVM MANV SVA DIVIDIT AQVAM IN MODVM CRVCIS. ✠

QVI hanc aquam regenerandis hominibus præparatam, arcana tui luminis admixtione fœcundet, vt sanctificatione concepta, ab immaculato diuini fontis vtero in nouam renata creaturam progenies cælestis emergat. Et quos aut sexus in corpore, aut ætas discernit in tempore, omnes in vnam patiat gratia mater infantiam. Procul ergo hinc, iubente Te Domine, omnis spiritus immundus abscedat,
E procul tota nequitia diabolicæ fraudis absistat. Nihil hic loci habeat contrariæ virtutis admixtio; non insidiando circumuolet, non latendo subripiat, non inficiendo corrumpat. Sit hæc sancta & innocens creatura libera ab omni impugnatoris incursu, & totius nequitiæ purgata discessu, sit fons viuus, aqua regenerans, vnda purificans, vt omnes hoc lauacro salutifero diluendi, operante in eis Spiritu sancto, perfectæ purgationis indulgentiam consequantur.

HIC AQVAM MANV DIVIDIT IN QVATTVOR. X

VNDE benedico te creatura aquæ, per Deum viuum, per Deum sanctum, qui te in principio, Verbo separauit ab arida, & in quattuor fluminibus totam terram rigare præcepit. Qui te in deserto amaram, suauitate indita, fecit esse potabilem, & sitienti populo de petra produxit. Benedico te & per IESVM CHRISTVM filium

eius vnicum Dominum nostrum, qui te in Chana Gallilææ, signo admirabili sua potentia conuertit in vinum, qui pedibus super te ambulauit, & a Ioanne in Iordane in te baptizatus est. Qui te vna cum sanguine de latere suo produxit, & discipulis suis iussit, vt credentes baptizarentur in te, dicens: Ite docete omnes gentes, baptizantes eos, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. A

HIC MVTAT VOCEM QVASI LECTIONEM LEGENS.

HAEC nobis præcepta seruantibus, Tu Deus omnipotens, clemens adesto, tu benignus aspira, tu has simplices aquas tuo ore benedicito, vt præter naturalem emundationem, quam lauandis possunt adhibere corporibus, sint etiam purificandis mentibus efficaces.

B

Et mittuntur predicti duo Clerici intus in baptisterio. Hic sufflat tribus vicibus in aquam.

DESCENDAT, Domine, in hanc plenitudinem fontis, virtus Spiritus tui: totamq. huius aquæ substantiam, regenerandi fœcundet effectu. Hic omnium peccatorum maculæ deleantur, hic natura ad imaginem tuam condita, & ad honorem sui reformata principij, vetustatis cunctis squaloribus emundetur, vt omnis homo hoc sacramentum regenerationis ingressus, in veræ innocentiæ nouam infantiam renascatur. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum: Qui venturus est iudicare viuos, & mortuos, & sæculum per ignem.

Inde accipiens vas aureum cum chrismate, fundit chrisma in fonte, in modum crucis, & expandit aquam cum manu sua, dicens: Fœcundetur, & sanctificetur fons iste renascentibus ex eo in vitam æternam. *Tunc baptizantur infantes, primum masculi, deinde femina: Et tenente eo infantem, a quo suscipiendus est, interrogat Pontifex, vel Sacerdos ita:* Quis vocaris? R. *Ill. Item interrogat Sacerdos:* Credis in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ? R. Credo. *Interrogat.* Et in IESVM CHRISTVM filium eius vnicum Dominum nostrum natum & passum? R. Credo. *Interrogat:* Credis & in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam, Catholicam, Sanctorum Communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam? R. Credo. *Interrogat:* Vis baptizari? R. Volo: *Et dicit.* Et ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. C

Vt autem surrexerit a fonte ille, qui cum suscipit, offerat eum vni presbytero, qui faciat signum crucis de chrismate cum pollice, in vertice eius dicens: D

DEVS omnipotens, Pater Domini nostri Iesu Christi, qui te regenerauit ex aqua, & Spiritu sancto, quiq. dedit tibi remissionem omnium peccatorum, ipse te liniat chrismate salutis in vitam æternam. R. AMEN.

Et baptizantur: & sunt parati, qui eos suscepturi sunt, cum linteis in manibus, & accipiunt ipsos a presbyteris, qui eos baptizant: Pontifex vero redit in sacrarium expectans, vt cum vestiti fuerint infantes, confirmet eos. Qui etiam non prohibentur lactari ante sacram Communionem, si necesse fuerit. Induti vero, ordinantur per ordinem sicut scripti sunt. Et infantes quidem in brachijs dextris tenent: maiores vero pedem ponunt super pedem patrini sui. Deinde Schola iussa facit Letaniam, quinam ad fontes, Pontifex vero venient ad infantes, tenente Archidiacono chrisma, inuolutis scapulis, & brachijs ex panno lineo, & lenata manu sua super capita omnium dicit: E

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aqua, & Spiritu sancto, quiq. dedisti eis remissionem omnium peccatorum, emitte in eos septiformem Spiritum ruum sanctum paraclitum de cælis, Spiritum sapientiæ, & intellectus, Spiritum consilij, & fortitudinis, Spiritum scientiæ & pietatis: adimple eos Spiritu timoris tui, & consigna eos signo crucis in vitam propitiatus æternam. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit, & regnat Deus in vnitate eiusdem Spiritus sancti. Per.

Et inter-

A *Et interrogantibus Diaconibus nomina singulorum, Pontifex tincto pollice in chrismate, facit crucem in fronte vnius, similiter per omnes sigillatim. Quibus expletis, iussi incipiunt in Ecclesia Letaniam ternam. Et cum dixerint,* Agnus Dei, *Magister Schola, dicit,* Accendite: *& illuminatur Ecclesia, & procedit Pontifex de sacrario cum duobus cereostatis sicut superius, & stans, sicut antea, a dextris & a sinistris Altaris. Letania expleta, dicit Pontifex:* Gloria in excelsis Deo. *Quo finito, dicit,* Pax vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. *Et dat orationem.*

Deus, qui hanc sacratissimam noctem gloria Dominicæ Resurrectionis illustras, conserua in noua familiæ tuæ progenie adoptionis spiritum, quem dedisti, vt corpore, & mente renouati, puram tibi exhibeant seruitutem. Per eundem Dominum no-
B strum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit, & regnat Deus in vnitate eiusdem Spiritus sancti. Per.

Deinde legitur Apostolus, & canitur alleluia. Tract. Laudate Dominum omnes gentes. *Sequitur Euangelium. Non cantent Offic. neque Agnus Dei, neque Communionem.*

Super Oblata.

Suscipe, quæsumus, Domine, & plebis tuæ, & tuorum Hostias renatorum, vt & confessione tui nominis, & baptismate renouati, sempiternam beatitudinem consequantur. Per.

Praefatio.

C Vere dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Te omni quidem tempore, sed in hac potissimum nocte glorioſius collaudare, & prædicare, per Christum Dominum nostrum: Qui inferorum claustra disrumpens, victoriæ suæ clara vexilla suscepit, & triumphato diabolo, victor a mortuis resurrexit. Et ideo cum Angelis.

Communicantes, & noctem sacratissimam celebrantes Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi secundum carnem. Sed & memoriam venerantes, in primis glorioſæ semper Virginis Mariæ, genitricis eiusdem Dei, & Domini nostri Iesu Christi, &c.

Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quam ti-
D bi offerimus, pro his quoque, quos regenerare dignatus es ex aqua & Spiritu sancto, tribuens eis remissionem omnium peccatorum, quæsumus, Domine, vt placatus accipias.

Ad Complendum.

Praesta, quæsumus, omnipotens Deus, vt diuino munere satiati, & sacris mysterijs innouemur & moribus. Per.

IN DIE SANCTO PASCHÆ.

Deus, qui hodierna die per Vnigenitum tuum æternitatis nobis aditum, deuicta morte, reseraſti, vota nostra, quæ præueniendo aspiras, etiam adiuuando prose-
E quere. Per eundem.

Super Oblata.

Suscipe, Domine, quæsumus, preces populi tui cum oblationibus Hostiarum, vt paschalibus initiata mysterijs, ad æternitatis nobis medelam, Te operante, proficiant. Per.

Praefatio.

Vere dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Te omni quidem tempore, sed in hac potissimum die glorioſius prædicare, cum pascha nostrum immolatus est Christus. Ipse enim verus est Agnus, qui abstulit peccata mundi. Qui mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit. Et ideo cum Angelis.

COMMVNICANTES, & diem sacratissimum celebrantes, *vt supra similiter*. A

HANC igitur oblationem seruitutis nostræ: Sed & cunctæ, *&c.*

AD COMPLENDVM.

SPIRITVM nobis, Domine, tuæ charitatis infunde, vt quos sacramentis paschalibus satiasti, tua facias pietate concordes. Per.

AD VESP.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, vt qui resurrectionis Dominicæ sollemnia colimus, innouatione tui Spiritus, a morte animæ resurgamus. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, filium ruum, qui tecum viuit, & regnat Deus B in vnitate eiusdem Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum.

ALIA.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt qui resurrectionis Dominicæ sollemnia colimus, ereptionis nostræ susciperе lætitiam mereamur. Per eundem.

ALIA.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt qui gratiam Dominicæ resurrectionis agnouimus, ipsi per amorem Spiritus a motte animæ resurgamus. Per eundem.

ALIA. C

DEVS, qui paschale nobis remedium contulisti, populum tuum cælesti dono prosequere, vt inde post in perpetuum gaudeat, vnde nunc remporaliter exultat. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

FERIA II. IN ALBIS.

DEVS, qui sollemnitate paschali mundo remedia contulisti, populum tuum, quæsumus, cælesti dono prosequere, vt, & perfectam libertatem consequi mereatur, & ad vitam proficiat sempiternam. Per.

SVPER OBLATA. D

PASCHALES Hostias recensentes, quæsumus, Domine, vt quod frequentamus actu, comprehendamus affectu. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Er te suppliciter exorare, vt fidelibus ruis dignanter impendas, quo & paschalia capiant sacramenta, & desideranter expectent ventura, vt in mysterijs, quibus renati sunt, permanentes, ad nouam vitam his operantibus perducantur. Per Christum.

COMMVNICANTES, *&c.* E

HANC igitur oblationem, *vt antea*.

AD COMPLENDVM.

IMPLEATVR in nobis, quæsumus, Domine, sacramenti paschalis sancta libatio, nosq. de terrenis affectibus, ad cæleste transferat institutum. Per.

AD VESP.

CONCEDE, quæsumns, omnipotens Deus, vt qui peccatorum nostrorum ponderе, premimur, a cunctis malis imminentibus, per hæc paschalia festa liberemur. Per Dominum nostrum.

ALIA.

A

ALIA.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, vt festa paschalia, quæ venerando colimus, etiam viuendo teneamus. Per Dominum nostrum.

ITEM ALIA.

DEVS, qui populum tuum de hostis callidi seruitute liberasti, preces eius misericorditer respice, & aduersantes ei tua virtute prosterne. Per Dominum nostrum.

FERIA III. IN ALBIS.

DEVS, qui Ecclesiam tuam nouo semper fœtu multiplicas, concede famulis tuis,
B vt sacramentum viuendo teneant, quod fide perceperunt. Per.

Secreta.

SVSCIPE, Domine, fidelium preces, cum oblationibus Hostiarum, vt per hæc piæ deuotionis officia, ad cælestem gloriam transeamus. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Qui oblatione sui corporis, remotis sacrificiorum carnalium obseruationibus,
C se ipsum tibi sacram Hostiam, Agnumq. immaculatum summus Sacerdos pro salute nostra immolauit. Per quem.

AD COMPLENDVM.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, vt paschalis perceptio sacramenti continua in nostris mentibus perseueret. Per.

AD VESP.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, vt qui paschalis festiuitatis sollemnia colimus, in tua semper sanctificatione viuamus. Per.

ALIA.

D PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt per hæc paschalia festa, quæ colimus, deuoti in tua semper laude viuamus. Per.

ALIA.

DEVS, qui conspicis familiam tuam omni humana virtute destitui, paschali interueniente festiuitate, tui eam brachij protectione custodi. Per.

FERIA IV. IN ALBIS.

DEVS, qui nos Resurrectionis Dominicæ annua sollemnitate lætificas, concede propitius, vt per temporalia festa, quæ agimus, peruenire ad gaudia æterna mereamur. Per eundem.
E

SVPER OBLATA.

SACRIFICIA, Domine, paschalibus gaudijs immolamus, quibus Ecclesia mirabiliter & nascitur & nutritur. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et pietatem tuam indefessis precibus implorare, vt qui paschalis festiuitatis sollemnia colimus, in tua semper sanctificatione viuamus. Quo per temporalis festi obseruationem peruenire mereamur ad æternorum gaudiorum continuationem. Per Christum Dominum nostrum.

AD

AD COMPLENDVM.

A

AB omni nos, quæsumus, Domine, vetustate purgatos, sacramenti tui veneranda perceptio in nouam transferat creaturam. Per Dominum nostrum.

AD VESP.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt huius paschalis festiuitatis mirabile sacramentum, & temporalem nobis tranquillitatem tribuat, & vitam conferat sempiternam. Per.

ALIA.

DEVS, qui nos per paschalia festa lætificas, concede propitius, vt ea, quæ deuote agimus, Te adiuuante fideliter teneamus. Per.

B

TRIBVE, quæsumus, omnipotens Deus, vt illuc tendat Christianæ deuotionis affectus, quo tecum est nostra substantia. Per eundem.

FERIA V. IN ALBIS.

DEVS, qui diuersitatem Gentium in confessione tui nominis adunasti, da, vt renatis fonte baptismatis, vna sit fides mentium, & pietas actionum. Per.

Secreta.

SVSCIPE, quæsumus, Domine, munera populorum tuorum propitius, vt confessione tui nominis, & baptismate renouati, sempiternam beatitudinem consequantur. Per Dominum nostrum. C

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Qui nos per paschale mysterium docuit vetustatem vitæ relinquere, & in nouitate spiritus ambulare, a quo perpetuæ mortis superatur acerbitas, & æternæ vitæ fidelibus tribuitur integritas. Per quem, Maiestatem.

AD COMPLENDVM.

EXAVDI, Domine, preces nostras, vt redemptionis nostræ sacrosancta commercia, & vitæ nobis conferant præsentis auxilium, & gaudia sempiterna concilient. Per. D

AD VESP.

DEVS, qui in nobis ad celebrandum paschale sacramentum liberiores animos præstitisti, doce nos & metuere quòd irascaris, & amare quod præcipis. Per.

ALIA.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, vt Ecclesia tua, & suorum firmitate membrorum, & noua semper fœcunditate lætetur. Per Dominum nostrum.

ALIA. E

MVLTIPLICA, quæsumus, Domine, fidem populi tui, vt cuius per Te sumpsit initium, per Te consequatur augmentum. Per.

FERIA VI. IN ALBIS.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui paschale sacramentum, in reconciliationis humanæ fœdere contulisti, da mentibus nostris, vt quod professione celebramus, imitemur effectu. Per.

Secreta.

HOSTIAS, quæsumus, Domine, placatus assume, quas & pro renatorum expiatione peccati deferimus, & pro celebratione cælestis auxilij. Per.

PRAE-

A PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalurare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum: Qui ſecundum promiſſionis ſuæ incommutabilem veritatem, cæleſtis Pontifex factus in æternum, ſolus omnium Sacerdotum peccati remiſſione non eguit, ſed potius peccatum mundi idem verus Agnus abſterſit. Per quem.

AD COMPLENDVM.

RESPICE, quæſumus, Domine, populum tuum, & quem æternis dignatus es reuocare myſterijs, a temporalibus culpis dignanter abſolue. Per Dominum noſtrum.

B AD VESP.

DEVS, per quem nobis, & redemptio venit, & præſtatur adoptio, reſpice in opera miſericordiæ tuæ, vt in Chriſto renatis & æterna tribuatur hereditas, & vera libertas. Per eundem.

ALIA.

ADESTO, quæſumus, Domine, familiæ tuæ, & dignanter impende, vt quibus fidei gratiam contuliſti, & coronam largiaris æternam. Per Dominum noſtrum.

SABBATO IN ALBIS.

CONCEDE, quæſumus, omnipotens Deus, vt qui feſta paſchalia venerando egimus, per hæc contingere ad gaudia æterna mereamur. Per.

C SVPER OBLATA.

CONCEDE, quæſumus, Domine, ſemper nos per hæc myſteria paſchalia gratulari, vt continua noſtræ reparationis operatio, perpetuæ nobis fiat cauſa lætitiæ. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Per quem, ſupplices expoſcimus, vt cuius muneris pignus accepimus, manifeſta dona comprehendere valeamus. Et quæ nobis fideliter ſperanda paſchale contulit ſacramentum, per Reſur-
D rectionis eius attingere mereamur ineffabile myſterium. Per quem.

TE igitur, *vt ſupra*.

AD COMPLENDVM.

REDEMPTIONIS noſtræ munere vegetati, quæſumus, Domine, vt hoc perpetuæ ſalutis auxilium fides vera perficiat ſemper. Per.

AD VESP.

DEVS, totius Conditor creaturæ, famulos tuos, quos fonte renouaſti baptiſmatis, quosq. gratiæ tuæ plenitudine ſolidaſti, in adoptionis ſorte facias dignanter adſcribi. Per Dominum noſtrum.

E ALIA.

DEVS, qui multiplicas Eccleſiam tuam in ſobole renaſcentium, fac eam gaudere propitius de ſuorum profectibus filiorum. Per Dominum noſtrum.

DOMINICA OCTAVA PASCHÆ.

PRAESTA, quæſumus, omnipotens Deus, vt qui paſchalia feſta peregimus, hæc, Te largiente, moribus & vita teneamus. Per Dominum noſtrum.

Secreta.

SVSCIPE munera, quæſumus, Domine, exultantis Eccleſiæ, & cui cauſam tanti gaudij præſtitiſti, perpetuum fructum concede lætitiæ. Per.

PRAE-

PRAEFATIO. A

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et te suppliciter exorare ne nos ad illum sinas redire actum, cui iure dominatur inimicus: sed in hac potius facias absolutione persistere, per quam diabolus extitit, Filio tuo vincente, captiuus. Et ideo cum Angelis.

AD COMPLENDVM.

QVAESVMVS, Domine Deus noster, vt sacrosancta mysteria, quæ pro reparationis nostræ munimine contulisti, & præsens nobis remedium esse facias & futurum. Per.

AD VESP. B

DEVS, qui nos fecisti hodierna die paschalia festa celebrare, fac nos, quæsumus, in cælesti regno gaudere. Per.

ALIA.

DEVS, qui nos exultantibus animis Paschа tuum celebrare tribuisti, fac nos quæsumus, & temporalibus gaudere subsidijs, & æternitatis affectibus gratulari. Per Dominum nostrum.

ALIÆ ORATIONES PASCHALES.

DEVS, qui credentes in te fonte baptismatis innouasti, hanc renatis in Christo concede custodiam, vt nullo erroris incursu, gratiam tuæ benedictionis amittant. Per. C

ALIA.

DEVS, qui ad æternam vitam in Christi Resurrectione nos reparas, erige nos ad consedentem in dextera tua nostræ salutis auctorem, vt qui propter nos iudicandus aduenit, pro nobis etiam iudicaturus adueniat Iesus Christus filius tuus Dominus noster, qui tecum viuit & regnat.

ALIA.

DEVS, & reparator innocentiæ & amator, dirige ad te tuorum corda seruorum, vt de infidelitatis tenebris liberati, numquam a tuæ veritatis luce discedant. Per Dominum.

ALIA.

DEVS, qui credentes in te populos gratiæ tuæ largitate multiplicas, respice propitius ad electionem tuam, vt qui sacramento baptismatis sunt renati, regni cælestis mereantur introitum. Per. D

ALIA.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, quo humanam naturam supra primæ originis reparas dignitatem, respice pietatis tuæ ineffabile sacramentum, vt quos regenerationis mysterio innouare dignatus es, in his dona tua perpetuæ gratiæ protectione conserua. Per.

ALIA.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, deduc nos ad societatem cælestium gaudiorum, vt Spiritu sancto renatos, regnum tuum facias introire, atque eo perueniat humilitas gregis, quo præcessit celsitudo Pastoris. Qui tecum viuit. E

ALIA.

DEVS, qui in Filij tui humilitate iacentem mundum erexisti, fidelibus tuis perpetuam lætitiam concede, vt quos perpetuæ mortis eripuisti casibus, gaudijs facias sempiternis perfrui. Per eundem.

ALIA.

PRAESTA nobis, omnipotens, & misericors Deus, vt in Resurrectione Domini nostri Iesu Christi percipiamus veraciter portionem. Per eundem Dominum.

ALIA.

DEVS, qui ad æternam vitam in Christi Resurrectione nos reparas, imple

pietatis

A pietatis tuæ ineffabile ſacramentum, vt, cum in Maieſtate ſua Saluator noſter aduenerit, quos feciſti baptiſmo regenerari, facias beata immortalitate veſtiri. Per eundem.

ALIA.

DEVS, humani generis Conditor, & Redemptor, da quæſumus, vt reparationis noſtræ collata ſubſidia, Te iugiter inſpirante, ſectemur. Per.

ALIA.

DEVS, qui renatis ex aqua, & Spiritu ſancto cæleſtis regni pandis introitum, auge ſuper famulos tuos gratiam, quam dediſti, vt qui ab omnibus ſunt purgati peccatis, nullis priuentur promiſſis. Per.

B

ALIA.

CONSERVA in nobis, quæſumus, Domine, miſericordiam tuam, vt quos ab erroris liberaſti caligine, veritatis tuæ firmius inhærere facias documento. Per Dominũ.

ALIA.

SOLITA, quæſumus, Domine, nos pietate cuſtodi, vt qui Vnigeniti tui paſſione ſunt redempti, eius Reſurrectione lætentur. Per eundem.

ALIA.

OMNIPOTENS ſempiterne Deus, da vt propenſius his diebus tuam miſericordiam conſequamur, quibus eam plenius, Te largiente, cognouimus. Per.

C

XVIII. KALENDAS MAII
NAT. SS. TIBVRTII, ET VALERIANI, ET MAXIMI.

PRAESTA, quæſumus, omnipotens Deus, vt qui ſanctorum tuorum Tiburtij, Valeriani, & Maximi ſollemnia colimus, eorum etiam virtutes imitemur. Per Dominum noſtrum.

Secreta.

HOSTIA hæc, quæſumus, Domine, quam Sanctorum tuorum natalitia recenſentes offerimus, & vincula noſtræ prauitatis abſoluat, & tuæ nobis, Domine, miſericordiæ dona conciliet. Per.

D

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et te in ſanctorum Martyrum tuorum feſtiuitate laudare, qui ſemper es mirabilis in tuorum commemoratione Sanctorum, & magnæ fidei largiris affectum, & tolerantiam tribuis paſſionum, & antiqui hoſtis facis ſuperari machinamentum; quo egregij Martyres tui ad capiendam ſupernorum beatitudinem præmiorum, nullis impediantur retinaculis blandimentorum. Per Chriſtum.

AD COMPLENDVM.

E CAELESTI munere ſaginati, quæſumus, Domine Deus noſter, vt hæc nobis dona Martyrum tuorum interceſſio beata ſanctificet. Per.

IX. KALENDAS MAII
NAT. S. GEORGII MARTYRIS.

DEVS, qui nos beati Georgij Martyris tui meritis & interceſſione lætificas, concede propitius, vt qui eius beneficia poſcimus, dona tuæ gratiæ conſequamur. Per.

Secreta.

MVNERA, Domine, oblata ſanctifica, & intercedente Beato Georgio Martyre tuo, nos per hæc a peccatorum noſtrorum maculis emunda. Per Dominum noſtrum.

PRAE-

PRAEFATIO. A

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Pro cuius nominis veneranda confessione, Beatus Martyr Georgius diuersa supplicia sustinuit, & ea deuincens, coronam perpetuitatis promeruit. Per quem, Maiestatem tuam.

AD COMPLENDVM.

BEATI Georgij Martyris tui, Domine, suffragijs exoratus percepta sacramenti tui nos virtute defende. Per.

VII. KALENDAS MAII B
NAT. S. MARCI EVANGELISTAE.

DEVS, qui Beatum Marcum Euangelistam tuum Euangelicæ prædicationis gratia sublimasti, tribue, quæsumus, eius nos semper & eruditione proficere, & oratione defendi. Per.

Secreta.

BEATI Marci Euangelistæ tui sollemnitate tibi munera deferentes, quæsumus, Domine, vt sicut illum prædicatio Euangelica fecit glorioſum, ita nos eius intercessio & verbo & opere tibi reddat acceptos. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper & vbique gratias C agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Cuius gratia Beatum Marcum in Sacerdotium elegit, doctrina ad prædicandum erudijt, potentia ad perseuerandum confirmauit; vt per Sacerdotalem infulam perueniret ad martyrij palmam; docensq. subditos, instruens viuendi exemplo, confirmans patiendo ad te coronandus perueniret, qui persecutorum minas intrepidus superasset. Cuius interuentus, nos, quæsumus, a nostris mundet delictis, qui tibi placuit tot donorum prærogatiuis. Per quem, Maiestatem.

AD COMPLENDVM.

TRIBVANT nobis, quæsumus, Domine, continuum tua sancta præsidium, quo Beati Marci Euangelistæ tui precibus nos ab omnibus semper tueatur aduersis. Per. D

IV. KALENDAS MAII
NAT. S. VITALIS MARTYRIS.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt intercedente Beato Vitale Martyre tuo, & a cunctis aduersitatibus liberemur in corpore, & a prauis cogitationibus mundemur in mente. Per Dominum nostrum.

Secreta.

ACCEPTA sit in conspectu tuo, Domine, nostra deuotio, & eius nobis fiat supplicatione salutaris, pro cuius sollemnitate defertur. Per. E

AD COMPLENDVM.

EXVLTET, Domine, populus tuus in sancti tui commemoratione Vitalis: & cuius votiuo lætatur officio, suffragio releuetur optato. Per.

PRIDIE KALENDAS MAII
VIGILIA PHILIPPI ET IACOBI.

PROTEGAT Ecclesiam tuam, Deus, oratio veneranda Apostolorum tuorum, quorum sollemnia præuenimus obsequijs, & quorum frequentia deuotionem impendit, perpetuæ poscat redemptionis effectum. Per Dominum nostrum.

Secre-

A *Secreta.*

ADESTO, Domine, ſupplicationibus noſtris, & interceſſione Apoſtolorum tuorum, quorum ſollemnia præuenimus, confidenter tribue conſequi quod ſperare donaſti. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, & c. æterne Deus. Quia tui eſt operis, tuæq. virtutis, vt Apoſtolorum tuorum glorioſa confeſſio vſque in finem nobis tribuat regni cæleſtis augmentum. Per Chriſtum.

AD COMPLENDVM.

PIGNVS vitæ æternæ capientes, Maieſtatem tuam ſuppliciter deprecamur, omB nipotens Deus, vt Apoſtolorum tuorum, quorum ſollemnia præuenimus obſequijs, fulti patrocinijs, quod in imagine contingimus, manifeſta perceptione ſumamus. Per.

KALENDIS MAII
NAT. SS. PHILIPPI, ET IACOBI.

DEVS, qui nos annua Apoſtolorum tuorum Philippi & Iacobi ſollemnitate lætificas, præſta quæſumus, vt quorum gaudemus meritis, inſtruamur exemplis. Per.

Secreta.

MVNERA, Domine, quæ pro Apoſtolorum tuorum Philippi, & Iacobi ſollemnitate deferimus, propitius ſuſcipe, & mala omnia, quæ meremur, auerte. Per.

C PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui Eccleſiam tuam in Apoſtolica ſoliditate firmaſti, de quorum conſortio ſunt Beati, Philippus & Iacobus, quorum paſſionis hodie feſtum veneramur, poſcentes, vt ſicut eorum doctrinis inſtruimur, ita exemplis muniamur, & precibus adiuuemur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

AD COMPLENDVM.

D QVAESVMVS, Domine, ſalutaribus repleti myſterijs, vt quorum myſteria celebramus, eorum orationibus adiuuemur. Per Dominum.

ALIA.

BEATORVM Apoſtolorum Philippi & Iacobi honore continuo, Domine, plebs tua ſemper exultet, & his Præſulibus gubernetur, quorum & doctrinis gaudet & meritis.

V. NONAS MAII NAT. SS.
ALEXANDRI, EVENTII, ET THEODOLI.

E PRAESTA, quæſumus, omnipotens Deus, vt, qui ſanctorum tuorum Alexandri, Euentij, & Theodoli natalitia colimus, a cunctis malis imminentibus eorum interceſſionibus liberemur. Per Dominum.

Secreta.

SVPER has Hoſtias, Domine, benedictio copioſa deſcendat, quæ & ſanctificationem nobis clementer operetur, & de Martyrum nos ſollemnitate lætificet. Per.

AD COMPLENDVM.

PASCE nos, Domine, tuorum gaudijs vbique Sanctorum, quia noſtræ ſalutis augmenta ſunt, quoties illis honor impenditur, in quibus tu mirabilis prædicaris. Per.

A

EODEM DIE INVENTIO SANCTÆ CRVCIS.

DEVS, qui in præclara salutiferæ Crucis inuentione, passionis tuæ miracula suscitasti, concede, vt vitalis ligni pretio, æternæ vitæ suffragia consequamur. Qui viuis & regnas.

Secreta.

SACRIFICIVM, Domine, quod immolamus, placatus intende, vt ab omni nos exuat bellorum nequitia, & per vexillum sanctæ Crucis Filij tui, ad conterendas potestatis aduersæ insidias, nos in tuæ protectionis securitate constituat. Per eundem.

B

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Qui per passionem Crucis mundum redemit, & antiquæ arboris amarissimum gustum Crucis medicamine indulcauit: mortemq. quæ per lignum vetitum venerat, per ligni trophæum deuicit, vt mirabili suæ pietatis dispensatione, qui per ligni gustum a florigera sede discesseramus, per Crucis lignum ad paradisi gaudia redeamus. Per quem.

AD COMPLENDVM.

REPLETI alimonia cælesti, & spiritali poculo recreati, quæsumus, omnipotens C
Deus, vt ab hoste maligno defendas, quos per lignum sanctæ Crucis Filij tui, armis iustitiæ pro salute mundi triumphare iussisti. Qui tecum.

ALIA.

DEVS, qui omnia Verbo tuo fecisti, suppliees quæsumus ineffabilem clementiam tuam, vt, quos per lignum sanctæ Crucis Filij tui pio cruore es dignatus redimere, omnibus in te credentibus, dira serpentis venena extinguas, & per gratiam Spiritus sancti poculum salutis semper infundas. Per eundem.

VI. IDVS MAII
NAT. S. GORDIANI, ET EPIMACHI.

D

DA, quæsumus, omnipotens Deus, vt qui beatorum Martyrum tuorum Gordiani atque Epimachi sollemnia colimus, eorum apud te intercessionibus adiuuemur. Per.

Secreta.

HOSTIAS tibi, Domine, beatorum Martyrum Gordiani atque Epimachi dicatas meritis benignus assume, & ad perpetuum nobis tribue prouenire subsidium. Per.

AD COMPLENDVM.

QVAESVMVS, omnipotens Deus, vt qui cælestia alimenta percepimus, intercedentibus sanctis tuis, Gordiano & Epimacho, per hæc contra aduersa omnia muniamur. Per Dominum nostrum. E

V. IDVS MAII
NAT. S. PANCRATII MARTYRIS.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt qui Beati Pancratij Martyris tui natalitia colimus, a cunctis malis imminentibus eius intercessionibus liberemur. Per Dominum nostrum.

Secreta.

MVNERA, quæsumus, Domine, tibi dicata sanctifica, &, intercedente Beato Pancratio Martyre tuo, per eadem nos placatus intende. Per.

AD

A AD COMPLENDVM.

BEATI Pancratij Martyris tui, Domine, intercessione placatus, præsta, quæsumus, vt quæ temporali celebramus actione, perpetua saluatione capiamus. Per Dominum.

VIII. KALENDAS IVNII
NAT. SANCTI VRBANI PAPAE.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, vt qui Beati Vrbani Martyris tui atque Pontificis sollemnia colimus, eius apud te intercessionibus adiuuemur. Per.

Secreta.

B HAEC Hostia, Domine, quæsumus, emundet nostra delicta, & intercedente Beato Vrbano Martyre tuo, sacrificium celebrandum subditorum tibi corpora meutesq. sanctificet. Per Dominum nostrum.

AD COMPLENDVM.

BEATI Vrbani Martyris tui atque Pontificis, Domine, intercessione placatus, præsta quæsumus, vt quæ temporali celebramus actione, perpetua saluatione capiamus. Per Dominum nostrum.

DOMINICA I. POST OCTAVAM PASCHÆ.

C DEVS, qui pro salute mundi sacrificium paschale fecisti, propitiare supplicationibus nostris, vt interpellans pro nobis Pontifex summus, Nos per id, quo nostri est similis, reconciliet: per id, quo tibi est æqualis, absoluat Iesus Christus filius tuus, &c.

Secreta.

DIGNE nos tuo nomini, quæsumus, Domine, famulari salutaris cibus & sacer potus efficiat, vt renouatio conditionis humanæ, quam mysteria continent, in nostris iugiter sensibus offeratur. Per.

PRAEFATIO.

D VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et immensam bonitatis tuæ pietatem humiliter exorare, vt ignorantiam nostræ mortalitatis attendens, ex tua inspiratione nos facias postulare quod rectum est, & tua clementia tribuas impetrare quod poscimus. Per Christum Dominum nostrum.

AD COMPLENDVM.

PASCHALIA, nobis, quæsumus, Domine, remedia dignanter impende, vt terrena desideria respuentes, discamus amare cælestia. Per Dominum.

SVPER POPVLVM.

E FAMILIAM tuam, quæsumus, Domine, dextera tua perpetuo circumdet auxilio, vt paschali inrueniente sollemnitate, ab omni prauitate defensa, donis cælestibus prosequatur. Per Dominum.

DOMINICA II. POST OCTAVAM PASCHÆ.

DEVS, qui omnes in Christo renatos, genus regium & sacerdotale fecisti, da nobis & velle & posse quæ præcipis, vt populo ad æternitatem vocato, vna sit fides cordium, & pietas actionum. Per eundem.

Secreta.

DEVS, qui sollemnitate paschali, cælestia mundo remedia benignus operaris, annua festiuitatis huius dona prosequere, vt obseruantia temporalis ad vitam nobis proficiat sempiternam. Per.

PRAEFATIO. A

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Qui de Virgine nasci dignatus, per passionem & mortem a perpetua nos morte liberauit, & Resurrectione sua æternam nobis vitam contulit. Per quem.

AD COMPLENDVM.

QVAESVMVS, omnipotens Deus, iam non teneamur obnoxij sententiæ damnationis humanæ, cuius nos vinculis hæc redemptio paschalis absoluat. Per Dominum.

ALIA. B

FAC, quæsumus, omnipotens Deus, vt qui paschalibus remedijs innouati, similitudinem terreni parentis euasimus, ad formam cælestis transferamur Auctoris. Qui tecum viuit & regnat Deus.

DOMINICA III. POST OCTAVAM PASCHÆ.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, vt veterem cum suis actibus hominem deponentes, illius conuersatione viuamus, ad cuius nos substantiam paschalibus remedijs transtuliſti. Per eundem Dominum nostrum.

SVPER OBLATA. C

EXVBERET, quæsumus, Domine, in mentibus nostris paschalis gratia sacramenti, vt donis suis ipsa nos dignos efficiat. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et tui misericordiam muneris postulare, vt tempora, quibus post Resurrectionem suam Dominus noster IESVS CHRISTVS discipulis suis corporaliter apparuit, sic ipso opitulante pia deuotione tractemus, quatenus in his, omnium vitiorum sordibus careamus. Per quem.

AD COMPLENDVM. D

CONCEDE, quæsumus, misericors Deus, vt quod paschalibus exequimur institutis, salutiferum nobis omni tempore sentiamus. Per Dominum nostrum.

SVPER POPVLVM.

GAVDEAT, Domine, plebs fidelis, & cum propriæ recolit saluationis exordia, eius promoueatur augmentis. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

DOMINICA IV. POST OCTAVAM PASCHÆ.

DEPELLE, Domine, conscriptum peccati lege chirographum, quod in nobis paschali mysterio per Resurrectionem Filij tui vacuasti. Qui tecum. E

SVPER OBLATA.

CLEMENTIAM tuam, Domine, suppliciter exoramus, vt paschalis muneris sacramentum, quod fide recolimus, & spe desideramus intenti, perpetua dilectione capiamus. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et Maiestatem tuam indefessis precibus exorare, vt mentes nostras bonis operibus semper informes. Quia sic erimus præclari muneris prompta sinceritate cultores, si ad meliora iugiter transeuntes, paschale mysterium studeamus habere perpetuum. Per Christum.

AD

A AD COMPLENDVM.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt percipientes paschali munere veniam peccatorum, deinceps peccata vitemus. Per Dominum nostrum.

SVPER POPVLVM.

EFFVNDE, Domine, benedictionem tuam super populum tuum, vt Filij tui Resurrectione muniti, mereamur aduersantium vitiorũ circumdatione liberari. Qui tecum.

FERIA II. IN LETANIA MAIORE.

MENTEM familiæ tuæ, quæsumus, Domine, intercedente Beato. *Ill.* & munere compunctionis aperi, & largitate pietatis exaudi. Per Dominum.

B ALIA.

DEVS, qui culpas delinquentium districte feriendo percutis, fletus quoque lugentium non recuses, vt qui pondus tuæ animaduersionis cognouimus, etiam pietatis gratiam sentiamus. Per.

ALIA.

PARCE, quæsumus, Domine, parce populo tuo, & nullis iam aduersitatibus patiaris fatigari, quos pretioso Filij tui sanguine redemisti: Qui tecum.

ALIA.

DEVS, qui culpas nostras pijs verberibus percutis, vt nos a nostris iniquitatibus
C emundes, da nobis & de verbere tuo proficere, & de tua citius consolatione gaudere. Per Dominum nostrum.

ALIA.

ADESTO, Domine, supplicationibus nostris, & sperantes in tua misericordia, intercedente Beato Petro Apostolo tuo, cælesti protege benignus auxilio. Per.

ALIA.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt ad te toto corde clamantes, intercedente Beato Petro Apostolo tuo, tuæ pietatis indulgentiam consequamur. Per.

D ORATIONES IN CAMPO.

BENEDICAT nos, Deus noster, benedicat nos Deus, & terræ nostræ fructus vberes multiplicet, vt seminantes in gaudio seminent, & metentes in exultatione colligant manipulos, & te semper benedicant. Per Dominum nostrum.

ALIA.

QVAESVMVS, omnipotens Deus, misericordiam tuam, vt benedicere & multiplicare digneris fines, & fruges famulorum tuorum, sicut multiplicasti fruges Patriarcharum Abrahæ, Isaac, & Iacob, vt sit seruis tuis abundans, & egenus & pauper laudent nomen gloriæ tuæ. Per Dominum.

E ALIA.

CLEMENTIAM tuam, omnipotens Deus, supplices deprecamur, vt benedicere, visitare, & irrigare digneris fruges, & fines seruorum tuorum, & vt defendas ab omni infestatione inimici, vt repleti donis tuis, semper tibi laudes referant, qui das escam omni carni. Per Dominum nostrum.

ALIA.

DEVS, cæli terræq. dominator, te supplices exoramus, vt Angelum tuum mittere digneris, qui custodiat & defendat fines, & fruges famulorum tuorum ab omni incursione inimici, vt abundantia benedictionis tuæ repleas eorum inopiam & tibi semper laudes referant, vt hic & in æternum per te salui esse mereantur. Per Dominum nostrum.

A

AD MISSAM.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt qui in afflictione nostra de tua pietate confidimus, contra aduersa omnia, tua semper protectione muniamur. Per Dominum nostrum.

SVPER OBLATA.

SACRIFICIVM nostræ pœnitudinis ieiunantes, Domine, tibi persoluimus obsecrantes, vt eius virtute muniti, semper ad cæleste conuiuium festinemus. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique B gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et te Auctorem & Sanctificatorem ieiunij collaudare, per quod nos liberas a nostrorum debitis peccatorum. Ergo suscipe ieiunantium preces, atque, vt nos a malis omnibus propitiatus eripias, iniquitates nostras, quibus merito affligimur, placatus absolue. Per Christum.

AD COMPLENDVM.

VOTA nostra, quæsumus, Domine, pio fauore prosequere vt, dum dona tua in tribulatione percepimus, de consolatione nostra in tuo amore crescamus. Per Dominum nostrum.

ALIA.

PRAETENDE nobis, Domine, misericordiam tuam, vt, quæ votis expetimus, con- C uersatione tibi placita consequamur. Per.

FERIA III. INFRA HEBDOMADAM.

CONSERVA, quæsumus, Domine, populum tuum, & ab omnibus, quas meretur, aduersitatibus redde securum, vt, tranquillitate percepta, deuota tibi mente deseruiat. Per Dominum nostrum.

ALIA.

AFFLICTIONEM familiæ tuæ, quæsumus, Domine, intende placatus, vt, indulta venia peccatorum, de tuis semper beneficijs gloriemur. Per.

ALIA. D

AB omnibus nos, quæsumus, Domine, peccatis propitiatus absolue, vt, percepta venia peccatorum, liberis tibi mentibus seruiamus. Per Dominum.

ALIA.

PRECIBVS nostris, quæsumus, Domine, aurem tuæ pietatis accommoda, & orationes supplicum, occultorum cognitor benignus exaudi, vt, Te largiente, ad vitam perueniant sempiternam. Per Dominum.

ALIA.

QVAESVMVS, omnipotens Deus, vt qui nostris fatigamur offensis, & merito no- E stræ iniquitatis affligimur, pietatis tuæ gratiam consequi mereamur. Per Dominum.

AD MISSAM.

DEVS, qui nos conspicis in tot perturbationibus non posse subsistere, afflictorum gemitum propitius respice, & mala omnia, quæ meremur, auerte. Per.

SVPER OBLATA.

OFFERENTIVM, quæsumus, Domine, vota multiplica, & omnes veræ credulitatis instrumentis perlustra. Sicq. nobis per hoc sacrificium adesto placatus, vt nos & a peccatis & a periculis omnibus miseratus absoluas. Per Dominum nostrum.

PRAE-

A

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et Maieſtatem tuam ſuppliciter exorare, vt non nos noſtræ malitiæ, ſed indulgentiæ tuæ præueniat ſemper affectus, qui nos a noxijs voluptatibus indeſinenter expediat, & a mundanis cladibus clementer eripiat. Per Chriſtum.

AD COMPLENDVM.

EMVNDA, Domine, conſcientias noſtras fidei catholicæ confeſſione ſincera, & cordis contritione continua, vt ſacris muneribus expiati, ſemper a te exaudiamur e cælis, cum pro noſtris delictis ad te proclamamus e terris. Per Dominum noſtrum.

B

ALIA.

PVRIFICA, quæſumus, Domine, tuorum corda fidelium, vt, a terrena cupiditate mundati, & præſentis vitæ periculis exuantur, & perpetuis donis firmentur. Per.

FERIA IV. INFRA HEBDOMADAM.

EXAVDI, Domine, populum tuum tota tibi mente ſubiectum, vt corpore & mente protectus, quod pie credit, tua gratia conſequatur. Per.

ALIA.

C SVBIECTVM tibi populum, quæſumus, Domine, propitiatio cæleſtis amplificet, & tuis ſemper faciat ſeruire mandatis. Per Dominum noſtrum.

ALIA.

MISERERE iam, quæſumus, Domine, populo tuo, & continuis tribulationibus laborantem celeri propitiatione lætifica. Per Dominum noſtrum.

ALIA.

AVXILIARE, quæſumus, Domine, quærentibus miſericordiam tuam, & da veniam confitentibus: parce ſupplicibus, vt, qui noſtris meritis flagellamur, tua miſeratione ſaluemur. Per Dominum noſtrum.

D

ALIA.

PRAESTA, quæſumus, omnipotens Deus, vt, qui iram tuæ indignationis agnouimus, miſericordiæ tuæ indulgentiam conſequamur. Per.

ORATIONES AD MISSAM.

INTENDE, quæſumus, Domine, preces noſtras, & qui non operando iuſtitiam, correptionem meremur, afflicti in tribulatione, clamantes reſpiremus auditi. Per.

ALIA.

E PRAESTA, quæſumus, omnipotens Pater, vt noſtræ mentis intentio, quo ſollemnitatis venturæ glorioſus auctor ingreſſus eſt, ſemper intendat: &, quo fide pergit, conuerſatione perueniat. Per eundem Dominum noſtrum.

Secreta.

IEIVNANTIVM, Domine, quæſumus, ſupplicum vota propitius intuere: & munera præſentia ſanctificans, perceptione eorum occulta cordis noſtri remedio tuæ clarifica pietatis, vt nec opera carnalia, nec fluxa nos teneant, quos inſtitutor Ieiunij Chriſtus Dominus reparauit. Qui tecum.

ALIA.

SACRIFICIVM, Domine, pro Filij tui, ſupplices venerabili, quam præuenimus,

nunc

nunc Ascensione deferimus: præsta, quæsumus, vt & nos per ipsum his commercijs A
sacrosanctis ad cælestia consurgamus. Per eundem Dominum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Vt quia rui est operis, si quod tibi placitum est, aut cogitemus, aut agamus, tu nobis semper & intelligendi quæ recta sunt, & sequendi tribuas facultatem. Per Christum Dominum nostrum.

AD COMPLENDVM.

FAMILIAE tuæ, quæsumus, Domine, esto protector: & misericordiam tuam concede poscenti, quo tibi semper fiat obediens, & tua dona percipiat. Per. B

ALIA.

TRIBVE, quæsumus, Domine, vt per hæc sacra, quæ sumpsimus, illuc tendat nostræ deuotionis affectus, quo in tuo Vnigenito tecum est nostra substantia. Qui tecum viuit & regnat.

IN ASCENSA DOMINI.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, vt qui hodierna die Vnigenitum tuum Redemptorem nostrum ad cælos ascendisse credimus, ipsi quoque mente in cælestibus habitemus. Per eundem. C

SVPER OBLATA.

SVSCIPE, Domine, munera, quæ pro Filij tui glorioſa Ascensione deferimus, & concede propitius, vt a præsentibus periculis liberemur, & ad vitam perueniamus æternam. Per eundem.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Parer omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Qui post Resurrectionem suam omnibus discipulis suis manifestus apparuit, & ipsis cernentibus est eleuatus in cælum, vt nos diuinitatis suæ tribueret esse participes. Et ideo cum Angelis. D

COMMVNICANTES, & diem sacratissimum celebrantes, quo Dominus noster Vnigenitus Filius tuus vnitam sibi fragilitatis nostræ substantiam in gloriæ tuæ dextera collocauit. Sed & memoriam, &c.

AD COMPLENDVM.

PRAESTA nobis, quæsumus, omnipotens & misericors Deus, vt quæ visibilibus mysterijs sumenda percepimus, inuisibili consequamur effectu. Per Dominum nostrum.

AD VESP.

TRIBVE, quæsumus, omnipotens Deus, vt munere festiuitatis hodiernæ illuc fi- E
liorum tuorum dirigatur intentio, quo in tuo Vnigenito tecum est nostra substantia. Qui tecum viuit & regnat.

ALIA.

ADESTO, Domine, supplicationibus nostris, vt sicut humani generis Saluatorem consedere tecum in tua Maiestate confidimus, ita vsque ad consummationem sæculi manere nobiscum, quemadmodum est pollicitus, sentiamus, Iesum Christum Dominum nostrum. Qui tecum.

ALIA.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, illuc sequi tuorum membra fidelium, quo caput nostrum, principiumq. præcessit IESVS CHRISTVS Dominus noster. Qui tecum viuit, & regnat Deus.

DOMI-

A

DOMINICA I. POST ASCENSAM DOMINI.

DEVS, cuius Filius in alta cælorum potenter aſcendens, captiuitatem noſtram ſua duxit virtute captiuam, tribue quæſumus, vt dona, quæ ſuis participibus contulit, largiatur & nobis Ieſus Chriſtus, *&c.*

SVPER OBLATA.

SACRIFICIA nos, Domine, immaculata purificent, & mentibus noſtris ſupernæ gratiæ dent vigorem. Per.

PRAEFATIO.

B VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſempet, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Patet omnipotens, æterne Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum: Qui generi humano naſcendo ſubuenit, cum per mortem paſſionis mundum deuicit, per gloriam Reſurrectionis vitæ æternæ aditum patefecit, & per ſuam Aſcenſionem ad cælos nobis ſpem aſcendendi donauit. Per quem, Maieſtatem.

AD COMPLENDVM.

REPLETI, Domine, muneribus ſacris, quæſumus, vt in gratiarum actione ſemper maneamus. Per Dominum noſtrum.

ALIA.

C DEVS, vita fidelium, gloria humilium, & beatitudo iuſtorum, propitius reſpice ſupplicum preces, vt animæ, quæ promiſſiones tuas ſitiunt, de tua ſemper abundantia repleantur. Per Dominum noſtrum.

INCIPIVNT ORATIONES DE PENTECOSTE

Die Sabbato ante deſcenſum fontis.

LECTIO LIBRI GENESIS

Noe, cum quingentorum eſſet annorum.

D

DEVS, qui Eccleſiam tuam ſemper gentium vocatione multiplicas, concede propitius, vt quos aqua baptiſmatis abluis, continua protectione tuearis. Per Dominum.

LECTIO LIBRI DEVTERONOMII

Scripſit Moyſes. *Canticum:* Attende cælum.

DEVS, qui nobis per Prophetarum ora præcepiſti, temporalia relinquere atque ad æterna feſtinare, da famulis tuis, vt quæ a te iuſſa cognouimus, implere cæleſti inſpiratione valeamus. Per.

E

LECTIO LIBRI LEVITICI

Cum ingreſſi fuetitis terram, quam ego dabo vobis.

DEVS, qui diuerſitatem omnium Gentium in confeſſione tui nominis adunaſti, da nobis & velle & poſſe quod præcipis, vt, populo ad æternitatem vocato, vna ſit fides mentium & pietas actionum. Per.

LECTIO ISAIAE PROPHETAE

Apprehendent ſeptem mulieres virum vnum. *Canticum:* Vinea.

DEVS, incommutabilis virtus, & lumen æternum, reſpice propitius ad totius Eccleſiæ mirabile ſacramentum, & da famulis tuis, vt hoc, quod deuote agimus, etiam rectitudine vitæ teneamus. Per.

Cantet

Cantet de Psalmo 41. Sicut cervus desiderat. A

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, vt qui sollemnitatem doni Spiritus sancti colimus, cælestibus desiderijs accensi, fontem vitæ sitiamus. Per.

ORATIO AD MISSAM POST DESCENSVM FONTIS.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt claritatis tuæ super nos splendor effulgeat, & lux tuæ lucis corda eorum, qui per gratiam tuam renati sunt, sancti Spiritus illustratione confirmet. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit, & regnat Deus in vnitate eiusdem Spiritus sancti. Per omnia.

B

SVPER OBLATA.

HOSTIAS populi tui, quæsumus, Domine, miseratus intende. Et vt tibi reddantur acceptæ, conscientias nostras sancti Spiritus salutaris emundet aduentus. Per Dominum, &c. in vnitate, &c.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui sacramentum paschale consummans, quibus per Vnigeniti tui consortium filios adoptionis esse tribuisti, per Spiritum sanctum largiris dona gratiarum, & sui coheredibus Redemptoris iam nunc supernæ pignus hereditatis impendis, vt tanto se certius ad eum confidant esse venturos, quanto se sciunt ab eo redemptos, & sancti Spiritus infusione ditatos. Et ideo cum Angelis. C

COMMVNICANTES, & diem sacratissimum Pentecostes præuenientes, quo Spiritus sanctus Apostolis innumeris linguis apparuit. Sed & memoriam, &c.

COMMVNICANTES, & diem sacratissimum Pentecostes celebrantes, quo Spiritus sanctus Apostolis in igneis linguis apparuit. Sed & memoriam, &c.

HANC igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus, pro his quoque, quos regenerare dignatus es ex aqua & Spiritu sancto, tribuens eis remissionem omnium peccatorum. Quæsumus, vt placatus, &c.

D

AD COMPLENDVM.

SANCTI Spiritus, Domine, corda nostra mundet infusio, & sui roris intima asperſione fœcundet, Per Dominum, &c. In vnitate, &c.

ALIA.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt Spiritus sanctus aduenies, Maiestatem nobis Filij tui manifestando clarificet. Per eundem, &c. In vnitate eiusdem, &c.

ALIA.

DEVS, cuius Spiritu totum corpus Ecclesiæ multiplicatur & regitur, conserua in noua familiæ tuæ progenie sanctificationis gratiam, quam dedisti, vt corpore & mente renouati, in vnitate fidei feruentes, tibi Domino seruire mereamur. Per Dominum nostrum, &c. In vnitate eiusdem, &c. E

DIE SANCTO PENTECOSTES.

DEVS, qui hodierna die corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere. Per, &c. In vnitate eiusdem, &c.

Secreta.

MVNERA, Domine, quæsumus, oblata sanctifica, & corda nostra illustratione sancti Spiritus emunda. Per, &c. In vnitate eiusdem, &c.

PRAE-

A

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Qui ascendens super omnes cælos, sedensq. ad dexteram tuam, promissum Spiritum sanctum hodierna die in filios adoptionis effudit. Quapropter profusis gaudijs totus in orbe rertarum mundus exultat. Sed & supernæ virtutes, atque angelicæ potestates hymnum gloriæ tuæ concinunt, sine fine dicentes.

COMMVNICANTES, & diem sacratissimum Pentecostes celebrantes, qno Spitus sanctus Apostolis innumetis linguis apparuit. Sed & memotiam, &c.

Infra.

HANC igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus, pro his quoque, quos regenerare dignatus es ex aqua & Spiritu sancto, tribuens eis remissionem omnium peccatorum. Quæsumus, vt placatus, &c.

B

AD COMPLENDVM.

SANCTI Spiritus, Domine, corda nostra mundet infusio, & sui roris intima aspersione fœcundet. Per.

ALIA.

DEVS, qui sacramento festiuitatis hodiernæ vniuersam Ecclesiam tuam in omni gente & natione sanctificas, in totam mundi latitudinem Spiritus tui dona diffunde. Per.

FERIA II.

C

DEVS, qui Apostolis tuis sanctum dedisti Spiritum, concede plebi tuæ piæ petitionis effectum, vt quibus dedisti fidem, largiaris & pacem. Per.

Secreta.

PROPITIVS, Domine, quæsumus, hæc dona sanctifica, & Hostiæ spiritalis oblatione susceptа, nosmetipsos tibi perfice munus æternum. Per Dominum nostrum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper & vbique gratias agere, Domine sancte, Patet omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum no-
D strum: Qui promissum Spiritum paracletum super discipulos misit, vt in principio nascentis Ecclesiæ cunctis gentibus imbuendis, & Deitatis scientiam inderet, & linguarum diuersitatem in vnius fidei confessione sociaret. Per quem, Maiestatem ruam supplices exoramus, vt cuius celebramus Aduentum, eius multimodæ gratiæ capiamus effectum. Per quem, Maiestatem, &c.

AD COMPLENDVM.

ADESTO, quæsumus, Domine, populo tuo, & quem mysterijs cælestibus imbuisti, ab hostium furore defende. Per.

E

SVPER POPVLVM.

DEVS, qui discipulis tuis Spiritum sanctum paracletum in ignis feruore mittere dignatus es, da populis tuis in vnitate fidei esse feruentes, vt in tua semper dilectione permanentes, & in fide inueniamur stabiles, & in opere efficaces. Per Dominũ.

FERIA III.

ADSIT nobis, Domine, quæsumus, virtus Spiritus sancti, quæ & corda nostra clementer expurget, & ab omnibus tueatur aduersis. Per Dominum, &c.

Secreta.

PVRIFICET nos, quæsumus, Domine, muneris præsentis oblatio, & dignos sacra participatione perficiat. Per Dominum.

PRAE-

PRAEFATIO. A

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Parer omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Qui Spiritus sancti infusione repleuit corda fidelium, vt sua admirabili operatione, & sui amoris in eis ignem accenderet, & per diuersitatem linguarum Gentes in vnitate fidei solidaret: Cuius dono petimus, & illecebrosas a nobis excludi voluptates, & spiritales in nobis extrui plantariq. virtutes. Per quem, Maiestatem.

AD COMPLENDVM.

MENTES nostras, quæsumus, Domine, Spiritus diuinis reparet sacramentis, quia ipse est remissio omnium peccatorum. Per Dominum. B

FERIA IV. MENSIS IV. HOC EST IVNII.

MENTES nostras, quæsumus, Domine, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet, & inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem. Qui tecum viuit & regnat, in vnitate eiusdem, & c.

ALIA.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens & misericors Deus, vt Spiritus sanctus adueniens, templum nos gloriæ suæ dignanter habitando perficiat. Per.

Secreta. C

ACCIPE, quæsumus, Domine, munus oblatum, & dignanter operare, vt quod mysterijs agimus, pijs effectibus celebremus. Per Dominum nostrum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Per quem discipulis Spiritus sanctus in terra datur ob dilectionem proximi, & de cælo mittitur propter dilectionem tui. Cuius infusio, petimus, vt in nobis peccatorum sordes exurat, tui amoris ignem nutriat, & nos ad amorem fraternitatis accendat. Per quem, Maiestatem tuam. D

AD COMPLENDVM.

SVMENTES, Domine, cælestia sacramenta, quæsumus clementiam tuam, vt quod temporaliter gerimus, æternis gaudijs consequamur. Per.

FERIA V.

ILLO nos igne, quæsumus, Domine, Spiritus sanctus inflammet, quem Dominus noster Iesus Christus misit in terram, & voluit vehementer accendi. Qui tecum viuit.

Secreta.

VIRTVTE Spiritus sancti, Domine, munera nostra continge, vt quod sollemnitate præsenti, tuo nomini dedicauit, & intelligibile nobis faciat & æternum. Per Dominum. E

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Per quem pietatem tuam supplicitur petimus, vt Spiritus sanctus corda expurget, & sui luminis irradiatione perlustrer, vt in eo, qui grariarum largitor est, recta sapiamus, & de eius consolatione in perpetuum gaudeamus. Per quem, Maiestatem.

AD COMPLENDVM.

SACRIS cælestibus, Domine, sancto Spiritu operante, vitia nostra purgentur, vt muneribus tuis possimus semper aptari. Per Dominum nostrum.

ALIA.

ALIA.

A PRAESTA, quæsumus, Domine, vt a nostris mentibus carnales amoueat Spiritus sanctus affectus, & spiritalia nobis dona potenter infundat. Per Dominum, &c. in vnitate eiusdem, &c.

FERIA VI. MENSIS IV. HOC EST IVNII,

DA, quæsumus, Ecclesiæ tuæ misericors Deus, vt Spiritu sancto congregata, hostili nullatenus incursione turbetur. Per Dominum nostrum.

Secreta.

B SACRIFICIA, Domine, tuis oblata conspectibus, ille ignis diuinus assumat, qui discipulorum Christi tui per Spiritum sanctum corda succendit. Per eundem Dominum nostrum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et Maiestatem tuam suppliciter exorare, vt Spiritus paracletus ad nos veniat, & nos, inhabitando, templum suæ Maiestatis efficiat: Quod cum Vnigenito Filio tuo clementi respectu semper digneris inuisere, & tuæ inhabitationis fulgore in perpetuum perlustrare. Per quem, Maiestatem.

AD COMPLENDVM.

C SVMPSIMVS, Domine, sacri dona mysterij humiliter deprecantes, vt quæ in tui commemorationem nos facere præcepisti, largiente sancto Spiritu, in nostræ proficiant infirmitatis auxilium. Per Dominum.

ALIA.

DA nobis, quæsumus, Domine per gratiam Spiritus sancti nouam tui Paracleti spiritalis obseruantiæ disciplinam, vt, mentes sacro purificante ieiunio, cunctis reddantur eius muneribus aptiores. Per Dominum, &c. in vnitate eiusdem.

SABBATO IN XII. LECT. MENSIS IV. HOC EST IVNII.

D MENTIBVS nostris, Domine, Spiritum sanctum benignus infunde, cuius & sapientia conditi sumus, & prouidentia gubernamur. Per Dominum nostrum.

ALIA.

ANNVE, misericors Deus, vt, qui diuina præcepta violando a Paradisi felicitate decidimus, ad æternæ beatitudinis, duce Spiritu sancto, redeamus accessum per tuorum custodiam mandatorum. Per, &c. in vnitate eiusdem.

ALIA.

DEVS, qui ad animarum medelam ieiunij deuotione castigari corpora præcepi-
E sti, concede nobis propitius, & mente & corpore semper tibi esse deuotos. Per.

ALIA.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt salutaribus ieiunijs eruditi, ab omnibus etiam vitijs abstinentes, propitiationem tuam facilius impetremus. Per.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, sic nos ab epulis carnalibus abstinere, vt a vitijs irruentibus pariter ieiunemus. Per Dominum nostrum.

AD MISSAM.

DEVS, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium, concede propitius, vt nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum. Per.

Secreta.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui non sacrificiorum ambitione placaris, sed studia piæ deuotionis intendis, da familiæ tuæ Spiritum rectum, & habere cor mundum, vt fides eorum hæc dona tibi conciliet, & humilitas oblata commendet. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et tuam omnipotentiam deuotis precibus implorare, vt nos Spiritus tui lumen infundat, cuius nos sapientia creat, pietas recreat, & prouidentia gubernat. Qui, cum a tua substantia nullo modo sit diuersus, sed Tibi & Vnigenito tuo consubstantialis & coæternus, diuersitate tamen donorum replet tuorum corda fidelium. Et ideo cum Angelis.

AD COMPLENDVM.

PRAEBEANT nobis, Domine, diuinum tua sancta feruorem, quo eorum pariter & actu delectemur & fructu. Per.

DOMINICA IN NOCTE PENTECOSTES

AD MISSAM.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis, in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia Maiestatis adorare Vnitatem, quæsumus, vt eiusdem fidei firmitate, ab omnibus semper muniamur aduersis. Per Dominum nostrum.

Secreta.

SANCTIFICA, quæsumus, Deus noster, per Vnigeniti tui virtutem, huius oblationis Hostiam, & cooperante Spiritu sancto, per eam nosmetipsos tibi perfice munus æternum. Per eundem, *&c.* In vnitate eiusdem, *&c.*

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui cum Vnigenito Filio tuo & Spiritu sancto vnus es Deus, vnus es Dominus: non in vnius singularitate personæ, sed in vnius Trinitate substantiæ. Quòd enim de tua gloria, reuelante Te, credimus, hoc de Filio tuo, hoc de Spiritu sancto sine differentia discretionis sentimus: Vt in confessione veræ, sempiternæq. Deitatis, & in personis proprietas, & in essentia Vnitas, & in Maiestate adoretur æqualitas. Quem laudant Angeli.

AD COMPLENDVM.

PROFICIAT nobis ad salutem corporis & animæ, Domine, quæsumus, huius sacramenti perceptio, & sempiterna sanctæ Trinitatis, eiusdemq. indiuiduæ vnitatis confessio. Per, &c.

ALIA.

DOMINE Deus, Pater omnipotens, famulos tuæ Maiestati subiectos per vnicum Filium tuum in virtute sancti Spiritus benedic & protege, vt ab omni hoste securi, in tua iugiter laude lætemur. Per eundem.

IV. NONAS IVNII NAT. SS. MARCELLINI, ET PETRI.

DEVS, qui nos annua Beatorum Martyrum tuorum Marcellini & Petri sollemnitate lætificas, præsta quæsumus, vt quorum gaudemus meritis, prouocemur exemplis. Per.

Secre-

A *Secreta.*

VOTIVA, Domine, munera deferentes, in tuorum Marcellini & Petri Martyrum passione tuam magnificentiam veneramur, & per eam nobis imploramus tuæ pietatis auxilium. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique grarias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Apud quem semper est præclara vita sanctorum, quorum nos pretiosa mors lætificat & tuetur. Quapropter, Martyrum tuorum Marcellini & Petri glorioſa recensentes natalitia, laudes tibi referimus: & magnificentiam tuam supplices exoramus, vt quorum sumus martyria venerantes, Beatitudinis mereamur esse consortes. Per Christum Dominum nostrum.

B

AD COMPLENDVM.

REFICE nos mannæ spiritalis alimento, opulentissime largitor, omnipotens Deus, vt intercedentibus Beatis Martyribus tuis, Petro & Marcellino, in sensu manuum tuarum directi, mereamur in monte acquisito tua dextera gloriari. Per.

SVPER POPVLVM.

INTERCEDENTIBVS Sanctis tuis, Domine, Marcellino & Petro, plebi tuæ præsta subsidium, vt ab omnibus noxijs expedita, cuncta sibi profutura percipiat. Per Dominum nostrum.

C

V. IDVS IVNII NAT. SS. PRIMI ET FELICIANI.

FAC nos, Domine, quæsumus, Hostijs Sanctorum tuorum Primi & Feliciani semper festa sectari, quorum suffragijs, protectionis tuæ dona sentiamus. Per.

Secreta.

FIAT, Domine, quæsumus, Hostia sacramenti placabilis, pretiosi celebritate martyrij, quæ & peccata nostra purificet, & tuorum tibi vota conciliet famulorum. Per Dominum.

AD COMPLENDVM.

QVAESVMVS, omnipotens Deus, vt Sanctorum tuorum cælestibus mysterijs celebrata sollemnitas, indulgentiam nobis tuæ propitiationis acquirat. Per.

D

PRIDIE IDVS IVNII NAT. SS. BASILIDIS, CYRINI, NABORIS, ET NAZARII.

SANCTORVM Basilidis, Cyrini, Naboris, & Nazarij, quæsumus, Domine, natalitia nobis votiua resplendeant, & quod illis contulit excellentia sempiterna, fructibus nostræ deuotionis accrescat. Per.

Secreta.

PRO sanctorum Basilidis, Cyrini, Naboris, & Nazarij sanguine venerando, Hostias tibi, Domine, sollemniter immolamus, tua mirabilia pertractantes: per quem talis est perfecta victoria. Per.

E

AD COMPLENDVM.

SEMPER, Domine, Sanctorum Martyrum Basilidis, Cyrini, Naboris, & Nazarij sollemnia celebremus, vt eorum patrocinia iugiter sentiamus. Per.

XIV. KALENDAS IVLII NAT. SS. MARCI ET MARCELLIANI.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt, qui sanctorum tuorum Marci & Marcelliani natalitia colimus, a cunctis malis imminentibus eorum intercessione liberemur. Per.

Secreta. A

SVSCIPE, Domine, munera tuorum populorum votiua, & Sanctorum Marci & Marcelliani tibi precibus esse grata, concede, pro quorum sollemnitatibus offeruntur. Per.

AD COMPLENDVM.

INVOCANTES nomen tuum, Domine, deprecamur, vt qui patres nostros, virtute tui nominis præeunte, angelicis pastibus refeciſti, nos quoque intercessione Beatorum Martyrum tuorum Marci & Marcelliani mysticis dapibus foueas ac reformes. Per Dominum nostrum.

DENVNCIATIO IEIVNIORVM PRIMI QVARTI SEPTIMI ET DECIMI MENSIS. B

ANNIVERSARIAM, fratres chariſſimi, ieiunij puritatem, qua & corporis acquiritur & animæ sanctitas, nos commonet mensis *Ill.* instaurata deuotio: Quarta igitur & sexta feria solliciro conuenientes occursu, offeramus Deo spiritale ieiunium. Die vero Sabbati, apud Beatum Petrum, cuius nos intercessionibus credimus adiuuandos, sanctas vigilias Christiana pietate celebremus, vt per hanc institutionem salutiferam, peccatorum sordes, quas corporum fragilitate contrahimus, ieiunijs & eleemosynis abluamus, auxiliante Domino nostro Ieſu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum.

ALIA. C

MENSIS *Ill.* ieiunia in hac hebdomada nobis sunt tenenda: Ideoq. hortamur sanctam fidem vestram, vt quarta, sexta, & septima feria ieiunemus, quatenus diuinis inhærendo mandatis, propitiarionem Dei nostri perseuerantia debitæ seruitutis obtineat, auxiliante Domino nostro Ieſu Christo.

FERIA IV. MENSIS SEPTIMI HOC EST SEPTEMBRIS.

OMNIPOTENS, & misericors Deus, apta nos tuæ propitius volunrati, quo, sicut eius prætereuntes tramitem deuiamus, sic integro tenore dirigamur, ad illius temper ordinem recurrentes. Per Dominum nostrum. D

ALIA.

DA nobis mentem, Domine, quæ tibi sit placita: quia talibus iugiter quidquid est prosperum miniſtrabis. Per Dominum nostrum.

Secreta.

SOLLEMNIBVS ieiunijs expiatos tuo nos, Domine, mysterio congruentes, hoc sacro munere effice, quia tanto nobis salubrius aderis, quanto id deuotius sumpserimus. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, *&c.* æterne Deus, *&c.* Quia post illos lætitiæ dies, quos in honore Domini a mortuis resurgentis, & in cælos ascendentis exegimus, postquam perceptum sancti Spiritus donum, necessario nobis ieiunia sancta prouisa sunt, vt pura conuersatione viuentibus, quæ diuinitus sunt Ecclesiæ collata permaneant. Per Christum. E

AD COMPLENDVM.

EXPVRGATOS nos, Domine, quæsumus, ab omni cibo malitiæ, in nouam conuerte prosapiam, vt tua gratia, & cælesti pane ac poculo saginati, mereamur in æternitatis tuæ saturari conuiuio. Per Dominum nostrum.

ALIA.

CONCEDE, quæsumus, Domine, populo tuo veniam peccatorum, vt quod meritis non præsumit, indulgentiæ tuæ celeri largitate percipiat.

FERIA

A

FERIA VI.

VT nobis, Domine, terrenarum frugum tribuas vbertatem, fac mentes noſtras cæleſti fertilitate fœcundas. Per Dominum noſtrum.

Secreta.

VT accepta tibi ſint, Domine, noſtra ieiunia, præſta nobis, quæſumus, huius munere ſacramenti purificarum tibi pectus offerre. Per Dominum noſtrum.

AD COMPLENDVM.

ANNVE, quæſumus, omnipotens Deus, vt, qui ſacramentum tuorum geſta recolimus, & temporali ſecuritate releuemur, & erudiamur legalibus inſtitutis. Per Dominum.

B SVPER POPVLVM.

FIDELI populo, Domine, miſericordiam tuam placatus impende, & præſidia corporis copioſa tribue ſupplicanti. Per Dominum.

SABBATO IN XII. LECT. MENSIS SEPTEMBRIS.

PRAESTA, Domine, quæſumus, tales nos fieri tuæ gratiæ largitate, vt bona tua & fiducialiter impetremus, & ſine difficultate ſumamus. Per.

ALIA.

C DA nobis, Domine, regnum tuum, iuſtitiamq. ſemper inquirere, vt quibus indigere nos percipis, clementer facias abundare. Per.

ALIA.

DEVS, qui nos de præſentibus adiumentis eſſe vetuiſti ſollicitos, tribue quæſumus, vt pie ſectantibus, quæ tua ſunt, vniuerſa nobis ſalutaria condonentur. Per.

ALIA.

DEVS, qui miſericordia tua præuenis non petentes, da nobis, Maieſtatem tuam iugiter deprecandi affectum, vt pietate perpetua ſupplicibus potiora dependas.
D Per Dominum noſtrum.

ALIA.

DEVS, qui non deſpicis corde contritos & afflictos miſerijs, populum tuum ieiunij ad te deuotione clamantem propitius exaudi, vt quos humiliauit aduerſitas, attollat reparationis tuæ proſperitas. Per.

AD MISSAM.

DEVS, qui tres pueros de camino ignis, non ſolum illæſos, ſed etiam tuis laudibus conclamantes liberaſti, quæſumus, vt nos peccatorum nexibus obuolutos velut
E de voragine ignis eripias, vt criminum flammas, operumq. carnalium incendia ſuperantes, hymnum tibi debitum iure meritoq. reddamus. Per.

SVPER OBLATA.

DOMINE Deus noſter, qui in his potius creaturis, quas ad fragilitatis noſtræ præſidium condidiſti, tuo quoque nomini munera iuſſiſti dicanda conſtitui, tribue, quæſumus, vt & vitæ nobis præſentis auxilium, & æternitatis efficiant ſacramentum. Per.

AD COMPLENDVM.

SVMPTVM, quæſumus, Domine, venerabile ſacramentum, & præſentis vitæ ſubſidijs nos foueat & æternæ. Per.

SVPER POPVLVM. A

PROFICIAT, Domine, quæsumus, plebs tibi dicata piæ deuotionis affectu, vt sacris actibus etudita, quanto Maiestati tuæ fit gratior, tanto donis potioribus augeatur. Per.

XIII. KALENDAS IVLII
NAT. SS. GERVASII, ET PROTASII.

SANCTORVM Martyrum, nos, Domine, Geruasij & Protasij confessio beata communiat, & fragilitati nostræ subsidium dignanter exoret. Per Dominum nostrū. B

Secreta.

CONCEDE nobis, omnipotens Deus, vt his muneribus, quæ pro sanctorum Martyrum Geruasij & Protasij honore deferimus, & tibi placeamus exhibitis, & nos viuificemur acceptis. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Pro cuius nominis confessione Beati Martyres, Geruasius & Protasius passi, in cælesti regione æternis perfruuntur gaudijs, & pro eorum sollemni recordatione, Ecclesia religiosis exultat officijs. Per quem, Maiestatem tuam, &c. C

AD COMPLENDVM.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, vt mysteriorum virtute sanctorum, & intercessione Beatorum Geruasij & Protasij, Martyrum tuorum, vita nostra fulciatur. Per.

IX. KALENDAS IVLII
VIGILIA S. IOANNIS BAPTISTAE.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt familia tua per viam salutis incedat, & Beati Ioannis Præcursoris hortamenta sectando, ad eum, quem prædixit, secura perueniat. Per Dominum nostrum. D

Secreta.

MVNERA, Domine, oblata sanctifica, & intercedente Beato Ioanne Baptista, nos per hæc a peccatorum nostrorum maculis emunda. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Exhibentes sollemne ieiunium, quo Beati Ioannis Baptistæ natalitia præuenimus. Cuius genitor, dum dubitat eum nasciturum, sermonis amisit officium: & eo nascente & sermonis vsum, & prophetiæ suscepit donum: Cuiusq. genitrix senio confecta, sterilitate mulctata, in eius conceptu non solum sterilitatem amisit, foecunditatem acquisiuit, sed etiam Spiritum E sanctum, quo Matrem Domini & Saluatoris agnosceret, accepit. Per quem, Maiestatem, &c.

AD COMPLENDVM.

BEATI Ioannis Baptistæ, nos, Domine, præclara comitetur oratio, & quem venturum esse prædixit, poscat nobis fauere placatum, Dominum nostrum.

AD VESP.

PRAESTA, quæsumus, Domine, vt populus tuus ad plenæ deuotionis effectum Beati Ioannis Baptistæ natalitijs præparetur, quem præmisisti Filio tuo parare plebem perfectam, Iesu Christo Domino nostro. Qui tecum.

AD

A AD MATVT.

BEATI, nos, Domine, Ioannis oratio, & intelligere Christi tui mysterium postulet & mereri. Per eundem, &c.

VIII. KALENDAS IVLII
NAT. S. IOANNIS BAPTISTAE.

DEVS, qui præsentem diem honorabilem nobis in Beati Ioannis natiuitate fecisti, da populis tuis spiritalium gratiam gaudiorum, & omnium fidelium mentes dirige in viam salutis æternæ. Per.

Secreta.

B TVA, Domine, muneribus altaria cumulamus, illius natiuitatem honore debito celebrantes, qui Saluatorem mundi & cecinit adfuturum, & adesse monstrauit, Dominum nostrum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, &c. æterne Deus: Et in die festiuitatis hodiernæ, qua Beatus Ioannes exortus est, tuam magnificentiam collaudare: Qui vocem matris Domini nondum editus sensit, & adhuc clausus vtero, aduentum salutis humanæ prophetica exultatione significauit. Qui & genitricis sterilitatem conceptus abstulit, & patris linguam natus absoluit: solusq. omnium Prophetarum, Redemptorem mundi, quem prænunciauit, ostendit. Et vt sacræ Purificationis effectum aquarum natura conciperet, sanctificandis Iordanis fluentis ipsum baptismo baptismatis lauit Auctorem. Et
C ideo cum Angelis.

AD COMPLENDVM.

SVMAT Ecclesia tua, Deus, Beati Ioannis Baptistæ generatione lætitiam, per quem suæ regenerationis cognouit Auctorem, Dominum nostrum, &c. Qui tecum viuit.

AD VESP.

OMNIPOTENS, & misericors Deus, qui Beatum Ioannem Baptistam tua prouidentia destinasti, vt perfectam plebem Christo Domino præpararet, da, quæsumus, vt familia tua huius intercessione præconis & a peccatis omnibus exuatur, & ad eum, quem prophetauit, peruenire mereatur, Dominum, &c.

ALIA.

D OMNIPOTENS sempiterne Deus, da cordibus nostris illam tuarum rectitudinem semitarum, quam Beati Ioannis Baptistæ in deserto vox clamantis edocuit. Per Dominum nostrum.

ALIA.

DEVS, qui conspicis, quia nos vndique mala nostra contristant, per Præcursorem gaudij corda nostra lætifica. Per Dominum nostrum.

ALIA.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, intra sanctæ Ecclesiæ tuæ vterum constitutos, eo nos Spiritu ab iniquitate nostra iustificari, quo Beatum Ioannem intra viscera materna docuisti. Per Dominum nostrum, &c. In vnitate eiusdem, &c.

E ALIA.

DEVS, qui nos annua Beati Ioannis Baptistæ sollemnia frequentare concedis, præsta, quæsumus, vt & deuotis eadem mentibus celebremus, & eius patrocinio promerente plene capiamus securitatis augmentum. Per.

VI. KALENDAS IVLII
NAT. SS. IOANNIS ET PAVLI MARTYRVM.

QVAESVMVS, omnipotens Deus, vt nos geminata lætitia hodiernæ festiuitatis excipiat, quæ de Beatorum Ioannis & Pauli glorificatione procedit, quos eadem fides & passio vere fecit esse germanos. Per.

Secre-

Secreta. A

HOSTIAS altaribus tuis, Domine, placationis imponimus, potentiam tuam in Sanctorum passionibus honorando, & per eos nobis implorando veniam peccatorum. Per Dominum nostrum ⌣.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique ⌣ gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Pro cuius amore glorioſi Martyres, Ioannes & Paulus, martyrium non sunt cunctati subire: quos in nascendi lege iunxit germanitas: in gremio matris Ecclesiæ, fidei vnitas: in passionis acerbitate ferenda, vnius amoris societas. Per quem nos petimus eorum precibus adiuuari, quorum festa noscimus venerari. Per quem, Maiestatem ⌣, &c. B

AD COMPLENDVM.

SVMPSIMVS, Domine, sanctorum tuorum Ioannis & Pauli sollemnia celebrantes, cælestia sacramenta: præsta quæsumus, vt quod temporaliter gerimus, æternis gaudijs consequamur. Per Christum Dominum, &c.

IV. KALENDAS IVLII
NAT. S. LEONIS PAPAE.

DEVS, qui Beatum Leonem Pontificem Sanctorum tuorum meritis coæquasti; concede propitius, vt qui commemorationis eius festa percolimus, vitæ quoque imitemur exempla. Per Dominum ⌣. C

Secreta.

ANNVE nobis, Domine, vt animæ famuli tui Leonis hæc prosit oblatio, quam immolando totus mundi tribuisti relaxari delicta. Per ⌣.

AD COMPLENDVM.

DEVS, qui animæ famuli tui Leonis æternæ beatitudinis præmia contulisti, concede propitius, vt qui peccatorum nostrorum pondere premimur, eius apud te precibus subleuemur. Per ⌣.

EODEM DIE VIGILIA APOSTOLORVM PETRI, ET PAVLI. D

DEVS, qui nobis Apostolorum Beatorum, Petri & Pauli natalitia glorioſa præire concedis, tribue quæsumus, eorum nos semper & beneficijs præuenire, & orationibus adiuuari. Per ⌣.

Secreta.

MVNERA, Domine, tuæ glorificationis offerimus, quæ tibi pro nostris grata ⌣ ieiunijs, sanctorum Apostolorum, quæsumus, deprecatio, quorum sollemnia præuenimus, efficiat. Per ⌣.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique ⌣ gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Apud quem cum Beatorum Apostolorum continuata festiuitas, triumphiq. cælestis perpetua, & æterna ⌣ sit celebritas, nobis tamen eorum festa, annuis recursibus tribuis frequentare, vt & illorum passioni sit veneratio ex nostra deuotione, & nobis auxilium proueniat de eorum sanctissima intercessione. Per Christum ⌣. E

AD COMPLENDVM.

SVMPTIS, Domine, remedijs sempiternis, tuorum mundentur corda fidelium, vt Apostolorum Petri & Pauli natalis insignia, quæ corporalibus officijs exequuntur, pia cordis intelligentia comprehendant. Per ⌣.

ALIA.

DEVS, qui ligandi, soluendiq. licentiam tuis Apostolis contulisti, da, quæsumus, vt per

A vt per ipſos æternis vitijs expediti, liberi poſſimus cæleſtibus intereſſe myſterijs. Per Dominum.

AD VESP.

APOSTOLICIS nos, Domine, quæſumus, Beatorum Petri & Pauli attolle præſidijs, vt quanto fragiliores ſumus, tanto validioribus auxilijs foueamur. Per.

AD MATVT.

DEVS, qui Eccleſiam tuam Apoſtoli tui Petri fide & nomine conſecraſti; quiq. Beatum illi Paulum ad prædicandum Gentibus gloriam tuam ſociare dignatus es, concede, vt omnes, qui ad Apoſtolorum tuorum ſollemnia conuenerunt, ſpiritali remuneratione ditentur.

B

III. KALENDAS IVLII
NAT. SS. PETRI ET PAVLI

AD MISSAM.

DEVS, qui hodiernum diem Apoſtolorum tuorum Petri & Pauli martyrio conſecraſti, da Eccleſiæ tuæ, eorum in omnibus ſequi præceptum, per quos religionis ſumpſit exordium. Per Dominum noſtrum.

Secreta.

HOSTIAS, Domine, quas nomini tuo ſacrandas offerimus, Apoſtolica proſequatur oratio, per quam nos expiari tribuas & defendi. Per.

C

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et te ſuppliciter exorare, vt gregem tuum paſtor æterne non deſeras, ſed per Beatos Apoſtolos tuos continua protectione cuſtodias, vt ijſdem rectoribus gubernetur, quos operis tui Vicarios, eidem contuliſti præeſſe Paſtores. Et ideo cum Angelis & Archangelis.

AD COMPLENDVM.

QVOS cæleſti, Domine, alimento ſatiaſti, Apoſtolicis interceſſionibus ab omni
D aduerſitate cuſtodi. Per.

ALIA.

FAMILIAM tuam, quæſumus, Domine, propitius intuere, & Apoſtolicis defende præſidijs, vt eorum precibus gubernetur, quibus nititur, Te conſtituente, Principibus. Per.

ALIA.

DEVS, qui Apoſtolo tuo Petro, collatis clauibus regni cæleſtis, ligandi atque ſoluendi Pontificium tradidiſti, concede, vt intercessionis eius auxilio, a peccatorum noſtrorum nexibus liberemur. Per Dominum noſtrum.

E

ALIA.

OMNIPOTENS ſempiterne Deus, qui Eccleſiam tuam Apoſtolica ſoliditate fundatam, ab infernarum eruis terrore portarum, præſta, vt in tua veritate perſiſtens, nulla recipiat conſortia perfidorum. Per.

ALIA.

EXAVDI nos, Deus, ſalutaris noſter, & Apoſtolorum tuorum nos tuere præſidijs, quorum donaſti fideles eſſe doctrinis. Per.

ALIA.

ESTO, Domine, plebi tuæ ſanctificator & cuſtos, vt Apoſtolicis munita præſidijs, & conuerſatione tibi placeat, & ſecura deſeruiat. Per.

II. KA-

A

PRIDIE KALENDAS IVLII
Nat. S. Pavli Apostoli.

Devs, qui multitudinem Gentium Beati Pauli Apostoli prædicatione docuisti: da nobis, quæsumus, vt cuius natalitia colimus, eius apud te patrocinia sentiamus. Per.

Secreta.

Ecclesiae tuæ, quæsumus, Domine, preces & Hostias Apostolica commendet oratio, vt quod pro illorum gloria celebramus, nobis prosit ad veniam. Per.

B

Præfatio & benedictio, quæ est superius.

Ad Complendvm.

Perceptis, Domine, sacramentis, Beatis Apostolis interuenientibus, deprecamur, vt quæ pro illorum celebrata sunt gloria, nobis proficiant ad medelam. Per Dominum nostrum.

Svper Popvlvm.

Praesta, quæsumus, omnipotens Deus, vt nullis nos permittas perturbationibus concuti, quos in Apostolicæ confessionis petra solidasti. Per.

VI. NONAS IVLII NAT. SS.
Processi Et Martiniani.

C

Devs, qui nos sanctorum tuorum Processi & Martiniani confessionibus gloriosis circumdas & protegis, da nobis, & eorum imitatione proficere, & intercessione gaudere. Per Dominum nostrum.

Secreta.

Svscipe, Domine, preces & munera, quæ, vt tuo sint digna conspectui, Sanctorum tuorum precibus adiuuemur. Per.

Ad Complendvm.

Corporis sacri, & pretiosi sanguinis repleti libamine, quæsumus, Domine Deus noster, vt quod pia deuotione gerimus, certa redemptione capiamus. Per.

D

PRIDIE NONAS IVLII OCTAVA
Apostolorvm Petri Et Pavli.

Devs, cuius dextera Beatum Petrum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit, & Coapostolum eius Paulum tertio naufragantem de profundo pelagi liberauit, exaudi nos propitius, & concede, vt amborum meritis, æternitatis gloriam consequamur. Per Dominum nostrum.

Secreta.

E

Hostias, quæsumus, Domine, suscipe placatus oblatas, quæ meritis Apostolorum tuorum Petri & Pauli, Te significante, nobis efficiantur salutares. Per.

Ad Complendvm.

Beatorvm Apostolorum ruorum, Domine, Petri & Pauli desiderata sollemnia recensentes, præsta quæsumus, vt eorum supplicationibus muniamur, quorum regimur principatu. Per.

Ad Vesp.

Protege, Domine, populum tuum, & Apostolorum tuorum patrocinio confidentem perpetua defensione conserua. Per.

A

VI. IDVS IVLII NAT. SEPTEM FRATRVM.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt qui glorioſos Martyres fortes in ſua confeſſione cognouimus, pios apud te in noſtra interceſſione ſentiamus. Per Dominum.

Secreta.

SACRIFICIIS præſentibus, Domine, quæsumus, intende placatus, & intercedentibus ſanctis tuis, deuotioni noſtræ proficiant, & ſaluti. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus; donari nobis ſupplices exorantes, vt ſicut Sancti tui mundum in tua virtute vicerunt, ita nos a mundanis erroribus poſtulent expediri. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

B

AD COMPLENDVM.

QVAESVMVS, omnipotens Deus, vt illius ſalutaris capiamus effectum, cuius per hæc myſteria pignus accipimus. Per Dominum noſtrum.

VIII. KALENDAS AVGVSTI
NAT. S. IACOBI APOSTOLI.

ESTO, Domine, propitius plebi tuæ ſanctificator & cuſtos, vt Apoſtoli tui Iacobi munita præſidijs, & conuerſatione tibi placeat, & ſecura tibi deſeruiat. Per.

C

Secreta.

OBLATIONES populi tui, Domine, quæsumus, Beati Apoſtoli tui Iacobi paſſio beata conciliet, & quæ noſtris non apta ſunt meritis, fiant tibi placita eius deprecatione. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Quia licet nobis ſemper ſalutem operetur diuini celebratio ſacramenti, propenſius tamen nobis confidimus proſututam, ſi Beati Apoſtoli tui Iacobi interceſſionibus adiuuemur. Per Chriſtū.

D

AD COMPLENDVM.

BEATI Apoſtoli tui Iacobi, cuius hodie feſtiuitate, corpore & ſanguine Filij tui nos refeciſti, quæsumus, Domine, interceſſione adiuua, pro cuius ſollemnitate percepimus tua dona, lætantes. Per eundem.

ALIA.

SOLLEMNITATIS Apoſtolicæ multiplicatione gaudentes, clementiam tuam deprecamur, omnipotens Deus, vt tribuas iugiter nos eorum & confeſſione benedici, & patrocinijs confoueri. Per.

E

IV. KALENDAS AVGVSTI
NAT. SANCTI FELICIS.

INFIRMITATEM noſtram, Domine, reſpice omnipotens Deus: Et quia pondus propriæ actionis grauat, Beati Felicis Martyris tui atque Pontificis interceſſio glorioſa nos protegat. Per Dominum noſtrum.

Secreta.

HOSTIAS tibi, Domine, pro commemoratione Sancti Felicis offerimus, quem a tui corporis vnitate nulla tentatio ſeparauit. Per.

AD

AD COMPLENDVM. A

SPIRITVM nobis, Domine, tuæ charitaris infunde, vt quos vno pane cæleſti ſatiaſti, intercedente Beato Felice Martyre tuo, tua facias pierate concordes. Per.

III. KALENDAS AVGVSTI
NAT. SS. ABDON, ET SENNEN.

DEVS, qui ſanctis tuis Abdon & Sennen ad hanc gloriam veniendi copioſum munus gratiæ contuliſti, da famulis tuis ſuorum veniam peccatorum, vt, Sanctorum tuorum intercedentibus meritis, ab omnibus mereamur aduerſitatibus liberari. Per Dominum noſtrum.

Secreta. B

MVNERA tibi, Domine, pro ſanctorum Martyrum Abdon & Sennen paſſione deferimus, qui dum finiuntur in terris, facti ſunt cæleſti luce perpetui, humiliter poſtulantes, vt eorum ſemper meritis muniamur. Per.

PRÆFATIO.

VERE dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et te laudare mirabilem Dominum in ſanctis tuis, quos ante conſtitutionem mundi, in æternam tibi gloriam præparaſti, vt per eos huic mundo veritatis tuæ lumen oſtenderes: Quos ita ſpiritu veritatis armaſti, vt formidinem mortis per infirmitatem carnis euincerent. De quorum Collegio ſunt Martyres tui Abdon, & Sennen, qui in Eccleſiæ tuæ prato, ſicut roſæ & lilia floruerunt: Quos Vnigeniti tui ſanguis in prælio confeſſionis, roſeo colore perfudit: & ob præmium paſſionis, niueo liliorum ſplendore veſtiuit. Per quem, Maieſtatem. C

AD COMPLENDVM.

POPVLVM tuum, Domine, perpetua munitione defende, nec difficulter, quod pie & iuſte poſtular, conſequatur, cui Sanctorum tuorum merita ſuffragantur. Per.

KALENDIS AVGVSTI
AD SANCTVM PETRVM AD VINCVLA. D

DEVS, qui Beatum Petrum Apoſtolum a vinculis abſolutum, illæſum abire feciſti, noſtrorum, quæſumus, abſolue vincula peccatorum, & omnia mala a nobis propitiarus exclude. Per.

Secreta.

SVSCIPE, Domine, Hoſtiam redemptionis humanæ, interueniente Beato Petro Apoſtolo tuo, & ſalutem nobis mentis & corporis operare placatus. Per.

AD COMPLENDVM.

CORPORIS ſacri, & pretioſi ſanguinis repleti libamine, quæſumus, Domine Deus noſter, vt quod pia deuotione gerimus, intercedente Beato Petro Apoſtolo tuo, certa redemptione capiamus. Per. E

IV. NONAS AVGVSTI NAT.
S. STEPHANI EPISCOPI ET MARTYRIS.

DEVS, qui nos Beati Stephani Martyris tui atque Pontificis annua ſollemnitate lætificas, concede propitius, vt, cuius natalitia colimus, de eiuſdem etiam protectione gaudeamus. Per Dominum noſtrum.

Secreta.

MVNERA tibi, Domine, dicata ſanctifica: &, intercedente Beato Stephano Martyre tuo atque Pontifice, per eadem nos placatus intende. Per Dominum noſtrum.

AD

AD COMPLENDVM.

A HAEC nos communio, Domine, purget a crimine: & intercedente Beato Stephano Martyre tuo atque Pontifice, cæleſtis remedij faciat eſſe conſortes. Per.

VIII. IDVS AVGVSTI
NAT. S. XIXTI EPISCOPI ET MARTYRIS.

DEVS, qui conſpicis, quia ex nulla noſtra virtute ſubſiſtimus, concede propitius, vt, interceſſione Beati Xixti Martyris tui atque Pontificis, contra omnia aduerſa muniamur. Per.

Secreta.

SVSCIPE, Domine, munera propitiatus oblata, quæ Maieſtati tuæ Beatus Xixtus Sacerdos commendet & Martyr. Per.

B

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et in die feſtiuitatis hodiernæ, qua Beatus Xixtus pariter Sacerdos & Martyr, deuotum tibi ſanguinem exultanter effudit: Qui ad eandem gloriam promerendam, doctrinæ ſuæ filios incitauit, & quos erudiebat hortatu, præueniebat exemplo. Per Chriſtum.

Infra actionem.

INTRA quorum nos conſortium, non æſtimator meriti, ſed veniæ, quæſumus, largitor admitte. Per Chriſtum.

C

BENEDICTIO VVÆ.

BENEDIC, Domine, & hos fructus nouos vuæ, quos tu, Domine, rore cæli, & innundantia pluuiarum, & temporum ſerenitate atque tranquillitate, ad maturitatem perducere dignatus es, & dediſti eos ad vſus noſtros, cum gratiarum actione percipere, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Per quem hæc omnia, &c.

AD COMPLENDVM.

D PRAESTA, quæſumus, Domine Deus noſter, vt cuius nobis feſtiuitate votiua ſunt ſacramenta, eius ſalutaria nobis interceſſione reddantur. Per.

EODEM DIE NAT. SS. FELICISSIMI ET AGAPITI.

DEVS, qui nos concedis Sanctorum Martyrum tuorum, Feliciſſimi & Agapiti natalitia colere, da nobis in æterna lætitia de eorum ſocietate gaudere. Per.

Secreta.

MVNERA tibi, Domine, noſtræ deuotionis offerimus, quæ & pro tuorum tibi grata ſunt honore iuſtorum, & nobis ſalutaria, Te miſerante, reddantur. Per Dominum noſtrum.

E

AD COMPLENDVM.

PRAESTA nobis, Domine, quæſumus, intercedentibus Sanctis tuis, Feliciſſimo & Agapito, vt, quæ ore contingimus, pura mente capiamus. Per.

VI. IDVS AVGVSTI NAT.
SANCTI CYRIACI MARTYRIS.

DEVS, qui nos annua Beati Cyriaci Martyris tui ſollemnitate lætificas, concede propitius, vt, cuius natalitia colimus, virtutem quoque paſſionis imitemur. Per Dominum noſtrum.

Secreta.

SVSCIPE, Domine, sacrificium placationis & laudis: quod nos, interueniente A Sancto tuo Cyriaco, & perducat ad veniam, & in perpetua gratiarum constituat actione. Per.

AD COMPLENDVM.

QVAESVMVS, Domine Deus noster, vt, interueniente Beato Cyriaco Martyre tuo, sacrosancta mysteria, quæ sumpsimus, actu subsequamur & sensu. Per.

V. IDVS AVGVSTI VIGILIA SANCTI LAVRENTII MARTYRIS.

ADESTO, Domine, supplicationibus nostris: &, intercessione Beati Laurentij B Martyris tui, perpetuam nobis misericordiam impende. Per Dominum nostrum.

Secreta.

HOSTIAS, Domine, quas tibi offerimus, propitius suscipe: &, intercedente Beato Laurentio Martyre tuo, vincula peccatorum nostrorum absolue. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et deuotis mentibus natale Beati Martyris tui Laurentij præuenire: qui Leuita simul Martyrq. venerandus, & proprio claruit glorioſus officio, & memorandæ passionis refulsit Martyrio. Per Christum.

AD COMPLENDVM. C

DA, quæsumus, Deus noster, vt sicut Beati Laurentij Martyris tui commemoratione temporali gratulamur officio, ita perpetuo lætemur aspectu. Per.

ALIA.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, vt triumphum Beati Laurentij Martyris tui, quem despectis ignibus consummauit in terris, perpetua cælorum luce conspicuum, digno feruore fidei veneremur. Per Dominum nostrum.

AD VESP.

DEVS, mundi Creator & Rector, qui hunc diem in Beati leuitæ tui Laurentij martyrio consecrasti, concede propitius, vt omnes, qui martyrij eius merita venera- D mur, intercessionibus eius ab æternis gehennæ incendijs liberemur. Per.

IV. IDVS AVGVSTI NAT. S. LAVRENTII.

DA nobis, quæsumus, omnipotens Deus, vitiorum nostrorum flammas extinguere, qui Beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Dominum nostrum.

Secreta.

ACCIPE, quæsumus, Domine, munera dignanter oblata, & Beati Laurentij suffragantibus meritis, ad nostræ salutis auxilium prouenire concede. Per.

PRAEFATIO. E

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et præcipue in die solemnitatis hodiernæ, qua Beatus Laurentius Hostia sancta viua tibi placens oblatus est: Qui igne accensus tui amoris, constanter ignem sustinuit passionis: & per immanitatem tormentorum peruenit ad societatem ciuium supernorum. Per Christum.

AD COMPLENDVM.

SVPPLICES te rogamus, omnipotens Deus, vt quos donis cælestibus satiasti, intercedente Beato Laurentio Martyre tuo, perpetua protectione custodias. Per.

ALIA.

ALIA.

A DEVS, cuius charitatis ardore Beatus Laurentius edaces incendij flammas, contempto persecutore, deuicit; concede, vt omnes, qui martyrij eius merita veneramur, protectionis tuæ auxilio muniamur. Per.

ALIA ORATIO.

SANCTI Laurentij nos, Domine, sancta precatio tueatur: & quod nostra conscientia non meretur, eius nobis, qui tibi placuit, oratione donetur. Per.

ALIA.

EXCITA, Domine, in Ecclesia tua spiritum, cui Beatus Laurentius leuita seruiuit, vt, eodem nos replente, studeamus amare quod amauit, & opere exercere quod docuit. Per Dominum nostrum, &c. in vnitate eiusdem, &c.

B

ALIA.

ADSIT nobis, Domine, quæsumus, Sancti Laurentij Martyris tui, in tua glorificatione benedictio, cuius nobis est facta suffragium in tua virtute confessio. Per Dominum nostrum.

ALIA.

PRAESTA, quæsumus, Domine, vt semper nos Beati Laurentij lætificent votiua martyria, quæ semper esse non desinunt admiranda. Per.

III. IDVS AVGVSTI NAT.
SANCTI TIBVRTII MARTYRIS.

C

BEATI Tiburtij nos, Domine, foueant continuata præsidia, quia non desinis propitius intueri, quos talibus auxilijs conceſseris adiuuari. Per.

Secreta.

ADESTO, Domine, precibus populi tui, adesto muneribus, vt, quæ sacris sunt oblata mysterijs, tuorum tibi placeant intercessione Sanctorum. Per Dominum nostrum.

PRAEFATIO.

D VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui dum Beati Tiburtij Martyris merita glorioſa veneramur, auxilium nobis tuæ protectionis affore deprecamur: quoniam credimus nos per eorum intercessionem, qui tibi placuere, peccatorum nostrorum veniam impetrare. Per Christum.

AD COMPLENDVM.

SVMPSIMVS, Domine, pignus redemptionis æternæ: sit nobis, quæsumus, interueniente Beato Tiburtio Martyre tuo, vitæ præsentis auxiliū pariter & futuræ. Per.

E

IDIBVS AVGVSTI NAT.
SANCTI HIPPOLYTI MARTYRIS.

SANCTI Martyris tui Hippolyti, Domine, quæsumus, veneranda festiuitas, salutaris auxilij nobis præstet augmentum. Per.

Secreta.

RESPICE, Domine, munera populi tui Sanctorum festiuitate votiua, & tuæ testificatio veritatis nobis proficiat ad salutem. Per Dominum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et tuam clementiam

votis ſupplicibus implorare, vt Beari Hippolyti interceſſio peccatorum noſtrorum A
nobis obtineat veniam, qui per tormenta paſſionis æternam peruenit ad gloriam.
Per Chriſtum.

AD COMPLENDVM.

SACRAMENTORVM tuorum, Domine, communio ſumpta nos ſaluet: & intercedente Beato Hippolyto Martyre tuo, in tuæ veritatis luce confirmet. Per.

XIX. KALENDAS SEPTEMBRIS
NAT. S. EVSEBII SACERDOTIS.

DEVS, qui nos Beati Euſebij confeſſoris tui annua ſollemnitate lætificas, conce- B
de propitius, vt cuius natalitia colimus, per eius ad te exempla gradiamur. Per.

Secreta.

LAVDIS tuæ, Domine, immolamus Hoſtias in tuorum commemoratione Sanctorum, quibus nos & præſentibus exui malis confidimus & futuris. Per Dominum noſtrum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique
gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et clementiam tuam
pronis mentibus implorare, vt per Beati Euſebij Confeſſoris tui interceſſionem, ſalu- C
tiferam in noſtris mentibus firmes deuotionem: Concedasq. vt ſicut re ſolum credimus Auctorem, & veneramur Saluatorem, ſic in perpetuum eius interuentu habeamus adiutorem. Per Chriſtum.

AD COMPLENDVM.

SANCTI Euſebij natalitia celebrantes, ſupplices te, Domine, deprecamur, vt hoc idem nobis ſemper indulgentiæ cauſa ſit & ſalutis. Per.

EODEM DIE VIGILIA ASSVMPTIONIS S. MARIÆ.

DEVS, qui virginalem aulam Beatæ Mariæ, in qua habitares, eligere dignatus D
es, da, quæſumus, vt ſua nos defenſione munitos, iucundos faciat ſuæ intereſſe feſtiuitati. Qui viuis & regnas.

Secreta.

MAGNA eſt, Domine, apud clementiam tuam Dei Genitricis oratio, quam idcirco de præſenti ſæculo tranſtuliſti, vt pro peccatis noſtris apud te fiducialiter intercedat. Per eundem Dominum.

AD COMPLENDVM.

CAELESTI munere ſatiatos, omnipotens Deus, tua nos protectione cuſtodi, & caſtimoniæ pacem mentibus noſtris atque corporibus, intercedente Beata Maria, propitiatus indulge, vt veniente ſponſo Filio tuo Vnigenito, accenſis lampadibus, eius digne præſtolemur occurſum. Qui viuit. E

AD VESP.

CONCEDE, miſericors Deus, fragilitati noſtræ præſidium, vt qui ſanctæ Dei Genitricis requiem celebramus: interceſſionis eius auxilio, a noſtris iniquitatibus reſurgamus. Per eundem.

ALIA.

CONCEDE, quæſumus, omnipotens Deus, ad Beatæ Mariæ ſemper Virginis gaudia æterna pertingere, de cuius nos veneranda Aſſumptione tribuis annua ſollemnitate gaudere. Per.

XVIII. KA-

A

XVIII. KALENDAS SEPTEMBRIS
Assvmptio Sanctae Mariae Virginis.

Veneranda nobis, Domine, huius est diei festiuitas, in qua Sancta Dei Genitrix mortem subijt temporalem; nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ Filium tuum Dominum nostrum de se genuit incarnatum. Qui tecum viuit.

Ad Missam.

Famvlorvm tuorum, Domine, delictis ignosce, & qui placere de actibus nostris non valemus, Genitricis Filij tui Domini nostri intercessione saluemur. Per eundē.

B

Secreta.

Svbveniat, Domine, plebi tuæ Dei Genitricis oratio, quam & si pro conditione carnis migrasse cognoscimus, in cælesti gloria apud te pro nobis orare sentiamus. Per eundem Dominum nostrum.

Praefatio.

Vere dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et te in veneratione sacratum Virginum exultantibus animis laudare, benedicere & prædicare: inter quas intemerata Dei Genitrix Virgo Maria, cuius Assumptionis diem celebramus, gloriosa effulsit. Quæ & Vnigenitum tuum sancti Spiritus obumbratione concepit, & virginitatis gloria permanente, huic mundo lumen æternum effudit, Iesum Christum, Per quem, Maiestatem, &c.

C

Ad Complendvm.

Mensae cælestis participes effecti, imploramus clementiam tuam, Domine Deus noster, vt qui festa Dei Genitricis colimus, a malis imminentibus, eius intercessionibus liberemur. Per eundem.

Alia.

Qvaesvmvs, omnipotens Deus, vt plebs tua toto tibi corde seruiens, interueniente Beata Maria semper Virgine, & beneficia tua mereatur & pacem. Per Dominum nostrum.

D

Aliæ Orationes.

Beatae, & gloriosæ, semperq. Virginis Dei genitricis Mariæ, nos, Domine, quæsumus, merita consequantur, & tuam semper indulgentiam nobis implorent. Per eundem.

Alia.

Porrige nobis, Domine, dextetam tuam, & per intercessionem Beatæ, & gloriosæ semperq. Virginis Dei Genitricis Mariæ, auxilium nobis supernæ virtutis impende. Per eundem.

E

XVI. KALENDAS SEPTEMBRIS
Octava S. Lavrentii Martyris.

Beati Laurentij nos faciat, Domine, passio veneranda lætantes: &, vt eam sufficienter recolamus, efficiat promptiores. Per.

Alia.

Iterata festiuitate Beati Laurentij, Domine, natalitia veneramur, quæ in cælesti beatitudine fulgere nouimus sempiterna. Per.

Secreta.

Beati Laurentij Martyris honorabilem passionem muneribus, Domine, gemmatis exequimur, quæ licet propijs sit memoranda principijs, indesinenter tamen permanet gloriosa. Per.

PRAEFATIO. A

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Beati Laurentij natalitia repetentes, cui fidem confessionemq. ignis passionis inustus non abstulit, sed eum vt magis lucerer, accendit. Quia sicut aurum flammis non vritur, sed probatur, sic Beatus Martyr non consumitur tormentorum incendijs, sed aptatur cælestibus ornamentis. Per Christum Dominum nostrum.

AD COMPLENDVM.

SOLLEMNIS nobis interceſſio Beati Laurentij Martyris, quæsumus, Domine, præstet auxilium, vt cælestis mensæ participatio, quam sumpsimus, tribuat Ecclesiæ B tuæ recensitam lætitiam. Per Dominum nostrum.

XV. KALENDAS SEPTEMBRIS
NAT. SANCTI AGAPITI MARTYRIS.

SANCTI Martyris tui Agapiti merita nos, Domine, pretiosa tueantur, in quibus tuæ Maiestatis opera prædicantes, & præsens capiamus adiutorium & futurum. Per Dominum.

Secreta.

SVSCIPE, Domine, munera, quæ in eius tibi sollemnitate deferimus, cuius nos confidimus patrocinio liberari. Per Dominum. C

AD COMPLENDVM.

PROTEGAT, quæsumus, Domine, populum tuum, & participatio cælestis indulta conuiuij, & deprecatio collata Sanctorum. Per Dominum nostrum.

XI. KALENDAS SEPTEMBRIS
NAT. SANCTI TIMOTHEI MARTYRIS.

AVXILIVM tuum nobis, Domine, quæsumus, placatus impende, & interceden te Beato Timotheo Martyre tuo, dexteram super nos tuæ propitiationis extende. Per.

Secreta.

ACCEPTA tibi sit, Domine, sacratæ plebis oblatio pro tuorum honore Sanctorum, quorum se meritis percepisse de tribulatione cognoscit auxilium. Per Dominum nostrum. D

AD COMPLENDVM.

DIVINI muneris largitate satiati, quæsumus, Domine Deus noster, vt intercedente Beato Timotheo Martyre tuo, eius semper participatione viuamus. Per.

IX. KALENDAS SEPTEMBRIS
NAT. S. BARTHOLOMAEI APOSTOLI.

OMNIPOTENS, sempiterne Deus, qui huius diei venerandam, sanctamq. lætitiam Beati Apostoli tui Bartholomæi festiuitate tribuisti, da Ecclesiæ tuæ, quæsumus, & amare quod credidit, & prædicare quod docuit. Per Dominum nostrum. E

SVPER OBLATA.

BEATI Apostoli tui Bartholomæi, cuius sollemnia recensemus, quæsumus, Domine, auxilio tua beneficia capiamus, pro quo tibi Hostias laudis offerimus. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui Ecclesiam tuam sempiterna pietate non deseris: sed per Beatos Apostolos tuos iugiter erudis, & sine fine custodis. Per Christum Dominum nostrum.

AD

A

AD COMPLENDVM.

A SVMPSIMVS, Domine, pignus salutis æternæ, celebrantes Beati Bartholomæi Apostoli tui votiua sollemnia, & perpetua merita venerantes. Per Dominum nostrũ.

SVPER POPVLVM.

PROTEGE, Domine, populum tuum, & Apostolorum tuorum patrocinio confidentem, perpetua defensione conserua. Per.

V. KALENDAS SEPTEMBRIS
NAT. SANCTI AVGVSTINI EPISCOPI.

B ADESTO supplicationibus nostris omnipotens Deus, & quibus fiduciam speran-dæ pietatis indulges, intercedente Beato Augustino confessore tuo atque Pontifice, consuetæ misericordiæ tribue benignus effectum. Per Dominum nostrum.

SVPER OBLATA.

SANCTI confessoris tui Augustini nobis, Domine, pia non desit oratio, quæ & munera nostra conciliet, & tuam nobis indulgentiam semper obtineat. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui Beatum Augu-
C stinum confessorem tuum, & scientiæ documentis repleſti, & virtutum ornamentis ditasti. Quem ita multimodo genere pietatis imbuisti, vt ipse tibi, & ara, & sacrifi-cium, & sacerdos esset, & templum. Per Christum Dominum nostrum.

AD COMPLENDVM.

VT nobis, Domine, tua sacrificia dent salutem, Beatus Confessor tuus Augustinus & Pontifex, quæsumus, precator accedat. Per Dominum nostrum.

EODEM DIE NAT. S. HERMETIS MARTYRIS

INTERCESSIO, Domine, Beati Hermetis Martyris tui, & tuam nobis non de-
D sinat placare iustitiam, & nostrum tibi deuotum iugiter efficere famulatum. Per Dominum nostrum.

SVPER OBLATA.

MVNERA, Domine, nostra, quæsumus, propitiatus assume: &, vt digne tuis famulemur altaribus, Sancti tui nos Hermetis intercessione custodi. Per Dominum nostrum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Quoniam fiducialiter laudis tibi immolamus Hostias: quas Sancti Hermetis Martyris tui precibus tibi esse
E petimus acceptas. Per Christum.

AD COMPLENDVM.

REPLETI, Domine, benedictione cælesti, quæsumus clementiam tuam, vt intercedente Beato Hermete Martyre tuo, quæ humiliter gerimus, salubriter sentiamus. Per.

IV. KALENDAS SEPTEMBRIS
NAT. SANCTAE SABINAE.

EXAVDI nos Deus, salutaris noster, vt sicut sanctæ Sabinæ festiuitate gaudemus, ita piæ deuotionis erudiamur effectu. Per,

SVPER OBLATA.

GRATANTER, Domine, ad munera dicanda cõcurrimus, quæ nomini tuo pro sollemnitate Sanctæ Martyris tuæ Sabinæ suppliciter immolamus. Per Dominũ nostrum. A

AD COMPLENDVM.

PVRIFICET nos, Domine Deus, & diuini perceptio sacramenti, & gloriosa deprecatio Sanctæ Sabinæ. Per.

EODEM DIE DECOLLATIO S. IOANNIS BAPTISTÆ.

SANCTI Ioannis Baptistæ & Martyris tui, Domine, quæsumus, veneranda festiuitas, salutaris auxilij nobis præstet effectum. Per. B

SVPER OBLATA.

MVNERA tibi, Domine, pro sancti Martyris tui Ioannis Baptistæ passione deferimus: qui, dum finitur in terris, factus est cælesti sede perpetuus: quæsumus, vt eius obtentu nobis proficiant ad salutem. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui præcursorem Filij tui tanto munere ditasti, vt pro veritatis præconio capite plecteretur: Et qui Christum aqua baptizauerat, ab ipso in spiritu baptizatus, pro eodem proprio sanguine C tingeretur. Præco quippe veritatis, quæ Christus est, Herodem a fraternis thalamis prohibendo, carceris obscuritate detruditur, vbi solius diuinitatis ruæ lumine frueretur. Deinde capitalem sententiam subijt, & ad inferna Dominum præcursurus descendit. Et quem in mundo digito demonstrauit, ad inferos pretiosa morte præcessit. Et ideo cum Angelis.

AD COMPLENDVM.

CONFERAT nobis, Domine, Sancti Ioannis vtrumque sollemnitas: vt & magnifica sacramenta, quæ sumpsimus, digne veneremur, & nobis salutaria sentiamus. Per Dominum nostrum.

ALIA. D

PERPETVIS nos, Domine, Sancti Ioannis Baptistæ tuere præsidijs, & quanto fragiliores sumus, tanto magis necessarijs attolle suffragijs. Per.

III. KALENDAS SEPTEMBRIS
NAT. S. FELICIS ET ADAVCTI.

MAIESTATEM tuam, Domine, supplices deprecamur, vt sicut nos iugiter Sanctorum tuorum commemoratione lætificas, ita semper supplicatione defendas. Per.

Secreta.

HOSTIAS, Domine, tuæ plebis intende, & quas in honore Sanctorum tuorum E deuota mente celebrat, proficere sibi sentiat ad salutem. Per Dominum nostrum.

AD COMPLENDVM.

REPLETI, Domine, muneribus sacris, quæsumus, vt, intercedentibus Sanctis tuis, in gratiarum tuarum semper actione maneamus. Per.

VI. IDVS SEPTEMBRIS
NATIVITAS S. MARIAE VIRGINIS.

ADESTO nobis, omnipotens Deus, Beatæ Mariæ festa repetentibus, quam hodiernæ festiuitatis prolatam exortu, ineffabili munere subleuasti. Per.

AD

AD PROCESS.

A SVPPLICATIONEM seruorum tuorum, Deus miserator, exaudi, vt qui in natiuitate Dei Genitricis & Virginis congregamur, eius intercessionibus complacitis, a te de instantibus periculis eruamur. Per eundem Dominum nostrum.

AD MISSAM.

FAMVLIS tuis, Domine, cælestis gratiæ munus impartire, vt quibus Beatæ Mariæ Virginis partus extitit salutis exordium, natiuitatis eius votiua sollemnitas pacis tribuat incrementum. Per.

SVPER OBLATA.

VNIGENITI tui, Domine, nobis succurrat humanitas, vt qui natus de Virgine, matris integritatem non minuit, sed sacrauit, in natiuitatis eius sollemnijs, a no-
B stris nos piaculis exuens, oblationem nostram tibi faciat acceptam. Qui tecum viuit.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi in omnium Sanctorum tuorum proiectu gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et præcipue pro meritis Beatæ Dei Genitricis, & perpetuæ Virginis Mariæ, gratia plenæ, tuam omnipotentiam laudare, benedicere, & prædicare. Per quem.

AD COMPLENDVM.

SVMPSIMVS, Domine, celebritatis annuæ votiua sacramenta: præsta, quæsumus, intercedente Beata semper Virgine Maria, vt & temporalis nobis vitæ remedia præ-
C beant & æternæ. Per.

SVPER POPVLVM.

ADIVVET nos, quæsumus, Domine, sanctæ Mariæ intercessio veneranda, cuius etiam diem, quo felix eius est inchoata natiuitas, celebramus. Per.

EODEM DIE NAT. SANCTI ADRIANI MARTYRIS.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt qui Beati Adriani Martyris tui natalitia colimus, a cunctis malis imminentibus eius intercessionibus liberemur. Per.

Secreta.

D MVNERA, quæsumus, Domine, tibi dicata sanctifica: &, intercedente Beato Adriano Martyre tuo, per eadem nos placatus intende. Per.

AD COMPLENDVM.

BEATI Adriani Martyris tui, Domine, intercessione placatus, præsta quæsumus, vt quæ temporaliter gerimus, perpetua saluatione capiamus. Per.

V. IDVS SEPTEMBRIS NAT.
SANCTI GORGONII MARTYRIS.

E SANCTVS, Domine, Gorgonius sua nos intercessione lætificet, & pia faciat sollemnitate gaudere. Per.

SVPER OBLATA.

GRATA sit tibi, Domine, nostræ seruitutis oblatio, pro qua Sanctus Gorgonius Martyr interueniat. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Teq. in Sanctorum tuorum confessionibus laudare, in cuius facti sunt virtute victores: Quando enim humana fragilitas vel passionem æquanimiter ferre sufficeret, vel hostis aërei nequitias vinceret, nisi tuæ firmitatis subsidium ministrares, & sæua furentis inimici potenter arma contereres? Per Christum.

AD

AD COMPLENDVM.

FAMILIAM tuam, Deus, suauitas illa contingat & vegetet, quam Martyre tuo Gorgonio, Christi tui bono, iugiter honore pascatur. Per.

III. IDVS SEPTEMBRIS
NAT. SS. PROTI, ET HYACINTHI.

BEATI Proti nos, Domine, & Hyacinthi foueat pretiosa confessio, & pia iugiter intercessio tueatur. Per Dominum nostrum.

Secreta.

PRO Sanctorum tuorum Proti & Hyacinthi munera tibi, Domine, commemoratione, quæ debemus, exoluimus: præsta quæsumus, vt remedium nobis perpetuæ salutis operentur. Per.

AD COMPLENDVM.

VT percepta nos, Domine, tua sancta purificent, Beati Proti & Hyacinthi, quæsumus, imploret oratio. Per.

XVIII. KALENDAS OCTOBRIS
EXALTATIO SANCTAE CRVCIS.

DEVS, qui Vnigeniti tui, Domini nostri pretioso sanguine humanum genus redimere dignatus es: concede propitius, vt qui ad adorandam viuificam eius Crucem aduenium, a peccatorum suorum nexibus liberentur. Per eundem.

SVPER OBLATA.

DEVOTAS, Domine, humilitatis nostræ preces, & Hostias misericordiæ tuæ præcedat auxilium, & salutem, quam per Adam in paradisi ligno clauserat temerata præsumptio, ligni rursum fides aperiat. Per.

Præfationem, quæ est in Inuentione Sanctæ Crucis, require in V. Nonas Maij.

AD COMPLENDVM.

IESV Christi Domini nostri corpore & sanguine saginati, per quem Crucis est sanctificatum vexillum, quæsumus, Domine Deus noster, vt sicut adorare meruimus, ita perennitatis eius gloriæ salutari potiamur effectu. Per Dominum nostrum.

SVPER POPVLVM.

ADESTO familiæ tuæ, quæsumus, clemens & misericors Deus, vt in aduersis & prosperis eius preces exaudias, & nefas aduersariorum per auxilium Sanctæ Crucis digneris conterere, vt portum salutis tuæ valeat apprehendere. Per.

EODEM DIE NAT. SS. CORNELII ET CYPRIANI.

BEATORVM Martyrum, pariterq. Pontificum, Cornelij & Cypriani nos, quæsumus, Domine, festa tueantur, & eorum commendet oratio veneranda. Per.

SVPER OBLATA.

PLEBIS tuæ, Domine, munera benignus intende, quæ Maiestati tuæ pro Sanctorum Martyrum tuorum Cornelij & Cypriani sollemnitatibus sunt dicata. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Tuamq. in Sanctorum tuorum Cornelij simul, & Cypriani festiuitate prædicare virtutem: quos diuersis tetrarum partibus greges sacros diuino pane pascentes, vna fide, eademq. die pari nominis tui confessione coronasti. Per Christum.

AD

A AD COMPLENDVM.

QVAESVMVS, Domine, salutaribus repleti mysterijs, vt quorum sollemnia celebramus, orationibus adiuuemur. Per.

XVII. KALENDAS OCTOBRIS
NAT. SANCTI NICOMEDIS MARTYRIS.

ADESTO, Domine, populo tuo, vt Beati Nicomedis Martyris tui merita præclara suscipiens, ad impetrandam misericordiam tuam semper eius patrocinijs adiuuetur. Per.

SVPER OBLATA.

B SVSCIPE, Domine, munera propitius oblata, quæ Maiestati tuæ Beati Nicomedis Martyris commendet oratio. Per.

AD COMPLENDVM.

PVRIFICENT nos, Domine, sacramenta quæ sumpsimus: &, intercedente Beato Nicomede Martyre tuo, a cunctis efficiant vitijs absolutos. Per.

XVI. KALENDAS OCTOBRIS
NAT. S. EVPHEMIAE MARTYRIS.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui infirma mundi eligis, vt fortia quæque
C confundas; concede propitius, vt, qui Beatæ Euphemiæ Martyris tuæ sollemnia colimus, eius apud te patrocinia sentiamus. Per.

Secreta.

PRAESTA, quæsumus, Domine Deus noster, vt sicut in tuo conspectu mors est pretiosa Sanctorum, ita eorum merita venerantium accepta tibi reddatur oblatio. Per.

AD COMPLENDVM.

SANCTIFICET nos, Domine, quæsumus, tui perceptio sacramenti, & intercessio Beatæ Martyris tuæ Euphemiæ tibi reddat acceptos. Per.

D

EODEM DIE NAT. SS. LVCIÆ ET GEMINIANI.

PRAESTA, Domine, precibus nostris cum exultatione prouectum: vt, quorum diem passionis annua deuotione recolimus, etiam fidei constantiam subsequamur. Per.

SVPER OBLATA.

VOTA populi tui, Domine, propitiatus intende, vt quorum nos tribuis sollemnia celebrare, fac gaudere suffragijs. Per.

AD COMPLENDVM.

EXAVDI, Domine, preces nostras, vt Sanctorum tuorum, quorum festa sollem-
E niter celebramus, continuis foueamur auxilijs. Per.

XII. KALENDAS OCTOBRIS
VIGILIA S. MATTHAEI EVANGELISTAE.

DA nobis omnipotens Deus, vt Beati Matthæi Apostoli tui & Euangelistæ, quam præuenimus veneranda sollemnitas, & deuotionem nobis augeat & salutem. Per Dominum nostrum.

SVPER OBLATA.

APOSTOLICI reuerentia culminis offerentes tibi sacra mysteria, Domine, quæsumus, vt Beati Matthæi Euangelistæ suffragijs, cuius natalitia præimus, plebs tua semper & sua vota depromat, & desiderata percipiat. Per Dominum nostrum.

AD

AD COMPLENDVM.

BEATI Matthæi Euangeliſtæ, quæſumus, Domine, ſupplicatione placatus, & veniam nobis tribue, & remedia ſempiterna concede. Per Dominum noſtrum.

ALIA.

SIT, Domine, Beatus Matthæus Euangeliſta noſtræ fragilitatis adiutor, vt pro nobis tibi ſupplicans, copioſius audiatur. Per.

XI. KALENDAS OCTOBRIS
NAT. SANCTI MATTHAEI APOSTOLI.

BEATI Matthæi Euangeliſtæ, Domine, precibus adiuuemur, vt quod poſſibilitas noſtra non obtinet, eius nobis interceſſione donetur. Per Dominum noſtrum.

Secreta.

SVPPLICATIONIBVS Apoſtolicis Beati Matthæi Euangeliſtæ, quæſumus, Domine, Eccleſiæ tuæ commendetur oblatio, cuius magnificis prædicationibus erudita tur. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui Eccleſiam tuam in tuis fidelibus vbique pollentem Apoſtolicis facis conſtare doctrinis: præſta, quæſumus, vt per quos initium diuinæ cognitionis accepit, per eos vſque in finem ſæculi capiat regni cæleſtis augmentum: Per Chriſtum.

AD COMPLENDVM.

PERCEPTIS, Domine, ſacramentis, Beato Matthæo Apoſtolo tuo & Euangeliſta interueniente, deprecamur, vt quæ pro eius celebrata ſunt gloria, nobis proficiant ad medelam. Per.

ALIA.

PRAESTA, quæſumus, omnipotens Deus, vt, qui iugiter Apoſtolica defenſione munimur, nec ſuccumbamus vitijs, nec opprimamur aduerſis. Per Dominum noſtrũ.

MENSE VII. FERIA IV.

MISERICORDIAE tuæ remedijs, quæſumus, Domine, fragilitas noſtra ſubſiſtat, vt quæ ſua conditione atteritur, tua clementia reparetur. Per.

Secreta.

PRAESTA, quæſumus, Domine, familiæ ſupplicanti, vt dum a cibis corporalibus ſe abſtinent, a vitijs mente iciunent. Per.

Secreta.

DEVS fidelis, qui fidelia promiſſa confirmas, dum vocatas gentes ex fide iuſtificas, tu cognitionem nobis indiuiduæ tribue Trinitatis, vt pacifici conuerſemur inter filios vnitatis: quò iſtius ſanctæ confeſſionis ſacrificio potenter oblato, viſitationem tuam iugiter mereamur ex alto. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui nos ideo collectis terræ fructibus, per abſtinentiam tibi gratias agere voluiſti, vt ex ipſo deuotionis genere noſceremus, non hæc ad exuberantiam corporalem, ſed ad fragilitatis ſuſtentationem nos percepiſſe: vt, quod ex his parcius ſumeremus, egentium proficeret alimentis: Et ſalutaris caſtigatio, mortalitatis inſolentiam mitigaret: Et pietas largitoris, nos tuæ benignitati commendatos efficeret: ſicq. donis vteremur tranſitorijs, vt diſceremus inhiare perpetuis. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

AD

AD COMPLENDVM.

A SVMENTES, Domine, dona cæleſtia ſuppliciter deprecamur, vt quæ ſedula ſeruitute, donante Te, gerimus, dignis ſenſibus tuo munere capiamus. Per Dominum N.

ALIA.

QVAESVMVS, omnipotens Deus, preces noſtras reſpice, & tuæ ſuper nos viſcera pietatis impende, vt, qui ex noſtra culpa affligimur, ex tua pietate miſericorditer liberemur. Per.

FERIA VI.

PRAESTA, quæſumus, omnipotens Deus, vt obſeruationes ſacras annua deuotione recolentes, & corpore tibi placeamus & mente. Per.

B SVPER OBLATA.

ACCEPTA tibi ſint, Domine, quæſumus, noſtri dona ieiunij: quæ expiando nos tua gratia dignos efficiant, & ad ſempiterna promiſſa perducant. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui iuſto pioq. moderamine, & pro peccatis flagella irrogas, & poſt flagella veniam propitiatus condonas, & peccatorum vitam potius volens quam mortem, non eos ad interitum condemnas, ſed vt corrigantur, miſeratus expectas. Per Chriſtum Dominum N.

C AD COMPLENDVM.

QVAESVMVS, omnipotens Deus, vt de perceptis muneribus gratias exhibentes, beneficia potiora ſumamus. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

SABBATO IN XII. LECT.

OMNIPOTENS ſempiterne Deus, qui per continentiam ſalutarem, & corporibus mederis & mentibus, Maieſtatem tuam ſupplices exoramus, vt pia ieiunantium
D deprecatione placatus, & præſentia nobis ſubſidia præbeas & futura. Per.

ALIA.

DA nobis, quæſumus, omnipotens Deus, vt ieiunando tua gratia ſatiemur, & abſtinendo, cunctis efficiamur hoſtibus fortiores. Per Dominum noſtrum.

ALIA.

TVERE, quæſumus, Domine, familiam tuam, vt ſalutis æternæ remedia, quæ, Te aſpirante, requirimus, Te largiente conſequamur. Per Dominum noſtrum.

ALIA.

E TRIBVE, quæſumus, Domine, fidelibus tuis, vt & ieiunio conuenienter aptentur, & ſuſcepta ſollemniter caſtigatio corporalis ad fructum noſtrarum tranſeat animarum. Per Dominum noſtrum.

ALIA.

VT nos, Domine, tribuis ſollemne tibi deferre ieiunium, ſic nobis, quæſumus, indulgentiæ præſta ſubſidium. Per.

ALIA AD MISSAM.

DEVS, qui tribus pueris mitigaſti flammas ignium, concede propitius, vt nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum. Per Dominum noſtrum.

SVPER OBLATA.

HAEC Hostia, Domine, quæsumus, & vincula nostræ iniquitatis absoluat, & tuæ A
nobis misericordiæ dona conciliet. Per Dominum nostrum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et tibi sanctificare ieiunium, quod nos ob ædificationem animarum & castigationem corporum seruare docuisti: quia, restrictis corporibus, animæ saginantur: in quo homo noster affligitur exterior, dilatatur interior: Memento, quæsumus, Domine, ieiuniorum nostrorum & misericordiarum tuarum, quas peccatoribus pie semper ieiunantibus contulisti; & præsta, vt non solum a cibis, sed a peccatis omnibus abstinentes, deuotionis tibi ieiunio placeamus. Per Christum Dominum nostrum.

B

AD COMPLENDVM.

PERFICIANT in nobis, Domine, quæsumus, tua sacramenta quod continent, vt quæ nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus. Per.

SVPER POPVLVM.

GAVDEAT, Domine, quæsumus, plebs tua beneficijs impetratis: & cui fiduciam sperandæ pietatis indulges, optaræ misericordiæ præsta benignus effectum. Per Dominum nostrum.

V. KALENDAS OCTOBRIS
NAT. SS. COSMAE ET DAMIANI. C

ADESTO, Domine, Martyrum deprecatione Sanctorum, & quos pati pro tuo nomine voluisti, fac tuis fidelibus suffragari. Per.

Secreta.

ANTICIPA nos misericordia tua priusquam zelus iræ desæuiat, misericors Deus: & hæc dona sanctifica, vt, adiuti patrocinijs beatorum, quorum propter te sanguis effusus est, propitiationem tuam cum peccatorum venia consequamur. Per.

PRAEFATIO. D

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et clementiam tuam suppliciter obsecrare, vt cum exultantibus Sanctis in cælestis regni cubiculis gaudia nostra subiungas. Et quos virtutis imitatione non possumus sequi, debitæ venerationis contingamus effectu. Per Christum.

AD COMPLENDVM.

SIT nobis, Domine, sacramenti tui certa saluatio: quæ cum Beatorum Martyrum tuorum Cosmæ & Damiani meritis imploratur. Per.

III. KALENDAS OCTOBRIS
DEDICATIO BASILICAE S. MICHAELIS. E

DEVS, qui miro ordine Angelorum ministeria hominumq. dispensas, concede propitius, vt quibus tibi ministrantibus in cælo semper assistitur, ab his in terra nostra vita muniatur. Per.

Secreta.

HOSTIAS tibi, Domine, laudis offerimus, suppliciter deprecantes, vt easdem Angelico pro nobis interueniente suffragio, & placatus accipias, & ad salutem nostram prouenire concedas. Per Dominum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Sancti Michaelis Archangeli

A geli merita prædicantes: quamuis enim nobis sit omnis Angelica veneranda sublimitas, quæ in Maiestatis tuæ consistit conspectu, illa tamen est propensius honoranda, quæ in eius ordinis dignitate, cælestis militiæ meruit principatum. Per Christum Dominum nostrum.

AD COMPLENDVM.

BEATI Archangeli tui Michaelis intercessione suffulti, supplices, Te, Domine, deprecamur, vt quos honore prosequimur, contingamus & mente. Per Dominum.

SVPER POPVLVM.

B ADESTO plebi tuæ, misericors Deus: &, vt gratiæ tuæ beneficia potiora percipiat, Beati Michaelis Archangeli fac supplicem deprecationibus subleuari. Per Dominum nostrum.

PRIDIE KALENDAS OCTOBRIS
NAT. SANCTI HIERONYMI.

SANCTI nos Hieronymi, Domine, natalitia votiua lætificent, & suæ beneficijs intercessionis attollant. Per.

Secreta.

ACCEPTA sit in conspectu tuo, Domine, nostra deuotio, & nobis fiat eius supplicatione salutaris, pro cuius sollemnitate defertur. Per.

C AD COMPLENDVM.

EXVLTET, Domine, populus tuus in sancti tui Hieronymi commemoratione: & cuius votiuo lætatur officio, releuetur auxilio. Per.

NONIS OCTOBRIS NAT.
SANCTI MARCI PAPAE.

EXAVDI, Domine, quæsumus, preces nostras: & interueniente Beato Marco Confessore tuo atque Pontifice, supplicationes nostras placatus intende. Per Dominum nostrum.

Secreta.

D BENEDICTIO tua, Domine, larga descendat: quæ munera nostra, deprecante Sancto Marco confessore tuo atque Pontifice, tibi reddat accepta, & nobis sacramentum redemptionis efficiat. Per Dominum nostrum.

AD COMPLENDVM.

DA, quæsumus, Domine, fidelibus populis Sanctorum tuorum semper venetatione lætari, & eorum perpetua supplicatione muniri. Per Dominum.

PRIDIE IDVS OCTOBRIS
NAT. SANCTI CALISTI PAPAE.

E DEVS, qui nos conspicis ex nostra infirmitate deficere, ad amorem tuum nos misericorditer per Sanctorum tuorum exempla restaura. Per Dominum nostrum.

Secreta.

MYSTICA nobis, Domine, prosit oblatio, quæ nos & a reatibus nostris expediat, & perpetua saluatione confirmet. Per.

AD COMPLENDVM.

QVAESVMVS, omnipotens Deus, vt reatum nostrum munera sacrata purificent, & recte viuendi nobis operentur effectum. Per Dominum nostrum.

A

XV. KALENDAS NOVEMBRIS
Nat. S. Lvcae Evangelistae.

Interveniat pro nobis, Domine, quæsumus, Sanctus tuus Lucas Euangelista, qui Crucis mortificationem iugiter in suo corpore pro tui nominis honore portauit. Per.

Secreta.

Donis nos cælestibus, da quæsumus, Domine, libera mente seruire, vt munera, quæ deferimus, interueniente Beato Euangelista tuo Luca, & medelam nobis operentur & gloriam. Per.

B

Praefatio.

Vere dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et Te in tuorum Sanctorum meritis glorioſis collaudare, benedicere, & prædicare: Qui eos dimicantes contra antiqui serpentis machinamenta, & proprij corporis blandimenta, inexpugnabili virtute Rex gloriæ roborasti. Ex quibus Beatus Lucas Euangelista tuus, assumpto scuto fidei & galea salutis, & gladio Spiritus sancti, & viriliter contra vitiorum incentiua pugnauit, & Euangelicæ nobis dulcedinis fluenta manauit. Vnde petimus immensam, Domine, clementiam tuam, vt qui eum tot meritorum donasti prærogatiuis, nos eius & informes exemplis, & adiuues meritis. Per Christum.

C

Ad Complendvm.

Praesta, quæsumus, omnipotens æterne Deus, vt id, quod de sancto Altari tuo accepimus, precibus Beati Euangelistæ tui Lucæ sanctificet animas nostras, per quod tuti esse possimus. Per.

VI. KALENDAS NOVEMBRIS
Vigilia Apostolorvm Simonis Et Ivdae.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, vt sicut Apostolorum tuorum Simonis & Iudæ glorioſa natalitia præuenimus, sic ad tua beneficia promerenda, Maiestatem tuam pro nobis ipsi proueniant.

D

Secreta.

Mvneribvs nostris, Domine, Apostolorum Simonis & Iudæ festa præcedimus, humiliter postulantes, vt quæ conscientiæ nostræ præpediuntur obstaculis, illorum meritis grata reddantur. Per.

Praefatio.

Vere dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Quia tu es mirabilis in omnibus sanctis tuis, quos & nominis tui confessione præclaros, & susceptæ pro te feciſti passione glorioſos. Vnde sicut illi ieiunando, orandoq. certauerunt, vt hanc possent obtinere victoriam, ita nos eorum exemplis informemur, vt ad celebranda præsentia festa idonei inueniamur, & ad æterna percipienda eorum interuentu digni iudicemur. Per Christum.

E

Ad Complendvm.

Svmpto, Domine, sacramento, suppliciter deprecamur, vt, intercedentibus Beatis Apostolis, quod temporaliter gerimus, ad vitam capiamus æternam. Per.

Ad Vesp.

Omnipotens sempiterne Deus, mundi Creator & Rector, qui Beatos Apostolos nominis tui gloria sublimasti, exaudi, quæsumus Domine, populum tuum

cum

A cum Sanctorum tuorum tibi patrocinijs ſupplicantem, vt nobis & pacis donum tribuas, & continuatum proficiat ad fidei & charitatis augmentum. Per Dominum N.

V. KALENDAS NOVEMBRIS
Nat. Apostolorvm Simonis Et Ivdae.

Devs, qui nos per Beatos Apoſtolos tuos ad agnitionem tui nominis venire tribuiſti, da nobis eorum gloriam ſempiternam proficiendo celebrare, & celebrando proficere. Per.

Secreta.

Omnipotens ſempiterne Deus, mundi Creator, & Rector, qui Beatos Apo-
B ſtolos tuos nominis tui gloria conſecraſti; exaudi populum tuum cum Sanctorum tuorum tibi patrocinio ſupplicantem, vt per pacis donum proficiat ad fidei & charitatis augmentum. Per.

Secreta.

Gloriam, Domine, Sanctorum Apoſtolorum perpetuam venerantes, quæſumus, vt eam ſacris myſterijs venerantes expiati, dignius celebremus. Per.

Praefatio.

Vere dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere; Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Te in tuorum Apoſtolorum glorificantes honore, qui & illis tribuiſti beatitudinem ſempiternam, & infirmitati noſtræ talia præſtitiſti ſuffragia, per quæ tua poſſimus adipiſci ſubſidia, & ad præmia peruenire promiſſa. Per Chriſtum.
C

Ad Complendvm.

Perceptis, Domine, ſacramentis ſuppliciter te rogamus, vt intercedentibus Beatis Apoſtolis tuis, quæ pro illorum veneranda gerimus paſſione, nobis proficiant ad medelam. Per.

Alia.

Exavdi nos Deus ſalutaris noſter, & Apoſtolorum tuorum nos tuere præſidijs, quorum donaſti fideles eſſe doctrinis. Per.

PRIDIE KALENDAS NOVEMBRIS
Vigilia Omnivm Sanctorvm.
D

Domine Deus noſter, multiplica ſuper nos gratiam tuam, & quorum præuenimus glorioſa ſollemnia, tribue ſubſequi in ſancta profeſſione lætitiam. Per.

Secreta.

Altare tuum, Domine Deus, muneribus cumulamus oblatis, da, quæſumus, vt ad ſalutem noſtram omnium Sanctorum tuorum precatione proficiant, quorum ſollemnia ventura præcurrimus. Per.

Ad Complendvm.

Sacramentis, Domine, & gaudijs optata celebritate expletis, quæſumus, vt eorum precibus adiuuemur, quorum recordationibus exhibentur. Per.

Super Popvlvm.
E

Ervdi, quæſumus, Domine, populum tuum ſpiritalibus inſtrumentis: & quorum præſtas ſollemnia præuenire, fac eorum in conſideratione deuotum, & defenſione ſecurum. Per.

KALENDIS NOVEMBRIS
Nat. Sancti Caesarii Martyris.

Devs, qui nos beati Martyris tui Cæſarij annua ſollemnitate lætificas, concede propitius, vt cuius natalitia colimus, etiam actiones imitemur. Per.

Secreta.

HOSTIAS tibi, Domine, Beati Cæsarij Martyris tui dicatas meritis benignus assume, & ad perpetuum nobis tribue prouenire subsidium. Per. A

AD COMPLENDVM.

QVAESVMVS, omnipotens Deus, vt, qui cælestia alimenta percepimus, intercedente Beato Cæsario Martyre tuo, per hæc contra omnia aduersa muniamur. Per Dominum.

EODEM DIE NAT. OMNIVM SANCTORVM.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui nos omnium Sanctorum merita sub vna tribuisti celebrirate venerati, quæsumus, vt desideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam, multiplicatis intercessionibus, largiaris. Per. B

Secreta.

MVNERA tibi, Domine, nostræ deuotionis offerimus: quæ & pro cunctorum tibi grata sint honore Sanctorum, & nobis salutaria, Te miserante, reddantur. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et clementiam tuam suppliciter obsecrare, vt cum exultantibus Sanctis in cælestis regni cubiculis gaudia nostra subiungas. Et quos virtutis imitatione non possumus sequi, debitæ venerationis contingamus affectu. Per Christum. C

AD COMPLENDVM.

DA nobis, quæsumus, Domine, per glorioſam omnium Sanctorum confessionem, & per hæc sancta quæ sumpsimus, vt tuorum admixti concilijs, misericordiæ tuæ dapibus saginemur. Per.

ALIA.

DA, quæsumus, Domine, fidelibus populis omnium Sanctorum semper veneratione lætari, & eorum perpetua supplicatione muniri. Per. D

Quattuor Coronatorum nomina hæc sunt: Seuerus, Seuerianus, Victorinus, & Carpophorus, quorum dies natalis per incuriam neglectus minime reperiri poterat; ideo statutum est, vt in eorum Ecclesia, horum quinque Sanctorum, qui in Missa recitantur, natalis celebretur, vt cum illis eorum quoque memoria pariter fiat.

VI. IDVS NOVEMBRIS NAT.
SS. QVATTVOR CORONATORVM.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt qui glorioſos Martyres, Claudium, Nicostratum, Simphorianum, Castorium, atque Simplicium, fortes in sua confessione cognouimus, pios apud te in nostra intercessione sentiamus. Per. E

SVPER OBLATA.

BENEDICTIO tua, Domine, larga descendat, quæ & munera nostra deprecantibus Sanctis tuis, tibi reddat accepta: & nobis sacramentum redemptionis efficiat. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, celebrantes Sanctorum natalitia Coronatorum: Quia dum tui nominis per eos gloriam frequentamus, in nostræ fidei augmento succrescimus. Per Christum.

AD

A

AD COMPLENDVM.

CAELESTIBVS refecti sacramentis & gaudijs, supplices te, Domine, deprecamur, vt quorum gloriamur triumphis, prosequamur auxilijs. Per.

V. IDVS NOVEMBRIS NAT. SANCTI THEODORI.

DEVS, qui nos Beati Theodori Martyris tui confessione glorioſa circumdas & protegis, præsta nobis eius imitatione proficere, & oratione fulciri. Per.

Secreta.

B

SVSCIPE, Domine, fidelium preces cum oblationibus Hostiarum, & intercedente Beato Theodoro Martyre tuo, per hæc piæ deuotionis officia ad cælestem gloriam transeamus. Per.

AD COMPLENDVM.

PRAESTA nobis, Domine, quæsumus, intercedente Beato Theodoro Martyre tuo, vt quæ ore contingimus, pura mente capiamus. Per.

III. IDVS NOVEMBRIS NAT. S. MENNAE MARTYRIS.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt qui Beati Mennæ Martyris tui natalitia colimus, intercessione eius in tui nominis amore roboremur. Per.

C

Secreta.

BEATI Mennæ Martyris tui, Domine, sollemnia recensentes, quæsumus, vt eius auxilio, tua beneficia capiamus, pro quo tibi Hostias laudis offerimus. Per.

AD COMPLENDVM.

BENEDICTIO tua, Deus, impleat corda fidelium, talesq. perficiat, qui & Martyrum honorificent passiones, & remedia salutis æternæ, eisdem patrocinantibus, assequantur. Per.

D

EODEM DIE NAT. S. MARTINI CONFESSORIS.

DEVS, qui conspicis, quia ex nulla nostra virtute subsistimus, concede propitius, vt, intercessione Beati Martini Confessoris tui atque Pontificis, contra omnia aduersa muniamur. Per Dominum nostrum.

Secreta.

BEATI Martini Pontificis, quæsumus, Domine, nobis pia non desit oratio, quæ & munera nostra conciliet, & tuam nobis indulgentiam semper obtineat. Per Dominum nostrum.

E

PRAEFATIO.

VERE dignum & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Cuius munere Beatus Martinus Confessor pariter & Sacerdos, & bonorum operum incrementis excreuit, & varijs virtutum donis exuberatum & miraculis coruscauit: Qui, quod verbis docuit, operum exhibitione compleuit: & documento simul & exemplo subditis ad cælestia regna pergendi ducatum præbuit. Vnde tuam clementiam petimus, vt eius qui tibi placuit exemplis, ad bene agendum informemur, meritis muniamur, intercessionibus adiuuemur, qualiter ad cæleste regnum, illo interueniente, Te opitulante, peruenire mereamur. Per Christum.

AD COMPLENDVM.

TVA, Domine, sancta sumentes, suppliciter deprecamur, vt quotum veneramur confessionem, præsidia sentiamus. Per.

SVPER

SVPER POPVLVM.

EXAVDI, Domine, populum tuum tota tibi mente subiectum, & Beati Martini Pontificis supplicatione custodi, vt corpore & corde protectus, quod pie credit, appetat: & quod iuste sperat, obtineat. Per. A

X. KALENDAS DECEMBRIS
NAT. SANCTAE CAECILIAE.

DEVS, qui nos annua Beatæ Cæciliæ Martyris tuæ sollemnitate lætificas, da, vt quam veneramur officio, etiam piæ conuersationis sequamur exemplo. Per.

Secreta. B

HAEC Hostia, Domine, placationis & laudis, quæsumus, vt, interueniente Beata Cæcilia Martyre tua, nos tua propitiatione dignos semper efficiat. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui in infirmitate virtutem perficis, & humani generis inimicum non solum per viros, sed etiam per feminas vincis: Cuius munere Beata Cæcilia, & in virginitatis proposito, & in confessione fidei roborata est, vt nec ætatis lubrico ab intentione mutaretur, nec blandimentis carnalibus demulceretur, nec sexus fragilitate deterreretur, nec tormentorum immanitate vinceretur: sed seruando corporis ac mentis integritatem, cum virginitatis & martyrij palma æternam mereretur adipisci beatitudinem. Per Christū. C

AD COMPLENDVM.

SIC nos, Domine, gratia tua, quæsumus, semper exerceat, vt & diuinis instauret nostra corda mysterijs, & sanctæ Cæciliæ Martyris tuæ commemoratione lætificet. Per Dominum nostrum.

IX. KALENDAS DECEMBRIS
NAT. SANCTI CLEMENTIS.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui in omnium Sanctorum tuorum es virtute mirabilis, da nobis in Beati Clementis annua sollemnitate lætari, qui filij tui Martyr & Pontifex, quod ministerio gessit, testimonio comprobauit: & quod prædicauit ore, confirmauit exemplo. Per Dominum. D

Secreta.

SACRIFICIVM tibi, Domine, laudis offerimus, pro sancti celebritate Clementis, vt propitiationem tuam, quam nostris operibus non meremur, pij Suffragatoris intercessionibus assequamur. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et in hac die, quam Beati Clementis passio consecrauit, & nobis venerabilem exhibuit: Quia Apostolica prædicatione imbutus, doctrinis cælestibus educatus, successionis dignitate conspicuus, & Martyr insignis & Sacerdos refulsit egregius. Per Christum Dominum N. E

AD COMPLENDVM.

DA, quæsumus, Domine Deus noster, vt sicut tuorum commemoratione Sanctorum temporali gratulamur officio, ita perpetuo lætemur aspectu. Per.

EODEM DIE NAT. SANCTÆ FELICITATIS.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt Beatæ Felicitatis Martyris tuæ sollemnia recensentes, meritis ipsius protegamur & precibus. Per.

Secre-

Secreta.

A SVSCIPE vota tuorum, Domine, famulorum: & oblatum tibi pro commemoratione Beatæ Felicitatis, pacifici libaminis sacrificium propitiatus intende. Per, &c.

AD COMPLENDVM.

SVPPLICES te rogamus, omnipotens Deus, vt interuenientibus Sanctis tuis, & tua in nobis dona multiplices, & tempora nostra disponas. Per.

VIII. KALENDAS DECEMBRIS
NAT. SANCTI CHRYSOGONI MARTYRIS.

ADESTO, Domine, supplicationibus nostris, vt, qui ex iniquitate nostra reos nos esse cognoscimus, Beati Chrysogoni Martyris tui intercessione liberemur. Per.

B *Secreta.*

OBLATIS, quæsumus, Domine, placare muneribus, & interueniente Beato Chrysogono Martyre tuo, a cunctis nos defende periculis. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui nos assiduis Martyrum passionibus consolaris, & eorum sanguinem triumphalem, quem pro confessione nominis tui in fidelibus præbuere fundendum, ad tuorum facis auxilium transire fidelium. Per Christum.

C AD COMPLENDVM.

TVI, Domine, perceptione sacramenti, & a nostris mundemur occultis, & ab hostium liberemur insidijs. Per.

III. KALENDAS DECEMBRIS
NAT. S. SATVRNINI MARTYRIS.

DEVS, qui nos Beati Saturnini Martyris tui concedis natalitio perfrui, eius nos tribue meritis adiuuari. Per.

D *Secreta.*

MVNERA tibi, Domine, dicata sanctifica, & intercedente Beato Saturnino Martyre tuo, per eadem nos placatus intende. Per Dominum nostrum.

AD COMPLENDVM.

SANCTIFICET nos, Domine, quæsumus, tui perceptio sacramenti, & intercessione Sanctorum tibi reddat acceptos. Per.

EODEM DIE VIGILIA SANCTI ANDREÆ.

E QVAESVMVS, omnipotens Deus, vt Beatus Andreas Apostolus tuum nobis imploret auxilium, vt a nostris reatibus absoluti, a cunctis etiam periculis exuamur. Per Dominum nostrum.

Secreta.

SACRANDVM tibi, Domine, munus offerimus, quo Beati Andreæ sollemnia recolentes, purificationem quoque nostris mentibus imploramus. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et Maiestatem tuam suppliciter exorare, vt qui Beati Andreæ Apostoli festum sollemnibus ieiunijs, & deuotis præuenimus officijs, illius apud Maiestatem tuam, & adiuuemur meritis, & instruamur exemplis. Per Christum.

AD

AD COMPLENDVM.

PERCEPTIS, Domine, sacramentis, suppliciter exoramus, vt intercedente Beato Andrea Apostolo tuo, quæ pro illius veneranda gerimus passione, nobis proficiant ad medelam. Per. A

ALIA.

TVERE nos, misericors Deus, & Beati Andreæ Apostoli tui, cuius natalitia præuenimus, semper guberna præsidijs. Per Dominum nostrum.

AD VESP.

ADIVVET Ecclesiam tuam tibi, Domine, supplicando, Beatus Andreas Apostolus, & pius interuentor efficiatur, qui tui nominis extitit prædicator. Per Dominum. B

AD MATVT.

DEVS, qui es Sanctorum tuorum splendor mirabilis, quiq. hunc diem Beati Andreæ martyrio consecrasti, da Ecclesiæ tuæ de eius natalitio semper gaudere, vt apud misericordiam tuam exemplis eius protegamur & meritis. Per.

PRIDIE KALENDAS DECEMBRIS
NAT. SANCTI ANDREAE APOSTOLI.

MAIESTATEM tuam supplices, Domine, exoramus, vt sicut Ecclesiæ tuæ Beatus Andreas Apostolus extitit Prædicator & Rector, ita apud te sit pro nobis perpetuus intercessor. Per. C

Secreta.

SACRIFICIVM nostrum tibi, Domine, quæsumus, Beati Andreæ precatio sancta conciliet, vt cuius honore sollemniter exhibetur, meritis efficiatur acceptum. Per Dominum nostrum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Quoniam adest nobis dies magnifici votiua mysterij, qua venerandus Andreas Apostolus germanum se glorioſi Apostoli tui Petri, tam prædicatione Christi tui, quàm conuersatione monstrauit: vt id, quod libera prædicauerat voce, nec pendens taceret in Cruce: Auctoremq. vitæ perennis tam in hac vita sequi, quam in mortis genere meruit imitari: vt, cuius præcepto terrena in semetipso crucifixerat desideria, eius exemplo ipse patibulo figeretur. Vtrique igitur germani piscatores, ambo cruce eleuantur ad cælum: vt, quos in huius vitæ cursu gratia tua tot vinculis pietatis obstrinxerat, hos immarcescibilis in regno cælorum necteret corona. Et quibus erat vna causa certaminis, vna retributio esset & præmij. Per quem, Maiestatem tuam. D

AD COMPLENDVM.

SVMPSIMVS, Domine, diuina mysteria, Beati Andreæ festiuitate lætantes, quæ sicut tuis sanctis ad gloriam, ita nobis, quæsumus, ad veniam prodesse perficias. Per Dominum.

SVPER POPVLVM.

DA nobis, quæsumus, Domine Deus noster, Beati Apostoli tui Andreæ intercessionibus subleuari, vt per quos Ecclesiæ tuæ superni muneris rudimenta donasti, per eos subsidia perpetuæ salutis impendas. Per Dominum nostrum. E

ALIA.

EXAVDI, Domine, populum tuum cum Sancti Apostoli tui Andreæ patrocinio supplicantem, vt tuo semper auxilio secura tibi possit deuotione seruire. Per.

IDIBVS DECEMBRIS NAT. S. LVCIÆ VIRGINIS.

EXAVDI nos Deus salutaris noster, vt sicut de Beatæ Luciæ festiuitate gaudemus, ita piæ deuotionis erudiamur effectu. Per.

Secre-

Secreta.

A QVAESVMVS, virtutum cæleſtium Deus, vt ſacrificium pro Sanctæ tuæ Luciæ ſollemnitate delata, deſiderium nos temporale doceant habere contemptum, & ambire dona faciant cæleſtium gaudiorum. Per.

AD COMPLENDVM.

LAETI, Domine, ſumpſimus ſacramenta cæleſtia: quæ, intercedente pro nobis Beata Lucia Martyre tua, ad vitam nobis proficiant ſempiternam. Per Dominum N.

SVPER POPVLVM.

B INTERCESSIO nos, Domine, quæſumus, Sanctæ Luciæ Martyris tuæ votiua conſoueat, vt eius ſacrata natalitia & temporaliter frequentemus, & conſpiciamus æterna. Per Dominum noſtrum.

XII. KALENDAS IANVARII
NAT. SANCTI THOMAE APOSTOLI.

DA nobis, quæſumus, Domine, Beati Apoſtoli tui Thomæ ſollemnitatibus gloriari, vt eius ſemper & patrocinijs ſubleuemur, & fidem congrua deuotione ſectemur. Per.

Secreta.

DEBITVM, Domine, noſtræ reddimus ſeruitutis, ſuppliciter exorantes, vt ſuffragijs Beati Thomæ Apoſtoli in nobis tua munera tuearis, cuius honorando confeſſionem, laudis tibi Hoſtias immolamus. Per Dominum noſtrum.

C PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui Eccleſiam tuam in Apoſtolicis tribuiſti conſiſtere fundamentis, de quorum Collegio Beati Thomæ Apoſtoli tui ſollemnia celebrantes, tua, Domine, præconia non tacemus. Per Dominum noſtrum.

AD COMPLENDVM.

D CONSERVA, Domine, populum tuum: & quem Sanctorum tuorum præſidijs non deſinis adiuuare, perpetuis tribue gaudere remedijs. Per.

SVPER POPVLVM.

DA populo tuo, quæſumus, Domine, Spiritum veritatis & pacis: & intercedente Beato Thoma Apoſtolo tuo, & Te tota mente cognoſcat, & quæ tibi ſunt placita, toto corde ſectetur. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

E MISSA IN VIGILIA VNIVS APOSTOLI.

CONCEDE nobis, quæſumus, omnipotens Deus, venturam Apoſtoli tui *ill.* ſollemnitatem congruo præuenire honore, & venientem digna celebrare deuotione. Per.

Secreta.

ACCEPTA tibi ſit, Domine, noſtræ deuotionis oblatio, & ad Apoſtolicam puriores faciat nos venire feſtiuitatem. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et venientem natalem Beati Apoſtoli tui *ill.* debita ſeruitute præuenire, ſuppliciter obſecrantes, vt ipſum nos apud tuam clementiam ſentiamus habere patronum, quem tua gratia largiente meruimus æternæ ſalutis ſuſcipere miniſterium. Per Chriſtum.

AD

AD COMPLENDVM.

PRAESTA nobis æterne largitor, eius vbique protegi oratione, cuius natalitia per hæc sancta, quæ sumpsimus, votiuo prævenimus obsequio. Per. A

SVPER POPVLVM.

SANCTI tui nos, quæsumus, Domine, *Ill.* Apostoli sollemnitas, quam prævenimus, tueatur: quia tanto fiducialius tuo nomini supplicamus, quanto frequentius Apostolorum intercessionibus confouemur. Per Dominum nostrum.

ALIA.

DEVS, tuorum gloria iustorum, præsta quæsumus, vt sancti tui *Ill.* cuius diem passionis celebrando prævenimus, sentiamus auxilium. Per. B

ALIA.

DEVS, qui es omnium Sanctorum tuorum splendor mirabilis, quiq. hunc diem Beati Apostoli tui *Ill.* martyrio consecrasti, da Ecclesiæ tuæ de natalitio tantæ festiuitatis lætari, vt, quæ Apostolorum tuorum prædicatione floruit, eorum exemplis muniatur, & intercessionibus adiuuetur. Per Dominum.

MISSA IN VIGILIA VNIVS MARTYRIS.

QVAESVMVS, omnipotens Deus, vt nostra deuotio, quæ natalitia Beati *Ill.* Martyris antecedit, patrocinia nobis eius accumulet. Per. C

Secreta.

MAGNIFICA, Domine, Beati *Ill.* sollemnia recensemus, quæ promptis cordibus ambientes, oblatis muneribus; & suscipimus & præimus. Per Dominum nostrũ.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et glorioſi *Ill.* Martyris pia certamina præcurrendo, cuius honorabilis annua recursione sollemnitas, & perpetua semper & noua est: quia & in conspectu tuæ Maiestatis permanet mors tuorum pretiosa iustorum, & restaurantur incrementa lætitiæ, cum felicitatis æternæ recoluntur exordia. Per Christum. D

AD COMPLENDVM.

SANCTA tua, Domine, in Beati *Ill.* Martyris pretiosa passione, quam præimus, nos refoueant: quibus & iugiter satiamur, & semper desideramus expleri. Per Dominum.

ALIA.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt qui Sancti Martyris tui *Ill.* sollemnia præimus, eius etiam virtutes imitemur. Per.

AD VESP. E

DEVS, qui nobis Beati *Ill.* Martyris tui natalitia glorioſa præire concedis, tribue quæsumus, eius nos semper & beneficijs prævenire, & orationibus adiuuari. Per. F

ALIA AD MATVT.

DEVS, qui nos Beati Martyris tui *Ill.* concedis natalitia prævenire, eius nos tribue meritis adiuuari. Per.

ALIA.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, fortitudo certantium, & Martyrum palma, sollemnitatem hodiernæ diei propitius intuere, & Ecclesiam tuam continua fac celebritate lætari, vt quod meritis non præsumit, intercessione Beati Martyris tui *Ill.* assequi mereatur. Per Dominum nostrum.

ALIA.

ALIA.

A DEVS, mundi Creator & Rector, qui hunc diem in Beati *Ill.* martyrio consecrasti: concede propitius, vt omnes, qui martyrij eius merita venerantur, intercessionibus eius ab æternis gehennæ incendijs liberentur. Per.

MISSA IN NAT. VNIVS MARTYRIS.

VOTIVOS, Domine, quæsumus, Beati Martyris tui *Ill.* natalis nos semper excipiat: qui & iucunditatem nobis suæ glorificationis infundat, & nos tibi reddat acceptos. Per Dominum nostrum.

Secreta.

PRAESENTIA munera, quæsumus Domine, ita serena pietate intuere, vt sancti Spiritus persundantur benedictione, & in nostris cordibus eam dilectionem validius
B infundant, qua Sanctus Martyr *Ill.* omnia corporis tormenta deuicit. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et in præsenti festiuitate Sancti Martyris tui *Ill.* tibi confitendo laudis Hostias immolare: Tuamq. immensam pietatem implorare, vt sicut illi dedisti cælestis palmam triumphi, sic eo suffragante, nobis emundationem ac veniam concedas peccati, vt in te exultemus in misericordia, in quo ille lætatur in gloria. Per Christum.

PRAEFATIO.

C VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et te in omnium Martyrum tuorum triumphis laudare. Quoniam tuis donis atque muneribus Beati Martyris tui *Ill.* passionem hodierna sollemnitate veneramur: qui pro confessione IESV CHRISTI filij tui Domini nostri, diuersa supplicia sustinuit, & eadem vincens, coronam perpetuitatis promeruit. Per quem.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Domi-
D num nostrum: Cuius gratia Beatum *Ill.* in sacerdotium elegit, doctrina ad prædicandum erudijt, potentia ad perseuerandum confirmauit, vt per sacerdotalem insulam perueniret ad martyrij palmam. Docensq. subditos, instruens viuendi exemplo, confirmans patiendo, ad te coronandus perueniret, qui persequutorum minas intrepidus superasset. Cuius interuentus nos, quæsumus, a nostris mundet delictis, qui tibi placuit tot donorum prærogatiuis. Per quem, Maiestatem.

AD COMPLENDVM.

SVMPSIMVS, Domine, Sancti *Ill.* Martyris sollemnitate cælestia sacramenta: cuius suffragijs, quæsumus, largiaris, vt quod temporaliter gerimus, æternis gaudijs consequamur. Per.

E ALIA.

FAC, quæsumus, Domine Deus noster, vt intercedente Beato Martyre tuo *Ill.* populum tuum in tua deuotione gaudere: quia perpetua est & plena felicitas, si bonorum omnium seruiamus Auctori. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

ALIA.

SANCTI *Ill.* Martyris tui, Domine, nos oratio sancta conciliet, quæ sacris virtutibus veneranda refulget. Per Dominum nostrum.

ORATIO VNIVS MARTYRIS.

BEATI Martyris tui *Ill.* quæsumus Domine, nos patrocinium collatum non deserat: quod fragilitatem nostram & precibus tueatur & meritis. Per.

ALIA.

DEVS, qui sanctam nobis huius diei sollemnitatem pro commemoratione Beati Martyris tui *Ill.* fecisti, adesto familiæ tuæ precibus: & da, vt cuius hodie festa celebramus, eius meritis & intercessionibus adiuuemur. Per Dominum nostrum.

ALIA.

PLEBS tua, Domine, sancti Martyris tui *Ill.* Te glorificatione magnificet, & eodem semper precante mereatur habere Rectorem. Per Dominum nostrum.

MISSA IN VIGILIA PLVRIMORVM MARTYRVM.

BEATORVM Martyrum *Ill. & Ill.* natalitia venerada, quæsumus, Domine, Ecclesia tua deuota suscipiat, & fiat magnæ glorificationis amore deuotior. Per.

Secreta.

HAEC Hostia, Domine, quæsumus, emundet nostra delicta, & ad venturam festiuitatem sanctorum Martyrum tuorum *Ill. & Ill.* celebrandam, subditorum sibi corpora mentesq. sanctificet. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Misericordiæ dator, & totius bonitatis auctor: qui ieiunijs, orationibus, & eleemosynis, peccatorum remedia, & virtutum omnium tribuis incrementa; Te humili deuotione precamur, vt qui sanctis tuis *Ill. & Ill.* quorum festa præuenimus, martyrij dedisti coronam, intercessionibus eorum ad hæc agenda nobis tribuas indefessam efficaciam. Per Christum.

AD COMPLENDVM.

PASCE nos, Domine, tuorum gaudijs vbique Sanctorum, quia nostræ salutis augmenta sunt, quoties illis honor impenditur, in quibus tu mirabilis prædicaris. Per.

SVPER POPVLVM.

PROTEGE, Domine, plebem tuam, & quam Martyrum tuorum *Ill. & Ill.* assidua tribuisti festiuitate, deuotam tibi semper placitam fieri precibus concede iustorũ. Per.

ORATIO VNDE SVPRA.

SINT tibi, Domine, quæsumus, nostri munera grata ieiunij, quia tunc eadem in Sanctorum *Ill. & Ill.* digna commemoratione deferimus, si & actus illorum pariter subsequamur. Per.

ALIA.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt populus tuus ad plenæ deuotionis affectum, Beatorum Martyrum *Ill. & Ill.* natalitijs præparetur, & eorum patrocinio promerente plenæ capiat securitatis augmentum. Per Dominum.

ALIA.

DEVS, qui nos annua Beatorum Martyrum tuorum *Ill. & Ill.* sollemnia frequentare concedis, præsta quæsumus, vt & deuotis eadem mentibus celebremus, & intercessionibus adiuuemur. Per Dominum nostrum.

ALIA.

DEVS, qui hodiernam diem Sanctorum tuorum *Ill. & Ill.* martyrio consecrasti, da nobis salutem mentis & corporis, vt & illorum passioni sit veneratio ex nostra deuotione, & nobis auxilium proueniat de eorum sanctissima intercessione. Per.

IN

A

IN NAT. PLVRIMORVM MARTYRVM.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui per glorioſi bella certaminis ad immortales triumphos Martyres extuliſti, da cordibus noſtris dignam pro eorum commemoratione lætitiam, vt quorum memoriam pio amore amplectimur, eorum precibus adiuuemur. Per.

SVPER OBLATA.

MVNERA tibi, Domine, noſtræ deuotionis offerimus, quæ & pro tuorum tibi gtata ſint honore iuſtorum, & nobis ſalutaria, Te miſerante, reddantur. Per.

B

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui Sanctorum Martyrum tuorum pia certamina ad copioſam perducis victoriam, atque perpetuum eis largiris triumphum, vt Eccleſiæ tuæ ſemper ſint in exemplum, præſta nobis, quæſumus, vt per eorum interceſſionem, quorum feſta celebramus, pietatis tuæ munera capiamus. Per Chriſtum.

AD COMPLENDVM.

PRAESTA nobis, quæſumus, Domine, vt quæ pro Martyrum tuorum *Ill. & Ill.* beata paſſione peregimus, ipſorum nobis fiant interceſſione ſalutaria, in quorum natalitijs ſunt exultanter impleta. Per Dominum noſtrum.

C

ALIA.

OMNIPOTENS ſempiterne Deus, qui in Sanctorum tuorum cordibus flammam tuæ dilectionis accendis, da mentibus noſtris eandem fidei & charitatis virtutem, vt quorum gaudemus triumphis, proficiamus exemplis. Per.

ALIA ORATIO.

AD defenſionem fidelium, Domine, quæſumus, dexteram tuæ Maieſtatis extende: &, vt perpetua pietatis tuæ protectione muniantur, interceſſio pro his non deſit Martyrum continuata ſanctorum. Per.

ALIA.

OMNIPOTENS & miſericors Deus, fidelium lumen animarum, adeſto votis ſollemnitatis hodiernæ, & Eccleſiæ tuæ gaudijs de Beatorum Martyrum *Ill. & Ill.*
D gloriâ conceptis benignus aſpira, vt & corda noſtra paſſione eorum igniantur, & apud miſericordiam tuam eorum iuuemur meritis, quorum gaudemus exemplis. Per Dominum noſtrum.

ALIA.

CONCEDE, quæſumus, omnipotens Deus, vt Sanctorum Martyrum tuorum, quorum celebramus victorias, participemus & præmijs. Per Dominum noſtrum.

IN VIGILIA VNIVS CONFESSORIS.

CONCEDE nobis, quæſumus, omnipotens Deus, ventutam Beati Confeſſoris tui *Ill.* ſollemnitatem congruo præuenire honore, & venientem digna celebrare deuotione. Per Dominum noſtrum.

E

SVPER OBLATA.

ACCEPTA tibi ſit, Domine, noſtræ deuotionis oblatio, & ad Sancti Confeſſoris tui *Ill.* puriores faciat nos venire feſtiuitatem. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et Maieſtatem tuam

suppliciter exorare, vt qui Beati *Ill.* Confessoris tui festum sollemnibus ieiunijs, & deuotis præuenimus officijs, illius apud Maiestatem tuam & adiuuemur meritis & instruamur exemplis. Per. A

AD COMPLENDVM.

BEATI Confessoris tui *Ill.* Domine, suffragijs exoratus percepta nos sacramenti tui virtute defende. Per Dominum nostrum.

SVPER POPVLVM.

BENEDICTIONIS tuæ, Domine, gratiam, intercedente Confessore tuo *Ill.* suscipiamus, vt cuius præueniendo, gloriam celebramus, eius supplicando auxilium sentiamus. Per Dominum nostrum. B

AD VESP.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, vt ad meliorem vitam Sancti Confessoris tui *Ill.* exempla nos prouocent, quatenus cuius sollemnia præuenimus, etiam actus imitemur, & intercessionibus adiuuemur. Per.

ALIA.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, vt sicut Confessoris tui *Ill.* gloriosa natalitia præueninius, sic ad tua beneficia promerenda, Maiestatem tuam pro nobis ipse præueniat. Per.

ALIA. C

ADESTO, Domine, populo tuo, vt Beati Confessoris tui *Ill.* merita præclara suscipiens, ad impetrandam misericordiam tuam semper eius patrocinijs adiuuemur & meritis. Per Dominum nostrum.

ALIA.

ABSOLVE, quæsumus, Domine, tuorum delicta populorum, & a peccatorum nexibus, quæ pro nostra fragilitate contraximus, intercedente Beato Confessore tuo *Ill.* tua benignitate liberemur. Per Dominum nostrum.

MISSA IN NAT. VNIVS CONFESSORIS. D

MISERICORDIAM tuam, quæsumus Domine, nobis, interueniente Beato Confessore tuo *Ill.* clementer impende, & nobis peccatoribus ipsius propitiare suffragijs. Per.

SVPER OBLATA.

PROPITIARE, quæsumus, Domine, supplicationibus nostris: & interueniente pro nobis Sancto *Ill.* Confessore tuo, his sacramentis cælestibus seruientes ab omni culpa liberos esse, concede, vt purificante nos gratia tua, ijsdem, quibus famulamur, mysterijs emundemur. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et in hac die, quam transitu sacro Beati Confessoris tui *Ill.* consecrasti: Quæsumus ergo clementiam tuam, vt des nobis illam sequi doctrinam, quam ille & verbo docuit, & opere compleuit. Quatenus nos adiuuari apud misericordiam tuam, & exemplis eius sentiamus & meritis. Per Christum Dominum nostrum. E

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et Te in Sanctorum tuorum virtute laudare, quibus pro meritis suis beatitudinis præmia contulisti. Quoniam

A niam semper in manu tua sunt,& non tanget illos tormentum mortis, quos Te custodiente, beatitudinis sinus intercludit. Vbi perpetua semper exultatione lætantur, vbi etiam Beatus Confessor tuus *Ill.* sociatus exultat. Petimus ergo, vt memor sit miseriarum nostrarum, & de tua misericordia nobis impetret beatitudinis suæ consortium. Per Christum.

AD COMPLENDVM.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt de perceptis muneribus gratias exhibentes, intercedente Beato Confessore tuo *Ill.* beneficia potiora sumamus. Per.

B SVPER POPVLVM.

AVRES pietatis tuæ, quæsumus, Domine, precibus nostris inclina, vt qui peccatorum nostrorum flagellis percutimur, intercedente Beato Confessore tuo *Ill.* miserationis tuæ gratia liberemur. Per.

ALIA.

SANCTI Confessoris tui *Ill.* nos, quæsumus, Domine, tuere præsidijs, vt eius semper intercessionibus adiuuemur. Per.

ALIA.

ADESTO, quæsumus, Domine, precibus nostris, quas in Sancti Confessoris tui *Ill.* commemoratione deferimus, vt qui nostræ iustitiæ fiduciam non habemus, eius, qui tibi placuit, precibus adiuuemur. Per Dominum nostrum.

ALIA.

EXVLTEMVS, quæsumus, Domine Deus noster in sollemnitate Beati Confes-
C soris tui *Ill.* vt eius sacra natalitia celebrantes, ad impetrandam misericordiam tuam, eius semper patrocinijs adiuuemur. Per.

ALIA.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, cui cuncta famulantur elementa, exaudi propitius, intercedente pro nobis Beato Confessore tuo *Ill.* orationem nostram, & tribue nobis misericordiam tuam: & quæcumq. præcipis, vt agamus, ipse adiuua vt implere possimus. Per Dominum nostrum.

D ALIA.

SANCTI Confessoris tui *Ill.* tribue nos, Domine, supplicationibus foueri, vt cuius depositionem annuo celebramus obsequio, eius apud te intercessionibus & meritis adiuuemur. Per.

MISSA IN VIGILIA PLVRIMORVM CONFESSORVM.

BEATORVM Confessorum tuorum, Domine, *Ill.* & *Ill.* natalitia præeuntes, supplices Te rogamus, vt quos cælesti gloria sublimasti, tuis adesse concedas fidelibus. Per.

E *Secreta.*

SACRIFICIVM, Domine, quod pro Beatis Confessoribus tuis *Ill.* & *Ill.* offert nostra deuotio, eorum meritis augeat nobis, Te donante, suffragium. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Sanctorum tuorum *Ill.* & *Ill.* sollemnitatem præuenimus, concede propitius, vt qui donis tuis, ita exiterunt glorioſi, apud te nostris existant nominibus idonei interuentores. Per Christum.

AD COMPLENDVM.

QVAESVMVS, Domine, salutaribus repleti mysterijs, vt quorum sollemnitatem præimus, eorum orationibus adiuuemur. Per.

SVPER POPVLVM.

CONSERVA, quæsumus, Domine, familiam tuam, & benedictionum tuarum A
propitius vbertate purifica, vt per intercessionem Beatorum Confessorum tuorum
Ill. & eruditionibus tuis semper multiplicetur & donis. Per Dominum nostrum.

ALIA.

PROPITIARE misericors Deus, supplicationibus nostris, & populum tuum per-
uigili protectione custodi, vt, qui Beatorum Confessorum tuorum *Ill. & Ill.* sollemnia
præuenimus, tribuas nobis ex eorum imitatione prospera mundi despicere, & nulla
eius aduersa formidare. Per.

ALIA.

DEVS, qui Beatos Confessores tuos *Ill. & Ill.* Sanctorum tuorum meritis coæqua- B
sti, da nobis in eorum celebritate gaudere, vt quorum commemorationem agimus,
eorum imitatione proficiamus, & intercessionibus subleuemur. Per.

IN NAT. PLVRIMORVM CONFESSORVM.

PRAESTA, Domine, quæsumus, vt sicut Sanctorum tuorum *Ill. & ill.* nos na-
talitia celebranda non deserunt, ita iugiter suffragijs comitentur. Per.

SVPER OBLATA.

MVNERA, Domine, plebis tuæ, quæsumus, Beatorum Confessorum tuorum *Ill.*
& Ill. fiant grata suffragijs, & pro quorum triumphis tuo nomini offeruntur, ipso- C
rum digna perficiantur & meritis. Per Dominum nostrum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique
gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et Maiestatem tuam
supplici deuotione exorare, vt Beatorum Confessorum tuorum *Ill. & Ill.* quorum ho-
die festa celebramus, obtentu mereamur tuum obtinere auxilium. Per Christum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gra-
tias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et Te in tuorum honore
Sanctorum *Ill. & Ill.* glorificare, qui & illis pro certaminis constantia beatitudinem D
tribuisti sempiternam, & infirmitati nostræ talia præstitisti suffragia, quæ pro eorum
meritis possis audire dignanter. Per Christum.

AD COMPLENDVM.

ET natalitijs Sanctorum tuorum, Domine, & sacramenti munere vegetati, quæ-
sumus, vt bonis, quibus per tuam gratiam nunc fouemur, perfruamur æternis. Per
Dominum nostrum.

SVPER POPVLVM.

ADESTO, Domine, precibus populi tui cum Sanctorum tuorum *Ill. & ill.* patro-
cinio supplicantis, vt, quod propria fiducia non præsumit, suffragantium meritis
consequantur. Per.

ALIA.

MAGNIFICANTES, Domine, misericordiam tuam suppliciter exoramus, vt E
qui nos Sanctorum tuorum frequentibus facis natalitijs interesse, perpetuis tribuas
interesse consortijs. Per.

ALIA.

DA nobis omnipotens Deus, in Sanctorum tuorum Te semper commemoratione
laudare, quia refouere curabis, quos in honore tuo perseuerare concedis. Per Do-
minum nostrum.

ALIA.

SANCTORVM tuorum *Ill. & Ill.* Domine, suffragijs imploramus, vt a cunctis li-
beremur offensis. Per Dominum nostrum.

ALIA.

A

ALIA.

EXAVDI nos omnipotens & misericors Deus, & Sanctorum tuorum nos vbique tuere præsidijs. Per.

ALIA.

TRIBVE, quæsumus, Domine, Sanctos tuos iugiter orare pro nobis, & semper eos clementer digneris audire. Per Dominum nostrum.

ALIA.

SANCTI tui, quæsumus, Domine, iugiter nobis a te & veniam postulent, & profectum. Per.

B

IN VIGILIA S. VIRG. ET MART.

SANCTAE Martyris tuæ *Ill.* Domine, supplicationibus tribue nos foueri, vt cuius venerabilem sollemnitatem præuenimus, obsequio eius intercessionibus commendemur & meritis. Per Christum.

SVPER OBLATA.

MVNERIBVS nostris, Domine, Sanctæ *Ill.* Martyris tuæ festa præcedimus, præsta quæsumus, vt, quæ peccatorum nostrorum præpediuntur obstaculis, illius meritis reddantur accepta. Per Dominum nostrum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique
C gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et Te Beatæ *Ill.* natalitia præueniendo, laudare, prædicare, & benedicere: quam tanto munere sublimasti, vt ei conferres & virginitatis coronam & martyrij palmam. Cuius interuentus nos, quæsumus, a nostris mundet delictis, & supernorum ciuium faciat adsciscí consortijs. Per Christum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et te Beatæ *Ill.* natalitia præuenimus, laudare, prædicare, & benedicere: quam tanto munere sublimasti, vt ei conferres virginitatis coronam, & martyrij palmam: sicq. virtute fidei, & decore pudicitiæ polleret, vt cælestia regna Virgo pariter & Martyr intraret. Per Christum.

D

AD COMPLENDVM.

QVAESVMVS, omnipotens Deus, vt quorum nos tribuis communicare memorijs, eorum facias veraciter imitatores. Per.

IN NAT. SS. VIRGINVM, ET MARTYRVM.

DEVS, qui inter cetera potentiæ tuæ miracula, etiam in sexu fragili victoriam martyrij contulisti, concede propitius, vt cuius natalitia colimus, per eius ad Te
exempla gradiamur. Per Dominum nostrum.

E

SVPER OBLATA.

IN Sanctæ Virginis *Ill.* festiuitate pretiosa, tua, Domine, mirabilia prædicantes, munera votiua deferimus: præsta quæsumus, vt sicut eius tibi grata sunt merita, sic nostræ seruitutis accepta reddantur officia. Per Dominum nostrum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Quem Beata Virgo pariter & Martyr *Ill.* & diligendo timuit, & timendo dilexit. Illiq. coniuncta est moriendo, cui se consecrauerat caste viuendo. Et

pro

pro eo temporalem ſtuduit ſuſtinere pœnam, vt ab eo perciperet gloriam ſempiternam. Quæ, dum duplicem vult ſumere palmam in ſacri certaminis agone, & de corporis integritate, & de fidei puritate, laborioſius duxit longa antiqui hoſtis ſuſtinere tentamenta, quàm vitam præſentem cito amittere per tormenta. Quoniam cum in martyrio proponantur ea, quæ terreant, in carnis vero delectamentis ea, quæ mulceant, moleſtius ſuſtinetur hoſtis occultus, quàm ſuperarur infeſtus. Cum ergo in vtroque, tui ſit muneris quòd vicit, quia nihil valet humana fragilitas, niſi tua hanc adiuuet pietas; pro nobis, quæſumus, tuam pietatem exoret, quæ a te accepit, vt vinceret. Et quæ Vnigeniti rui intrare meruit thalamum, interceſſione ſua inter mundi huius aduerſa nobis præſtet auxilium. Per quem, Maieſtatem tuam. A

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum: Cuius charitatis ardore, Iſta, & omnes Sanctæ Virgines, a Beata Maria exemplum Virginitatis accipientes, præſentes ſæculi voluptates ac delicias contempſerunt. Quoniam tuo dono actum eſt, vt poſtquam Virgo de Virgine prodijt, ſexus fragilis eſſet fortis: & in quo fuit peccandi facilitas, eſſet vincendi felicitas. Antiquusq. hoſtis, qui per antiquam Virginem genus humanum ſe viciſſe gloriabatur, per ſanctas nunc Virgines, ſequaces potius Mariæ quàm Euæ vincatur. Et in eo maior ei confuſio creſcat, quòd de eo etiam ſexus fragilis iam triumphat. Quapropter immenſam pietatem tuam humiliter expoſcimus, vt per earum interceſſionem, quæ & ſexum vicerunt & ſæculum, tibiq. placuerunt & virginitatis decore & paſſionis vigore, nos mereamur & inuiſibilem hoſtem ſuperare, & Vnigenito tuo, Domino noſtro, adhærere. Per quem, Maieſtatem. B C

AD COMPLENDVM.

AVXILIENTVR nobis, Domine, ſumpta myſteria, & intercedente Beata *Ill.* Martyre tua, ſempiterna protectione confirment. Per Dominum noſtrum.

SVPER POPVLVM.

INDVLGENTIAM nobis, Domine, Beata *Ill.* Martyr imploret, quæ tibi ſemper grata extitit, & merito caſtitatis & tuæ profeſſione virtutis. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium ruum.

ALIA MISSA VNDE SVPRA. D

DEVS, qui nos hodie Sanctæ Virginis *Ill.* annua ſollemnitate lætificas: concede propitius, vt eius adiuuemur meritis, cuius caſtitatis radiamur exemplis. Per Dominum noſtrum.

Secreta.

GRATA ſit tibi, Domine, hæc oblatio plebis tuæ, quam tibi offerimus in honorem Sanctæ *Ill.* Virginis, vt cunctis proficiat ad ſalutem. Per.

AD COMPLENDVM.

ADIVVENT nos, quæſumus, Domine, & hæc myſteria ſancta, quæ ſumpſimus, & Beatæ *Ill.* Virginis interceſſio veneranda. Per. E

BENEDICTIO VESTIVM VIRGINIS.

DEVS æternorum bonorum fideliſſime promiſſor, certiſſime perſolutor; qui veſtimentum ſalutare, & indumentum æternæ iucunditatis tuis fidelibus promiſiſti, clementiam tuam ſuppliciter exoramus, vt hæc indumenta humilitatem cordis, & contemptum mundi ſignificantia, quibus famula tua *Ill.* ſancto inuiſibiliter eſt informanda propoſito, propitius bene ✠ dicas, & beatæ caſtitatis habitum, quem, Te inſpirante ſuſceperit, Te protegente cuſtodiat: & quam veſtibus venerandæ profeſſionis induis temporaliter, beata facias immortalitate veſtiri. Per Dominum noſtrum.

ALIA.

ALIA.

A DEVS, bonarum virtutum dator, & omnium benefectionum largus infusor, exaudi preces nostras, & hanc vestem, qua famula tua *Ill.* pro conseruandæ castitatis signo, se ad operiendam expoſcit, bene ✠ dicere & sanctificare digneris. Per Dominū.

ALIA.

EXAVDI, omnipotens Deus, preces nostras, & hanc vestem, qua famula tua *Ill.* se ad operiendam expoſcit, vberrimæ benedictionis imbre perfunde, sicut perfudisti ora vestimentorum Aaron benedictione profluente a capite in barbam vnguenti. Et sicut benedixisti vestes omnium religiosorum tibi per omnia placentium, ita eam benedicere dignare, ac præsta clementissime Pater, vt supradictæ famulæ tuæ hæc sit vestis salubris protectio, hæc cognitio religionis, hæc initium sanctitatis, hæc contra omnia tela inimici robusta defensio, vt centesimi muneris opulentia perseueranti con-
B tinentia ditetur. Per Dominum nostrum.

Benedictio Virginis ab Epiſcopo dicenda, quæ fit in Epiphania, vel ſecunda feria Paſchæ, aut quando Apoſtolorum natalitia celebrantur, & veſtimenta nigra forinſecus geſtant.

RESPICE propitius super hanc famulam tuam *Ill.* vt sanctæ virginitatis propositum, quod, Te inspirante, susceptit, Te gubernante, custodiat. Per.

CONSECRAT.

DEVS, castorum corpotum benignus inhabitator, & incorruptarum amator animarum, qui humanam substantiam in primis hominibus diabolica fraude vitiatam,
C ita in verbo tuo, per quod omnia facta sunt, reparas, vt eam non solum ad primæ originis innocentiam reuoces, sed etiam ad experientiam quorumdam bonorum, quæ in hoc sæculo sunt habenda, perducas, & obstrictos adhuc conditione mortalium, iam ad similitudinem prouehas Angelorum: respice super hanc famulam tuam *Ill.* quæ tibi deuotionem suam offert, a quo & ipsa idem votum assumpsit. Sit in ea, Domine, per donum Spiritus tui, prudens modestia, sapiens benignitas, grauis leuitas, casta libertas, ferueat in charitate, & nihil extra se diligat, laudabiliterq. viuat, & laudari non appetat, Te timeat, Tibi amore seruiat: Tu ei honor, tu gaudium, tu in mœrore solatium, tu in ambiguitate consilium, tu in iniuria defensio, in tribulatio-
D ne patientia, in paupertate abundantia, in ieiunio cibus, in infirmitate sis medicina: Per Te, quem diligere super omnia appetit, quod est professa custodiat, vt & hostem antiquum deuincat, & vitiorum squalores expurget. Quatenus centesimi fructus dominus virginitatis decorari, virtutumq. lampadibus exornari, & electarum Virginum tuarum consortio, Te donante, mereatur vniri. Per eundem.

MISSA IN CONSECRATIONE VIRGINIS.

DA quæsumus, Domine, famulæ tuæ *Ill.* quam virginitatis honore dignatus es decorare inchoati operis consummatum effectum, & vt perfectam tibi offerat plenitudinem, initia sua mereatur perducere ad finem. Per.

E

SVPER OBLATA.

OBLATIS Hostijs, Domine, quæsumus, præsentis famulæ tuæ *Ill.* perseuerantiam perpetuæ virginitatis accomoda, vt, apertis ianuis, summi Regis aduentu, regnum cæleste cum lætitia mereatur intrare. Per.

AD COMPLENDVM.

RESPICE, Domine, famulæ tuæ *Ill.* debitam seruitutē, vt inter humanæ fragilitatis incerta, nullis aduersitatibus opprimatur, quæ de tuæ protectione confidit. Per.

ORATIO AD ABBATISSAM FACIENDAM.

EXAVDI, Domine, preces nostras: & super hanc famulam tuam *Ill.* Spiritum tuæ benedi-

benedictionis emitte, vt cælesti munere ditata, & tuæ gratiam possit Maiestatis acquirere, & bene viuendi alijs exemplum præbere. Per Dominum nostrum Iesum A
Christum.

HEBDOMADA II. POST PENTECOST.

DEVS, in te sperantium fortitudo, adesto propitius inuocationibus nostris: & quia sine te nihil potest mortalis infirmitas, præsta auxilium gratiæ tuæ, vt in exequendis mandatis tuis, & voluntate tibi & actione placeamus. Per.

Secreta.

OBLATIONEM nostram, quæsumus, Domine, misericorditer acceptare, & sanB
ctificare digneris, vt eius sanctificatione nobis salus proueniat, & defensio sempiterna. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui Ecclesiæ tuæ filios sicut non cessas erudire, ita non desinis adiuuare: vt & scientiam, Te miserante, recta faciendi, & possibilitatem capiant exequendi. Per Christum.

AD COMPLENDVM.

TANTIS, Domine, repleti muneribus, quæsumus, vt & salutaria dona capiaC
mus, & a tua numquam laude cessemus. Per.

SVPER POPVLVM.

FIDELES tuos, Domine, benedictio desiderata confirmet, quæ eos & a tua voluntate faciat numquam discrepare, & tuis semper indulgeat beneficijs gratulari. Per eundem Dominum nostrum.

DOMINICA III. POST PENTECOST.

SANCTI nominis tui, Domine, timorem pariter & amorem fac nos habere perpetuum, quia numquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuæ dilectionis instituis. Per Dominum. D

SVPER OBLATA.

OBLATIO nos, Domine, tuo nomini dicanda putificet, & de die in diem ad cælestis vitæ transferat actionem. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Per quem, Maiestatem tuam suppliciter exoramus, vt ab Ecclesia tua quidquid est noxium tu repellas; & quod eidem salutare est, largiaris: Nosq. contra superbos spiritus humilitatem tribuas rationabilem custodire, cum gratiam tuam clementer nobis impendis: nec humani incertos consilij derelinquas, sed tua, quæ falli E
non potest, gubernatione disponas. Per quem.

AD COMPLENDVM.

SVMPTIS muneribus, Domine, quæsumus, vt cum frequentatione mysterij, crescat nostræ salutis effectus. Per Dominum.

SVPER POPVLVM.

DEVS, qui Te in rectis ac sinceris manere pectoribus asseris, da nobis tua gratia tales existere, in quibus habitare digneris. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

HEB-

A

HEBDOMADA IV. POST PENTECOST.

DEPRECATIONEM noſtram, quæſumus, Domine, benignus exaudi: & quibus ſupplicandi præſtas affectum, tribue defenſionis auxilium. Per eundem.

Secreta.

MVNERA, Domine, oblata ſanctifica, vt tui nobis Vnigeniti corpus & ſanguis fiant. Per Dominum.

PRAEFATIO.

B VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare; Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Cuius hoc mirificum opus ac ſalutare myſterium fuit, vt perditi dudum atque proſtrati; de diabolo & mortis aculeo, ad hanc gloriam vocaremur, qua nunc genus electum, ſacerdotiumq. regale, populus acquiſitionis, & gens ſancta vocaremur. Agentes igitur indefeſſas gratias, ſanctamq. munificentiam tuam prædicantes, Maieſtati tuæ hæc ſacra deferimus, quæ nobis ipſe ſalutis noſtræ auctor Chriſtus inſtituit. Per quem, Maieſtatem tuam.

AD COMPLENDVM.

SACRIS muneribus, Domine, quæſumus, perceptis, vt nos eorum virtute, & a vitijs omnibus expies, & donis tuæ gratiæ iugiter repleas. Per Dominum noſtrum.

SVPER POPVLVM.

TEMPORA noſtra, quæſumus, Domine, pio fauore proſequere, & quibus curſum tribuis largiorem, præſta continuum benignus auxilium. Per Dominum noſtrū.

C

DOMINICA V. POST PENTECOST.

PROTECTOR in te ſperantium Deus, ſine quo nihil eſt validum, nihil ſanctum, multiplica ſuper nos miſericordiam tuam, vt te Rectore, te Duce, ſic tranſeamus per bona temporalia, vt non amittamus æterna. Per Dominum noſtrum.

SVPER OBLATA.

RESPICE, Domine, munera ſupplicantis Eccleſiæ, & ſaluti credentium perpetua ſanctificatione ſumenda, concede. Per.

D

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et omnipotentiam tuam iugiter implorare, vt nobis & præſentis vitæ ſubſidium & æternæ tribuas præmium ſempiternum. Quò ſic mutabilia dona capiamus, vt per hæc ad incommutabilia dona peruenire valeamus: ſic temporalis lætitiæ tempora tranſeant, vt eis gaudia ſempiterna ſuccedant. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

E

AD COMPLENDVM.

SANCTA tua nos, Domine, ſumpta viuificent, & miſericordiæ ſempiternæ præparent expiatos. Per Dominum noſtrum.

SVPER POPVLVM.

RESPICE propitius plebem tuam, & toto tibi corde ſubiectam, præſidijs inuictæ pietatis attolle. Per Dominum.

HEBDOMADA VI. POST PENTECOST.

DA nobis, quæſumus, Domine, vt & mundi curſus pacifico nobis tuo ordine dirigatur, & Eccleſia tua tranquilla deuotione lætetur. Per Dominum.

Secre-

Secreta.

ASCENDANT, quæsumus Domine, preces humilitatis nostræ in conspectu clementiæ tuæ, & descendat super hæc oblata virtus tuæ diuinitatis, quam nostris quoque purificandis mentibus largiaris. Per Dominum. A

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Maiestatem tuam suppliciter deprecantes, vt opem tuam petentibus dignanter impendas, & desiderantibus benignus tribuas profutura. Per Christum Dominum.

AD COMPLENDVM. B

MYSTERIA nos, Domine, sancta purificent, & suo munere tueantur. Per.

SVPER POPVLVM.

EXAVDI nos, Deus salutaris noster, & dies nostros in tua pace dispone, vt a cunctis perturbationibus liberati, tranquilla tibi seruitute famulemur. Per.

DOMINICA VII. POST PENTECOST.

DEVS, qui diligentibus te bona inuisibilia præparasti, infunde cordibus nostris tui amoris affectum, vt te in omnibus, & super omnia diligentes, promissiones tuas, quæ omne desiderium superant, consequamur. Per. C

SVPER OBLATA.

PROPITIARE, Domine, supplicationibus nostris, & has oblationes famulorum famularumq. ruarum benignus assume, vt quod singuli obtulerunt ad honorem nominis tui, cunctis proficiat ad salutem. Per Dominum nostrum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Verum æternumq. Pontificem, & solum sine peccati macula sacerdotem. Cuius sanguine, fidelium corda mundantur: cuius institutione, placationis tibi Hostias non solum pro delictis populi, sed etiam pro nostris offensionibus immolamus: Tuam poscentes clementiam, vt omne peccatum, quod carnis fragilitate contraximus, ipso summo pro nobis Antistite interueniente, soluatur. Per quem. D

AD COMPLENDVM.

QVOS cælesti, Domine, dono satiasti, præsta quæsumus, vt a nostris mundemur occultis, & ab hostium liberemur insidijs. Per.

SVPER POPVLVM.

PROTEGAT, Domine, quæsumus, tua dextera populum supplicantem, vt præsentem vitam sub tua gubernatione transcurrens, mereatur inuenire perpetuam. Per Dominum nostrum.

E

HEBDOMADA VIII. POST PENTECOST.

DEVS virtutum, cuius est totum, quod est optimum, insere pectoribus nostris amorem tui nominis: & præsta in nobis religionis augmentum, vt quæ sunt bona nutrias: ac pietatis studio, quæ sunt nutrita custodias. Per.

Secreta.

PROPITIARE, Domine, supplicationibus nostris, & has populi tui oblationes benignus assume: &, vt nullius sit irritum votum, & nullius vacua postulatio, præsta quæsumus, vt quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Dominum.

PRAE-

PRAEFATIO.

A VERE dignum & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et tibi vouere contriti sacrificium cordis, tibi litare humiliati victimam pectoris. A quo omne bonum sumimus, omnem iucunditatem hauriamus. Precamur itaque, vt tibi conscientia nostra famuletur, & vt in te de die in diem meliorata proficiat, tuæ gratiæ intemerata subdatur. Nostris nos, quæsumus, Domine, euacua malis, tuisq. reple per omnia bonis, vt percepta gratia, quam nostra non exigunt merita, a cunctis aduersitatibus liberati, & in bonis omnibus conformati, supernis ciuibus mereamur coniungi. Per Christum.

AD COMPLENDVM.

B REPLETI, Domine, muneribus tuis, quæsumus, vt eorum mundemur effectu, & muniamur auxilio. Per eundem.

SVPER POPVLVM.

DA nobis, quæsumus, Domine, vt in tua gratia veraciter confidentes, & quæ digna sunt postulemus, & iugiter postulata sumamus. Per.

DOMINICA IX. POST PENTECOST.

DEVS, cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur, Te supplices exoramus, vt noxia cuncta submoueas, & omnia nobis profutura concedas. Per.

SVPER OBLATA.

DEVS, qui legalium differentias Hostiarum vnius sacrificij perfectione sanxisti, accipe sacrificium a deuotis tibi famulis, & pari benedictione sanctifica, sicut mune-
C ra Abel: vt, quod singuli obtulerunt, ad Maiestatis tuæ honorem, cunctis proficiat ad salutem. Per Dominum nostrum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et tuam misericordiam totis nisibus exorare, ne pro nostra nos iniquitate condemnes, sed pro tua pietate in via recta semper disponas: nec sicut meremur, delinquentibus irascaris: sed fragilitati nostræ inuicta bonitate subuenias. Per Christum.

AD COMPLENDVM.

D TVA nos, Domine, medicinalis operatio, & a nostris peruersitatibus clementer expediat, & ad ea, quæ recta sunt, perducat. Per.

SVPER POPVLVM.

PLEBIS tuæ, quæsumus, Domine, ad te semper corda conuerte, vt quam tantis facis patrocinijs adinuari, perpetuis non desinas gubernare præsidijs. Per.

HEBDOMADA X. POST PENTECOST.

E LARGIRE nobis, Domine, quæsumus, semper spiritum cogitandi quæ recta sunt, propitius & agendi, vt qui sine te esse non possumus, secundum te viuere valeamus. Per.

Secreta.

SVSCIPE munera, quæsumus, Domine, quæ tibi de tua largitate deferimus, vt hæc sacrosancta mysteria gratiæ tuæ operante virtute, & præsentis vitæ nos conuersatione sanctificent, & ad gaudia sempiterna perducant. Per Dominum nostrum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et tuam misericordiam

exorare, vt Te annuente valeamus, quæ mala sunt, declinare, & quæ bona sunt consequenter explere: & quia nos fecisti ad tua sacramenta pertingere, Tu clementer in nobis eorum munus operare. Per Christum. A

AD COMPLENDVM.

SVMPTIS, Domine, tuæ institutionis muneribus, quæsumus, vt nos eorum & munditia purges, & potenti virtute defendas. Per Dominum.

SVPER POPVLVM.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, vt viam tuam deuota mente currentes suscipientium delictorum laqueos euadamus. Per Dominum nostrum. B

DOMINICA XI. POST PENTECOST.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens & misericors Deus, vt inter huius vitæ caligines, nec ignorantia fallente mergamur, nec præcipiti studeamus voluntate peccare: sed quibus fiduciam sperandæ pietatis indulges, optatæ misericordiæ præsta benignus effectum. Per.

SVPER OBLATA.

CONCEDE nobis hæc, quæsumus, Domine, digne frequentare mysteria: quia quoties huius Hostiæ commemoratio celebratur, opus nostræ redemptionis exercetur. Per.

PRAEFATIO. C

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et tibi debitam seruitutem, per ministerij huius impletionem persoluere: quia non solum peccantibus veniam tribuis, sed etiam præmia petentibus impertiris. Et quod perpeti malis operibus promeremur, magnifica pietate depellis, vt nos ad tuæ reuerentiæ cultum, & terrore cogas, & amore perducas. Per Christum.

AD COMPLENDVM.

TVI nobis, Domine, communio sacramenti, & purificationem conferat, & tribuat vnitatem. Per.

SVPER POPVLVM. D

CONSERVA, quæsumus, Domine, tuorum corda fidelium & gratiæ tuæ virtute corrobora, vt & in tua sint supplicatione deuoti, & mutua dilectione sinceri. Per Dominum nostrum.

HEBDOMADA XII. POST PENTECOST.

DEVS, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime, & miserando manifestas, multiplica super nos misericordiam tuam, vt ad tua promissa currentes, cælestium bonorum faciasesse consortes. Per Dominum nostrum.

Secreta.

TIBI, Domine, sacrificia dicata reddantur, quæ sic ad honorem nominis tui deferenda tribuisti, vt eadem remedia fieri nostra præstares. Per Dominum. E

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Cuius primum tuæ pietatis iudicium est, si tibi nos facias toto corde subiectos, & spiritum nobis tantæ deuotionis infundas, vt propitius largiaris consequenter auxilium. Per Christum.

AD COMPLENDVM.

QVAESVMVS, Domine Deus noster, vt quos diuinis reparare non desinis sacramentis, tuis non destituas benignus auxilijs. Per.

SVPER

SVPER POPVLVM.

A FIDELES tuos, Domine, quæsumus, corpore pariter & mente purifica, vt tua inspiratione compuncti, noxias delectationes vitare prævaleant: atque, vt earum non capiantur illecebris, tua semper suauitate pascantur. Per.

DOMINICA XIII. POST PENTECOST.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui abundantia pietatis tuæ, & merita supplicum excedis & vota, effunde super nos misericordiam tuam, vt dimittas quæ conscientia metuit, & adijcias quod oratio non præsumit. Per.

Secreta.

B RESPICE, Domine, quæsumus, nostram propitius seruitutem, vt quod offerimus, sit tibi munus acceptum, sit nostræ fragilitatis subsidium. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui nos castigando sanas, & refouendo benignus erudis, dum magis vis saluos esse correctos, quàm perire deiectos. Per Christum Dominum nostrum.

AD COMPLENDVM.

SENTIAMVS, Domine, quæsumus, tui perceptione sacramenti subsidium mentis & corporis, vt in vtroque saluati, cælestis remedij plenitudine gloriemur. Per.

SVPER POPVLVM.

C TVERE, Domine, populum tuum, & salutaribus præsidijs semper adiutum beneficijs attolle continuis & mentis & corporis. Per.

HEBDOMADA XIV. POST PENTECOST.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, per quem cœpit esse, quod non erat, & factum est visibile, quod latuit, stultitiam nostri cordis emunda: & quæ in nobis sunt vitiorum secreta purifica, vt possimus tibi Domino pura mente seruire. Per Dominũ.

Secreta.

OFFERIMVS tibi, Domine, Hostiam placationis & laudis, humiliter implorantes, vt & eam placabili pietate respicias, & offerentium preces clementi largitate exaudias. Per.

D PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Quia tu in nostra semper infirmitate faciens virtutem, Ecclesiam tuam inter aduersa crescere tribuisti: vt cum putaretur oppressa, tunc potius prævaleret exaltata: dum simul & experientiam fidei declarat afflictio, & victoriosissima semper perseuerat, Te adiuuante, deuotio. Pe Christum.

AD COMPLENDVM.

VIVIFICET nos, quæsumus, Domine, huius participatio sancta mysterij, & pariter nobis expiationem tribuat & munimen. Per Dominum.

SVPER POPVLVM.

E OMNIPOTENS & misericors Deus, de cuius munere venit, vt tibi a fidelibus tuis digne & laudabiliter seruiatur, tribue, quæsumus, vt ad promissiones tuas sine offensione curramus. Per.

HEBDOMADA XV. POST PENTECOST.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, da nobis fidei, spei & charitatis augmentum: & vt mereamur assequi quod promittis, fac nos amare quod præcipis. Per.

Secreta.

PROPITIARE, Domine, populo tuo, propitiare muneribus, vt hac oblatione placatus, & indulgentiam nobis tribuas & poſtulata concedas. Per. A

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui nos de donis bonorum temporalium ad perceptionem prouehis æternorum, & hæc tribuis & illa largiris, vt & manſuris iam incipiamus inſeri, & prætereuntibus non teneri: tuum eſt enim quòd viuimus: quia licet peccati vulnere natura noſtra ſit vitiata, tui tamen eſt operis, vt terreni generati ad cæleſtia renaſcamur. Per Chriſtum. B

AD COMPLENDVM.

CAELESTIBVS, Domine, donis ſatiatos, quæſumus, vt & voluntate pie recteq. viuendi, & virtute atque efficacia perficiendi, nos iugiter donare digneris. Per Dominum, &c.

SVPER POPVLVM.

CONSERVA, quæſumus, Domine, populum tuum, & quem ſalutaribus præſidijs non deſinis adiuuare perpetuis, tribue gaudere beneficijs & mentis & corporis. Per Dominum noſtrum.

C

HEBDOMADA XVI. POST PENTECOST.

CVSTODI, Domine, Eccleſiam tuam propitiatione perpetua: & quia ſine te labitur humana mortalitas, tuis ſemper auxilijs & abſtrahatur a noxijs & ad ſalutaria dirigatur. Per Dominum.

Secreta.

HOSTIAM ſacrificij ſingularis tibi, Domine, deferentes petimus, vt eius virtute nos & a peccatis emacules, & tua ſanctificatione dignos efficias. Per Dominum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum: Qui æternitate Sacerdotij ſui, omnes tibi ſeruientes ſanctificat Sacerdotes: quoniam mortali carne circumdati, ita quotidianis peccatorum remiſſionibus indigemus, vt non ſolum pro populo, ſed etiam pro nobis eiuſdem Te Pontificis ſanguis exoret. Per quem, Maieſtatem tuam. D

AD COMPLENDVM.

PRAESTA nobis, miſericors Deus, vt placationem tuam promptis mentibus exoremus, & per ſacramenta, quæ ſumpſimus, peccatorum veniam conſequentes, a noxijs liberemur incurſibus. Per Dominum.

SVPER POPVLVM.

PROPITIARE, Domine, populo tuo, & ab omnibus illum abſolue peccatis, vt quod noſtris offenſionibus promeremur, tua indulgentia repellatur. Per. E

DOMINICA XVII. POST PENTECOST.

ECCLESIAM tuam, Domine, miſeratio continuata mundet & muniat, & quia ſine te non poteſt ſalua conſiſtere, tuo ſemper munere gubernetur. Per Dominum.

Secreta.

TVA nos, Domine, ſacramenta cuſtodiant: & contra diabolicos tueantur ſemper incurſus. Per Dominum noſtrum.

PRAE-

PRAEFATIO.

A VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et te inecessanter precari, vt qui Te Auctore subsistimus, Te dispensante dirigamur. Non nostris sensibus relinquamur, sed ad tuæ reducti semper tramitem veritatis, hæc studeamus exercere quæ præcipis, vt possimus dona percipere quæ promittis. Per Christum.

AD COMPLENDVM.

MENTES nostras & corpora possideat, Domine, quæsumus, dori cælestis operatio, vt non noster sensus in nobis, sed iugiter eius præueniat effectus. Per Dominũ.

SVPER POPVLVM.

B ADESTO, Domine, supplicationibus nostris, & nihil de sua conscientia præsumentibus, ineffabili miseratione succurre, vt quod non habet fiducia meritorum, tua conferat largitas inuicta donorum. Per.

HEBDOMADA XVIII. POST PENTECOST.

ABSOLVE, quæsumus, Domine, tuorum delicta populorum, & a peccatorum nostrorum nexibus, quæ pro nostra fragilitate contraximus, tua benignitate liberemur. Per.

SVPER OBLATA.

PRO nostræ seruitutis augmento sacrificium tibi laudis offerentes, quæsumus, Domine, vt quod in meritis contulisti, propitius exequaris. Per Dominum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Quia, cum laude no
C stra non egeas, grata tibi tamen est tuorum deuotio famulorum: nec te augent nostra præconia, sed nobis proficiunt ad salutem. Quoniam sicut fontem vitæ præterire causa moriendi est, sic eodem iugiter redundare, effectus est sine fine viuendi. Per Christum.

AD COMPLENDVM.

SALVTARIS Hostiæ participatione recreati, quæsumus, omnipotens Deus, vt eius potentia singulari nos ipsos tibi holocaustum facias sempiternum. Per.

SVPER POPVLVM.

D A, quæsumus, Domine, populo tuo & mentem, qua tibi deuotus existat: & in
D tellectum, quo iusta deposcat: & propitiationem tuam, qua pie desiderantibus profutura perficias. Per.

DOMINICA XIX. POST PENTECOST.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, misericordiam tuam ostende supplicibus, vt qui de meritorum qualitate diffidimus, non iudicium tuum, sed indulgentiam sentiamus. Per Dominum.

Secreta.

E HVIVS te, Domine, muneris oblatione placemus, & perpetuæ vitæ participes huius operatione reddamur. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æqnum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Qui vicit diabolum & mundum, hominemq. paradiso restituit, & vitæ ianuas credentibus patefecit. Per quem, Maiestatem tuam.

AD COMPLENDVM.

CAELESTIS mensæ, quæsumus, Domine, sacrosancta libatio corda nostra purget semper & pascat. Per Dominum nostrum.

SVPER POPVLVM.

ADESTO, Domine, populis tuis in tua protectione fidentibus, & tuæ se dexteræ suppliciter inclinantes perpetua defensione conserua. Per. A

HEBDOMADA XX. POST PENTECOST.

FAC nos, Domine, quæsumus, tibi prompta voluntate subiectos, & ad supplicandum, tibi nostras semper excita voluntates. Per.

Secreta.

MVNDA nos, Domine, sacrificij præsentis effectu, & perfice miseratus in nobis, vt eius mereamur esse participes. Per.

PRAEFATIO. B

VERE dignum & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et tuam Maiestatem humiliter implorare, vt Iesus Christus filius tuus Dominus noster sua nos gratia protegat & conseruet: vt, quia sine ipso nihil recte valemus efficere, ipsius munere capiamus, vt tibi semper placere possimus. Per quem, Maiestatem.

AD COMPLENDVM.

PVRIFICA, Domine quæsumus, mentes nostras benignus: & renoua cælestibus sacramentis, vt consequenter & corporum præsens pariter & futurum capiamus auxilium. Per. C

SVPER POPVLVM.

RESPICE, Domine, propitius ad debitam tibi populi seruitutem, vt inter humanæ fragilitatis incerta, nullis aduersitatibus opprimatur, qui de tua protectione confidit. Per Dominum nostrum.

HEBDOMADA XXI. POST PENTECOST.

DA, quæsumus, Domine, populo tuo diabolica vitare contagia, & Te solum Dominum puro corde sectari. Per.

Secreta.

MAIESTATEM tuam, Domine, suppliciter deprecamur, vt hæc sancta, quæ gerimus, & præteritis nos delictis exuant & futuris. Per. D

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et suppliciter Te exorare, vt sic nos tuis bonis instruas sempiternis, vt temporalibus quoque consolari digneris: sic præsentibus refouere, vt ad gaudia nos mansura perducas. Per Christum.

AD COMPLENDVM.

SACRIFICIVM, quod tuæ, Domine Deus, obtulimus pietati, nobis ad veniam nostrorum proficiat peccatorum, & tuæ miserationis semper tribuat solatium. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

SVPER POPVLVM.

BENEDICTIONEM tuam, Domine, populus fidelis accipiat, qua corpore saluatus ac mente, & gratam tibi semper exhibeat seruitutem, & propitiationis tuæ beneficia semper inueniat. Per Dominum nostrum. E

HEBDOMADA XXII. POST PENTECOST.

DIRIGAT corda nostra, Domine, quæsumus, tuæ miserationis operatio, quia tibi sine te placere non possumus. Per Dominum.

Secreta.

DEVS, qui nos per huius sacrificij veneranda commercia, vnius summæq. diuinitatis

nitatis participes efficis, præsta quæsumus, vt & tuam cognoscamus veritatem, &
A eam dignus mentibus ac moribus assequamur. Per Dominum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui propterea iure punis errantes & clementer refoues castigaros, vt nos a malis operibus abstrahas, & ad bona faciēda conuertas: Quia non vis inuenire, quod damnes, sed potius esse quod corones. Qui cum pro nostris meritis iugiter mereamur affligi, tu tamen iudicium ad correctionem temperans, non perpetuam exerces ad pœnam. Iuste enim corrigis, & clementer ignoscis: in vtroque verax, in vtroque misericors. Qui nos ea lege di-
B sponis, vt coërcendo in æternum perire non sinas, & parcendo spatium tribuas corrigendi. Qui ideo malis præsentibus nos flagellas, vt ad bona futura perducas: ideo bouis temporalibus consolaris, vt de sempiternis facias certiores. Quò te & in prosperis & in aduersis pia semper confessione laudemus. Per Christum Dominum nostrū.

AD COMPLENDVM.

GRATIAS tibi referimus, Domine, sacro munere vegetati, tuam misericordiam deprecantes, vt dignos nos eius participatione perficias. Per Dominum.

SVPER POPVLVM.

FAMILIAE tuæ, quæsumus Domine, esto protector: & misericordiam tuam concede poscenti, qua tibi semper fiat obediens, & tua dona percipiat. Per.

C HEBDOMADA XXIII. POST PENTECOST.

OMNIPOTENS & misericors Deus, vniuersa nobis aduersantia propitiatus exclude, vt mente, & corpore pariter expediti, quæ tua sunt, liberis mentibus exequamur. Per Dominum nostrum.

Secreta.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, sic nos sacris muneribus tuam veniam promereri, vt nostros corrigamus excessus: sic farentibus relaxare delictum, vt coërceamus in suis prauitatibus obstinatos. Per Dominum.

PRAEFATIO.

D

D VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omniporens, æterne Deus: Et clementiam tuam, supplicitet exorare, vt Filius tuus Iesus Christus Dominus noster, qui se vsque in finem sæculi suis promisit fidelibus adfuturum, & præsentiæ corporalis mysterijs non deserat quos redemit, & Maiestatis suæ beneficijs non relinquat. Per quem, Maiestatē.

AD COMPLENDVM.

TVA nos, Domine, medicinalis operatio, & a nostris peruersitatibus clementer expediat, & tuis faciat semper inhærere mandatis, Per.

SVPER POPVLVM.

FAMILIAM tuam, quæsumus, Domine, dextera tua perpetuo circumdet auxilio, vt ab omni prauitate defensa, donis cælestibus prosequatur. Per.

E

HEBDOMADA XXIV. POST PENTECOST.

LARGIRE, quæsumus, Domine, fidelibus tuis indulgentiam placatus & pacem, vt pariter ab omnibus mundentur offensis, & secura tibi mente deseruiant. Per.

Secreta.

CAELESTEM nobis præbeant hæc mysteria, quæsumus, Domine, medicinam: & vitia nostri cordis expurgent. Per Dominum nostrum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique A
gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Maiestatem tuam
suppliciter deprecantes, vt expulsis azimis vetustatis, illius agni cibo satiemur & po-
culo, qui & nostram imaginem reparauit, & suam nobis gratiam repromisit, Iesus
Christus filius tuus.

AD COMPLENDVM.

SACRIFICIVM salutis nostræ tibi offerentes, quæsumus, Domine Deus noster,
vt concedas nobis purificatis mentibus semper tuæ pietatis celebrare mysterium. Per
Dominum nostrum.

SVPER POPVLVM.

DA salutem, quæsumus, Domine, populo tuo mentis & corporis, & perpetuis
consolationibus tuorum reple corda fidelium, vt tua protectione releuati, & pia ti-
bi deuotione complaceant, & tua semper beneficia consequantur. Per. B

HEBDOMADA XXV. POST PENTECOST.

DEVS, qui nos regendo conseruas, parcendo iustificas, & a temporali tribulatione
nos eripe, & gaudia nobis æterna largire. Per Dominum nostrum.

Secreta.

SVSCIPE, Domine, propitiatus Hostias, quibus & te placari voluisti, & nobis sa-
lutem potenti pietate restitui. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique
gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Do- C
minum nostrum: Per quem sanctum & benedictum nomen Maiestatis tuæ vbique
veneratur, adoratur, prædicatur, & colitur: Qui est origo salutis, via virtutis, & tuæ
propitiatio Maiestatis. Per quem.

AD COMPLENDVM.

IMMORTALITATIS alimoniam consequuti, quæsumus, Domine, vt quod ore
percepimus, mente sectemur. Per Dominum nostrum.

SVPER POPVLVM.

FAMILIAM tuam, quæsumus, Domine, continua pietate custodi, vt a cunctis
aduersitatibus Te protegente sit libera, & in bonis actibus tuo nomini sit deuota. D
Per eundem Dominum.

HEBDOMADA XXVI. POST PENTECOST.

DEVS, refugium nostrum & virtus, adesto pijs Ecclesiæ tuæ precibus auctor ip-
se pietatis & præsta, vt quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per.

Secreta.

DA, misericors Deus, vt hæc nos salutaris oblatio & a proprijs reatibus indesi-
nenter expediat, & ab omnibus tueatur aduersis. Per Dominum nostrum.

PRAEFATIO. E

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gra-
tias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et tibi debitas laudes
pio honore deferre, & mirabilium tuorum inenarrabilia præconia deuota mentis ve-
neratione celebrare. Teq. ineffabilem atque inuisibilem Deum laudare, benedicere,
adorare. Per Christum Dominum nostrum.

AD COMPLENDVM.

CAELESTI lumine, quæsumus, Domine, semper & vbique nos præueni, vt
mysterium, cuius nos participes esse voluisti, & puro cernamus intuitu, & digno per-
cipiamus effectu. Per.

SVPER

SVPER POPVLVM.

A PROTECTOR in te sperantium, Deus, salua populum tuum, vt a peccatis liber, & ab hoste securus, in tua semper gratia perseueret. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

HEBDOMADA XXVII. POST PENTECOST.

EXCITA, quæsumus, Domine, tuorum fidelium voluntates, vt diuini operis fructum propensius exequentes, pietatis tuæ remedia maiora percipiant. Per Dominũ.

Secreta.

PROPITIVS esto, Domine, supplicationibus nostris, & populi tui oblationibus precibusq. susceptis, omnium nostrum ad te corda conuerte, vt a terrenis cupiditaB tibus liberi, ad cælestia desideria transeamus. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Cuius est operis, quòd conditi sumus, muneris: quòd viuimus, pietatis, quòd tua erga nos dona cognoscimus. Quamuis enim natura nostra peccati vitiata sit vulnere, a terrenis tamen ad cælestia prouehitur tuo memorabili munere. Per Christum.

AD COMPLENDVM.

CONCEDE nobis, Domine, quæsumus, vt quidquid in nostra mente vitiosum C est, sacramenti quod sumpsimus medicatione curetur. Per.

SVPER POPVLVM.

EXCITA, Domine, tuorum corda fidelium, vt sacris intenta doctrinis, & intelligant quod sequantur, & sequendo fideliter apprehendant. Per Dominum nostrum.

HEBDOMADA V. ANTE NAT. DOMINI.

EXCITA, Domine, potentiam tuam, & veni, & quod Ecclesiæ tuæ promisisti, D vsque in finem sæculi clementer operare. Qui viuis & regnas cum Deo Patre in vnitate, &c.

Secreta.

SACRIFICIVM tibi, Domine, celebrandum placatus intende, quod & nos a vitijs nostræ conditionis emundet, & tuo nomini reddat acceptos. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Cuius primi aduentus mysterium, ita nos facias dignis laudibus & officijs celebrare, præsentemq. vitam inculpabilem ducere, vt secundum valeamus inE territi expectare. Per quem, Maiestatem.

AD COMPLENDVM.

ANIMAE nostræ, quæsumus, Domine Deus, hoc potiantur desiderio, vt a tuo Spiritu inflammentur, vt sicut lampades diuino munere satiati, ante conspectum venientis Christi filij tui velut clara lumina fulgeamus. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum.

SVPER POPVLVM.

PRECES populi tui, quæsumus, Domine, clementer exaudi, vt qui de aduentu Vnigeniti filij tui secundum carnem lætantur; in secundo, cum venerit in Maiestate sua, præmium æternæ vitæ percipiant. Per.

DOMI-

DOMINICA IV. ANTE NAT. DOMINI.

A

EXCITA, Domine, quæsumus, potentiam tuam & veni, vt ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis, Te mereamur protegente eripi, Te liberante, saluari. Qui viuis & regnas.

Secreta.

INTENDE, quæsumus, Domine, sacrificium singulare, vt huius participatione mysterij, quæ speranda credimus expectata sumamus. Per Dominum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Cui proprium est B
& singulare quòd bonus es, & nulla vnquam a te es commutatione diuersus: propitiare, quæsumus, supplicationibus nostris, & Ecclesiæ tuæ misericordiam tuam a
quam deprecatur, ostende, manifestans plebi tuæ Vnigeniti tui, & incarnationis mysterium, & aduentus admirabile sacramentum, vt in vniuersitate nationum constet esse perfectum, quod Vatum oraculis fuit ante promissum: percipiantq. dignitatem adoptionis, quos exornat confessio veritatis. Per quem.

AD COMPLENDVM.

SVSCIPIAMVS, Domine, misericordiam tuam in medio templi tui, & reparationis nostræ ventura sollemnia congruis honoribus præcedamus. Per.

C

SVPER POPVLVM.

DA, quæsumus, Domine, populo tuo Spiritum veritatis & pacis, vt & Te per aduentum Vnigeniti tui tota mente cognoscat, & quæ tibi sunt placita, toto corde sectetur. Per eundem Dominum nostrum.

HEBDOMADA III. ANTE NAT. DOMINI.

EXCITA, Domine, corda nostra, ad præparandas Vnigeniti tui vias, vt per eius aduentum purificatis tibi mentibus tibi seruire mereamur. Qui tecum viuit & regnat Deus.

SVPER OBLATA.

PLACARE, Domine, quæsumus, humilitatis nostræ precibus & hostijs, & vbi D
nulla suppetunt suffragia meritorum, tuæ nobis indulgentiæ succurre præsidijs. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui tuo inenarrabili munere præstitisti, vt natura humana ad similitudinem tui condita, dissimilis per peccatum & mortem effecta, nequaquam in æterna damnatione periret: sed vnde peccatum mortem contraxerat, inde vitam tua pietas immensa repararet: & antiquæ Virginis facinus, noua & intemerata Virgo Maria piaret. Quæ ab Angelo salutata, ab Spiritu sancto obumbrata, illum gignere meruit, qui cuncta nasci suo nutu concessit: quæ mirabatur & corporis integritatem, & conceptus fœcunditatem: gaudebatq. suum paritura Parentem, Iesum Christum Dominum nostrum. Per quem. E

AD COMPLENDVM.

REPLETI cibo spiritalis alimoniæ, supplices Te, Domine, deprecamur, vt huius participatione mysterij, doceas nos terrena despicere, & amare cælestia. Per Dominum, &c.

SVPER POPVLVM.

DA, quæsumus omnipotens Deus, cunctæ familiæ tuæ hanc voluntatem, Christo filio tuo Domino nostro venienti, in operibus iustis aptos occurrere, vt eius dexteræ sociati, regnum mereantur possidere cæleste. Per eundem Dominum nostrum.

HEB-

A HEBDOMADA II. ANTE NAT. DOMINI.

AVREM tuam, quæsumus, Domine, precibus nostris accomoda, & mentis nostræ tenebras gratia tuæ visitationis illustra. Per Dominum.

SVPER OBLATA.

DEVOTIONIS nostræ tibi, quæsumus, Domine, iugiter Hostia immoletur, quæ & sacri peragat institutа mysterij, & salutare tuum nobis mirabiliter operetur. Per eundem Dominum nostrum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum
B nostrum: Cuius incarnatione salus facta est mundi, & passione redemptio procurata est hominis procreati: ipse nos, quæsumus, ad æternum præmium perducat, qui redemit de tenebris infernorum, iustificetq. in aduentu secundo, qui nos redemit in primo. Quarenus illius nos a malis omnibus defendat sublimitas, cuius nos ad vitam erexit humilitas. Per quem, Maiestatem tuam.

AD COMPLENDVM.

IMPLORAMVS, Domine, clementiam tuam, vt hæc diuina subsidia a vitijs expiatos, ad festa ventura nos præparent. Per.

SVPER POPVLVM.

LAETIFICA, Domine, vultum familiæ tuæ, & erue animas nostras ex inferno
C inferiori, vt tui vultus contemplatione protecti, desideria carnis spiritali dominatione calcemus. Per Dominum.

MENSE X. FERIA IV.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt redemptionis nostræ ventura sollemnitas, & præsentis nobis vitæ subsidia conferat, & æternæ beatitudinis præmia largiatur. Per.

ALIA.

D FESTINA, quæsumus, Domine, ne tardaueris, & auxilium nobis supernæ virtutis impende, vt aduentus tui consolationibus, subleuentur qui in tua pietate confidunt. Qui viuis & regnas.

SVPER OBLATA.

GRATA tibi sint, Domine, munera, quibus mysteria celebrantur nostræ libertatis & vitæ. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Qui ab antiquis Patribus expectatus, ab Angelo nunciatus, a Virgine
E concceptus, in fine sæculorum hominibus est præsentatus. Qui appropinquante Natiuitatis suæ festo, ita, quæsumus, sit nobis placatus, qualiter Tecum & cum Spiritu sancto ad nos veniat nobiscum perpetim permansurus. Per quem.

AD COMPLENDVM.

CONSERVENT nos, quæsumus, Domine, munera tua: & per aduentum Vnigeniti tui tribuant nobis vitam æternam. Qui tecum viuit & regnat.

SVPER POPVLVM:

GRATIAE tuæ, quæsumus, Domine, supplicibus tuis tribue largitatem, vt mandata tua, Te opitulante, sectantes, consolationem præsentis vitæ percipiant & futuræ. Per Dominum.

FERIA

FERIA VI.

A

EXCITA, Domine, quæsumus, potentiam tuam & veni, vt hi qui in tua pietate confidunt, ab omni citius aduersitate liberentur. Qui viuis & regnas.

Secreta.

PRAESTA, quæsumus, Domine, vt dicato muneri congruentem nostræ deuotionis offeramus effectum. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui sanctificator & institutor es abstinentiæ, cuius nullus finis, nullusq. est numerus, effunde, quæsumus, B
super nos in diebus ieiuniorum nostrorum, Spiritum gratiæ salutaris, & ab omnibus nos perturbationibus sæculi huius, tua defensione conserua: vt, qui Vnigeniti tui celebramus aduentum, continuum eius sentiamus auxilium. Per quem, Maiestatem tuã.

AD COMPLENDVM.

PROSINT nobis, Domine, sumpta mysteria, pariterq. nos & a peccatis exuant, & præsidijs tuæ propitiationis attollant. Per Dominum nostrum.

SVPER POPVLVM.

IMPLE, Domine, petitiones nostras, & tamquam pinguissimum nos holocaustum assume: vt inimicorum incursibus propulsatis, salutaris tui opitulatione lætemur. Qui tecum viuit & regnat. C

SABBATO III. XII. LECT.

MENSIS X.

DEVS, qui conspicis qui ex nostra prauitate affligimur, concede propitius, vt ex tua visitatione consolemur. Per.

ALIA.

ADESTO, Domine, supplicationibus nostris, & præsentis vota ieiunij placita tibi deuotione exhiberi concede. Per. D

ALIA.

INDIGNOS nos, quæsumus, Domine, famulos tuos, quos actionis propriæ culpa contristat, Vnigeniti Filij tui aduentu lætifica. Qui tecum.

ALIA.

DEVS, qui pro animarum expiatione nostrarum, sacri ieiunij instituta mandasti, fragilitati nostræ adiumenta concede, & effectum cælestium mandatorum benignus inspira. Per Dominum.

ALIA.

MISERATIONVM tuarum, quæsumus, Domine, præueniamur auxilio, vt in huius sollemnitate ieiunij, omnium tibi sit deuotio grata fidelium. Per Dominum E
nostrum.

AD MISSAM.

DEVS, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium, concede propitius, vt nos famulos tuos, non exurat flamma vitiorum. Per Dominum nostrum.

SVPER OBLATA.

ECCLESIAE tuæ, Domine, munera sanctifica: & concede, vt per hæc veneranda mysteria, pane cælesti refici mereamur. Per Dominum nostrum.

PRAE-

A PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui non solum peccata dimittis, sed ipsos etiam iustificas peccatores, & reis non tantum peccata relaxas, sed dona largiris & præmia: Cuius nos pietatem supplices exoramus, vt qui ieiunijs & votis sollemnibus natiuitatem Vnigeniti tui præuenimus, illius dono & præsentis vitæ perturbationibus careamus, & æterna munera capiamus. Per quem, Maiestatem tuam.

AD COMPLENDVM.

MEMENTO nostri, Domine, in beneplacito populi tui, & a peccati nos seruitute discussos, Salutaris tui visitatione saluifica. Qui recum viuit & regnat.

B SVPER POPVLVM.

VENIAT, Domine, quæsumus, populo tuo supplicanti tuæ benedictionis infusio, quæ diabolicas ab eodem repellat insidias: quæ fragilem mundet & protegat, quæ inopem sustentet & foueat. Per Dominum nostrum,

---

DOMINICA I. ANTE NAT. DOMINI.

EXCITA, Domine, potentiam tuam & veni, & magna nobis virtute succurre: vt per auxilium gratiæ tuæ, quod nostra peccata præpediunt, indulgentia tuæ propitiationis acceleret. Qui viuis & regnas.

C *Secreta.*

HAEC tibi oblata, Domine, benignus sanctificanda assume libamina, vt eorum perceptione expiemur a crimine, & adiuentus Filij tui gloriam mereamur intertiti præstolari. Per eundem Dominum nostrum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omniporens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Quem Ioannes præcessit nascendo, & in desertis eremi prædicando, & in fluentis Iordanicis baptizando, & ad inferna descendendo: Cuius venerandæ natiuitatis proxime ventura sollemnitas ita nos, quæsumus, tibi placitos reddat, vt cum fructu bonorum operum ad regna cælestia introducat, vt parando in cordibus nostris viam Domino, fructusq. dignos pœnitentiæ faciendo per prædicationem Ioannis obtemperemus monitis nostri Saluatoris. Sicq. perueniamus per Filium Sterilis, ad Filium Virginis: per Ioannem hominem magnum, ad eundem Dominum nostrum hominem Deum: qui sicut venit ad nos redimendum occultus, ita viuificet, cum ad iudicandum venerit manifestus. Per quem.

D

AD COMPLENDVM.

TRIBVE nobis, Domine, cælestis mensæ virtute satiatis, & desiderare quæ recta sunt, & desiderata percipere. Per.

E SVPER POPVLVM.

ADIVVA, Domine, fragilitatem plebis tuæ, vt ad votiuum magnæ festiuitatis effectum, & corporaliter gubernata recurrat, & ad perpetuam gratiam deuota mente perueniat. Per.

ORATIO DE ADVENTV DOMINI QVOTIDIANIS DIEBVS.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, vt magnæ festiuitatis ventura sollemnia prospero celebremus effectu, parirerq. reddamur & intenti cælestibus disciplinis, & de nostris temporibus lætiores. Per.

ALIA.

CONSCIENTIAS nostras, quæsumus, Domine, visitando purifica, vt veniens A
Iesus Christus filius tuus Dominus noster, paratam sibi in nobis inueniat mansionem. Qui tecum.

ALIA.

PROPE esto, Domine, omnibus expectantibus Te in veritate, vt in aduentu Filij tui Domini nostri placitis tibi actibus præsentemur. Per eundem Dominum nostrum.

ALIA.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, hanc gratiam plebi tuæ, aduentum Vnigeniti tui cum summa vigilantia expectare, vt sicut ipse auctor nostræ salutis docuit velut fulgentes lampadas, in eius occursum nostras animas præparemus. Per.

ALIA. B

MENTES nostras, quæsumus, Domine, lumine tuæ visitationis illustra, vt esse, Te largiente, mereamur & inter prospera humiles, & inter aduersa securi. Per Dominum.

ALIA.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt Filij tui ventura sollemnitas, & præsentis vitæ nobis remedia conferat, & præmia æterna concedat. Qui tecum viuit.

ALIA.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, vt quia sub peccati iugo ex vetusta seruitute deprimimur, expectata Vnigeniti Filij tui noua natiuitate liberemur. Qui tecum. C

ALIA.

QVAESVMVS, omnipotens Deus, preces nostras respice, & tuæ super nos viscera pietatis impende, vt qui ex nostra culpa affligimur, Saluatore nostro adueniente, respiremus. Per, &c. Qui tecum viuit.

ALIA.

VOCI nostræ, quæsumus, Domine, aures tuæ pietatis accommoda, & cordis nostri tenebras lumine tuæ visitationis illustra. Qui viuis.

ALIA.

PORRIGE nobis, Domine, dexteram tuæ venerationis, & veni: & peccata nostra propitiatus absolue. Qui viuis & regnas. D

ALIA.

FESTINANTES, omnipotens Deus, in occursum Filij tui Domini nostri, nulli impediant actus terreni, sed cælestis Sapientiæ eruditio, faciat nos eius esse consortes. Qui tecum.

ALIA.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt quia pro peccatis nostris meremur affligi, per aduentum Filij tui a cunctis aduersitatibus liberemur. Per.

ALIA.

DEVS, qui nostra nos conspicis semper infirmitate destitui, aduentus Filij tui nos visitatione custodi. Qui tecum viuit & regnat. E

ALIA.

ADESTO, quæsumus, omnipotens Deus, atque in cunctis actionibus nostris, & aspirando nos præueni, & adiuuando custodi. Qui viuis.

ALIA.

PRAEVENIAT nos, quæsumus, omnipotens Deus, tua gratia semper, & subsequatur, vt per aduentum Vnigeniti tui, quem summo cordis desiderio sustinemus, & præsentis vitæ subsidia & futuræ etiam consequamur. Qui tecum.

ALIA.

ALIA.

A DEVS, qui conſpicis, quia in tua pietate confidimus, concede propitius, vt per aduentum Vnigeniti tui, de cæleſti ſemper protectione gaudeamus. Qui tecũ viuit.

ALIA.

SVBVENIAT nobis, Domine, miſericordia tua, vt ab imminentibus peccatorum noſtrorum periculis, Te mereamur veniente, ſaluari. Qui viuis & regnas.

ALIA.

EXCITA, Domine, potentiam tuam, & veni, vt tua propitiatione ſaluemur. Per.

ALIA.

B FESTINA, ne tardaueris, Domine Deus noſter, & a diabolico furore nos potenter libera. Qui viuit.

ALIA.

EXVLTEMVS, quæſumus, Domine Deus noſter, omnes recti corde in vnitate fidei congregati, vt veniente Saluatore noſtro Filio tuo, immaculati occurramus illi in eius Sanctotum comitatu. Qui tecum.

ALIA.

FAC nos, quæſumus, Domine, mala noſtra toto corde reſpuere, vt veniente Filio tuo Domino noſtro, bona eius capere valeamus. Qui tecum viuit.

C

ALIA.

PRAECINGE, Domine Deus noſter, lumbos mentis noſtræ diuina tua virtute potenter, vt veniente Domino noſtro Ieſu Chriſto Filio tuo, digni inueniamur æternæ vitæ conuiuio, & vota cæleſtium dignitatum ab ipſo percipere mereamur. Qui tecum viuit & regnat.

ALIA.

FAC nos, quæſumus, Domine Deus noſter, peruigiles atque ſollicitos aduentum expectare Chriſti Filij tui Domini noſtri, vt dum venerit pulſans, non dormientes peccatis, ſed vigilantes, & in tuis inueniat laudibus exultantes. Qui tecum viuit & regnat Deus.

D

Benedictiones ad veſtimenta Sacerdotalia, ſeu Leuitica, atque ſequentis ordinis miniſtrantium benedicendorum.

OMNIPOTENS ſempiterne Deus, qui per Moyſem famulum tuum Pontificalia, ſeu Sacerdotalia, atque Leuitica veſtimenta ad explendum in conſpectu tuo miniſterium eorum, & ad decorem, ſeu laudem nominis tui fieri decreuiſti, adeſto propitius inuocationibus noſtris, & hæc indumenta Sacerdotalia famuli & Sacerdotis tui, deſuper gratia tua irrigante, tua ingenti benedictione per noſtræ humilitatis ſeruitutem puri ✣ ficare, bene ✣ dicere, & conſe ✣ crare digneris, vt diuinis cultibus, & ſacris miniſterijs apta & benedicta exiſtat. His quoque ſacris veſtibus Sacerdotis, ſiue Leuitæ tui induti, muniti & defenſi, ab omnibus impulſionibus, ſeu tentationibus malignorum ſpirituum eſſe mereantur, tuisq. miniſterijs apte & condigne ſeruire & inhærere: hisq. placide & deuote perſeuerare tribue Saluator mundi.

E

ALIA.

DOMINE Deus, Pater omnipotens, Rex & magnificus triumphator, qui ſanctos Patres noſtros, qui tibi in ſacerdotali ordine placuerũt, diuerſi generis ornamenta, & ſacerdotalia veſtimenta fieri & ornari Sacerdotes tibi ſeruientes iuſſiſti, exaudi propitius orationem noſtram, & hanc Planetã famuli tui, Podérem, ſeu Albam, ac Stolam, Cingulum, Orariumq. dextera tua ſancta bene ✣ dicere, ſancti ✣ ficare, conſe ✣ crareq. & purifi ✣ care digneris. Quatenus hæc veſtimenta & miniſtris Leuitis

ac Sacerdotibus tuis, ad diuinum cultum, orandum, explendumq. proficiant, sanctisq. Altaribus tuis mundi & ornati his sacris vestibus ministrari irreprehensibiles in actu A & victu interius exteriusq. appareant: tibiq. soli Deo puro corde, & mundo corpore omnibus diebus vitæ eorum irreprehensibiliter sanctorum Patrum exempla sequentes seruire valeant, hisq. sacris ministerijs, secundum tuam voluntatem, quando tibi placuerit, expletis, cælestis regni gloriam cum omnibus nobis, sibiq. commissis percipere mereantur. Per eundem Dominum nostrum.

Alia Benedictio ad Stolas, siue Planetas benedicendas.

DEVS inuictæ virtutis triumphator, & omnium rerum Creator ac sanctificator, intende propitius preces nostras, & has Stolas, siue Planetas Leuiticæ ac Sacerdotalis gloriæ ministris tuis fruendas tuo proprio ore benedicere, ac sanctificare, consecrareq. digneris: omnesq. eis vtentes, tuisq. ministerijs a nobis indignis, vel conse- B crandis aptos, & tibi in eis deuote, & amabiliter seruientes, gratos efficere concedas, & nunc, & per infinita sæculorum sæcula. Amen.

IN ANNIVERSARIO DEDICATIONIS BASILICAE.

DEVS, qui nobis per singulos annos, huius sancti templi tui consecrationis reparas diem, & sacris semper mysterijs repræsentas incolumes; exaudi preces populi tui, & præsta, vt quisquis hoc templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta se impetrasse lætetur. Per.

C

SVPER OBLATA.

ANNVE, quæsumus, Domine, precibus nostris, vt quicumque intra templi huius, cuius anniuersarium dedicationis diem celebramus, ambitum continemur, plena tibi atque perfecta corporis & animæ deuotione placeamus, vt dum hæc præsentia vota reddimus, ad æterna præmia, Te adiuuante, peruenire mereamur. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et pro annua deuo- D tione tabernaculi huius honorem tibi debitum referre, per Christum Dominum nostrum: Cuius virtus magna, pietas copiosa; respice, quæsumus, de cælo, & vide & visita domum istam, vt siquis in ea nomini tuo supplicauerit, libenter exaudias, & satisfacientibus clementer ignoscas. Hic tibi sacerdotes tui sacrificium laudis offerant: hic fidelis populus vota persoluat: hic peccatorum onera deponantur: hic fides sancta stabiliatur: hic pietas absoluta redeat: hic iniquitas emendata discedat. Inueniat apud te, Domine, locum veniæ, quicumque satisfaciens, huc confugerit, & conscio dolore victus, Altaria tua riuis suarum eluerit lacrymarum. Hic si quando populus tuus tristis mæstusq. conuenerit, acquiesce rogari, & rogatus indulge petentibus. Per quem, Maiestatem tuam.

E

AD COMPLENDVM.

MVLTIPLICA, Domine, quæsumus, per hæc sancta, quæ sumpsimus, veritatem tuam in animabus nostris, vt te iugiter in templo sancto adoremus, & in conspectu tuo cum sanctis Angelis gloriemur. Per.

SVPER POPVLVM.

DEVS, qui Ecclesiam tuam, Vnigeniti tui sponsam vocare dignatus es, vt quæ haberet gratiam per fidei deuotionem, haberet etiam ex nomine pietatem. Da vt omnis hæc plebs nomini tuo seruiens, huius vocabuli consortio digna esse mereatur: & Eccle-

A & Ecclesia tua in templo, cuius anniuersarius dedicationis dies celebratur, tibi collecta, te timeat, te diligat, te sequatur, vt, dum iugiter per eius vestigia graditur, ad cælestia promissa, ipso ducente, peruenire mereatur. Qui tecum.

INCIPIT ORDO AD SACROS ORDINES BENEDICENDOS.

Maiores gradus, ante Euangelium: Minores vero post Communionem dantur: & Minores quidem Dominicis diebus si necesse est: Maiores autem in Sabbatis duodecim lectionum per quatuor Tempora tantummodo.

ORDINATIO OSTIARII.

Ostiarius cum ordinatur, postquam ab Archidiacono instructus fuerit, qualiter in domo Dei de-
B *beat conuersari, ad suggestionem Archidiaconi tradat ei Episcopus claues Ecclesiæ, dicens:* Sic age, quasi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ istis clauibus recluduntur: *& tradat ei Diaconus ostium Ecclesiæ.*

Præfatio Ostiarij.

DEVM Patrem omnipotentem suppliciter deprecamur, vt hos famulos *Ill. & Ill.* benedicere dignetur, quos in officium Ostiarij eligere dignatus est, vt sit eis fidelissima cura in diebus ac noctibus, ad distinctionem horarum certarum ad inuocandum nomen Domini, adiuuante Domino nostro Iesu Christo, qui cum eo viuit, & regnat Deus in vnitate Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Benedictio eiusdem.

C

DOMINE sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris hos famulos tuos, *Ill. & Ill.* Ostiarios, vt inter ianitores Ecclesiæ parent obsequia, & inter electos tuos partem tuæ mereantur habere mercedis. Per Dominum.

ORDINATIO LECTORIS.

Lector, cum ordinatur, faciat de illo verbum Episcopus ad plebem, indicans eius fidem ac vitam, atque ingenium: post hæc, spectante plebe, tradat ei codicem, de quo lecturus sit, dicens:

ACCIPE, & esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter & vtiliter impleueris of-
D ficium, partem cum his, qui verbum Dei ministrauerunt: Eligunt te fratres tui, vt sis lector in domo Dei tui, & agnoscas officium tuum, & impleas illud: potens est Deus, vt augeat tibi gratiam.

Benedictio Lectoris.

DOMINE sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris famulos tuos hos in officium Lectoris, vt assiduitate lectionum, distincti atque ordinati & agenda dicant, & dicta opere compleant, & in vtroque sanctæ Ecclesiæ consulant. Per Dominum.

ORDINATIO EXORCISTAE.

E *Exorcista, cum ordinatur, accipiat de manu Episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi Episcopo:*

ACCIPE, & commenda memoriæ, & habeto potestatem imponendi manum super energumenum, siue baptizatum, siue cathecumenum.

Præfatio Exorcistæ.

DEVM Patrem omnipotentem supplices deprecamur, vt hos famulos tuos *Ill. & Ill.* benedicere dignetur in officium Exorcistæ, vt sint spiritales imperatores ad abijciendos dæmones de corporibus obsessis cum omni nequitia eorum multiformi, adiuuante Domino nostro Iesu Christo.

Benedictio Exorcistæ.

DOMINE sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris hos famulos tuos *Ill. & Ill.* in officium Exorcistæ, & ad impositionem manuum & oris officium

eos eligere digneris, vt impetium habeant spirituum immundorum coërcendorum, & probabiles sint medici Ecclesiæ gratiæ, curationum virtute confirmati. Per Dominũ. A

Ordinatio Acolyti.

Acolytus, cum ordinatur, primum ab Episcopo doceatur, qualiter in officio suo agere debeat, sed ab Archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, vt sciat se ad accendenda Ecclesiæ luminaria manciparı: accipiat & vrceolum vacuum ad fundendum vinum in Eucharistia corporis Christi.

Benedictio Acolyti.

Omnipotens sempiterne Deus, fons lucis, & origo bonitatis, qui per Iesum Christum filium tuum, lumen verum, mundum illuminasti, eiusq. passionis mysterio B redemisti, benedicere dignare hos famulos tuos, quos in Acolyti officium consecramus, poscentes tuam clementiam, vt eorum mentem & lumine scientiæ illustres, & pietatis tuæ rore irriges, vt ita perceptum ministerium peragant, qualiter ad æternam remunerationem peruenire mereantur. Per eundem Dominum nostrum.

Ordinatio Svbdiaconi.

Cap. S. Gregorij.

Ex Regist. lib. 7. ind. 2. ep. 110. ad Siagrium Augustodun. Epist. 1di fere lib. 4. ep. 33. & 36.

Sicvt, qui inuitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est Altaribus admouendus, sic qui vltro ambit, vel importunum se ingerit, est proculdubio repellendus: nam qui nititur ad altiora conscendere, quid agit, nisi vt crescendo decrescat? Cur non perpendit, quia benedictio illi in ma- C ledictum conuertitur, qui ad hoc, vt fiat hæreticus, promouetur?

Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, Patenam de manu Episcopi accipiat vacuam, & calicem vacuum: de manu Archidiaconi accipiat vrceolum cum aquamanili ac manutergium. Exhibeatur in conspectu Episcopi patena & calix vacuus, & dicat Episcopus:

Vide, cuius ministerium tibi traditur: & ideo si vsque nunc fuisti tardus ad Ecclesiam, amodo debes esse assiduus: si vsque nunc somnolentus, amodo vigil: si vsque nunc ebriosus, amodo sobrius: si vsque nunc inhonestus, amodo castus: Oblationes, quæ veniunt in Altare, panes propositionis appellantur. De ipsis oblationibus tantum debet in Altari poni, quantum populo possit sufficere, ne aliquid putridum in sacrario remaneat. Pallæ, quæ sunt in subtratorio, in alio vase debent lauari, in alio corporales pallæ. Vbi pallæ corporales lauatæ fuerunt, nullum linteamen ibidem aliud debet lauari: & ipsa aqua in baptisterio debet vergi. Ideo te admoneo: Tu talem te exhibe, vt Deo placere possis.

Et tradat calicem & patenam. D

Oremvs Deum ac Dominum nostrum, vt super seruos suos *Ill. & Ill.* quos ad Subdiaconatus officium vocare dignatus est, infundat benedictionem & gratiam suam, vt in conspectu suo fideliter seruientes, prædestinata sanctis præmia consequantur, auxiliante Domino nostro Iesu Christo, qui cum eo viuit & regnat Deus.

Benedictio Svbdiaconi.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris famulos tuos hos, quos ad Subdiaconatus officium eligere dignatus es, vt eos sacrario tuo sancto strenuos, sollicitosq. cælesti militiæ instituas, & sanctis Altaribus fideliter subministrent, & requiescat super eos Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilij & fortitudinis, Spiritus sapientiæ & pietatis. Repleas eos Spiritu timoris tui, & eos ministerio diuino confirmes, vt obedientes facto, atque dicto parentes, tuam gra- E tiam consequantur. Per Dominum nostrum, *&c.* In vnitate eiusdem, *&c.*

Ordo qualiter in Romana Ecclesia Diaconi & Presbyteri ordinandi sunt, Mensis primi, quarti, septimi, & decimi Sabbatorum die duodecim lect. ad Sanctum Petrum, vbi Missæ celebrantur. Postquam Antiphonam ad Introitum dixerint, data oratione, venit Archidiaconus, & offert eum, qui ordinandus est, Pontifici, ita dicens:

Postvlat sancta mater Ecclesia catholica, vt hunc Præsentem Subdiaconum, ad onus Diaconij, vel Diaconum ad onus Presbyterij ordinetis.

Interro-

Interrogat Episcopus: Scis illum dignum esse? *Respondet offerens:*

A QVANTVM humana fragilitas nosse sinit: & scio, & testifico ipsum dignum esse ad huius onus officij.

Et tunc annunciat Pontifex Populo, dicens:

AVXILIANTE Domino Deo & Saluatore nostro Iesu Christo.

Iterum dicit:

AVXILIANTE, Domino Deo & Saluatore nostro Iesu Christo, eligimus in ordinem Diaconij, siue Presbyterij *Ill.* Subdiaconum, siue Diaconum de titulo *Ill. & Ill.* Presbyterum de titulo *Ill.* Si quis autem habet aliquid contra hos viros, pro Deo & propter Deum cum fiducia exeat, & dicat: Verumtamen memor sit conditionis suæ.

Et post modicum interuallum mox incipiunt omnes Kyrie eleison *cum* Letania: *Hac expleta*

B *ascendunt ipsi electi ad sedem Pontificis, & benedicit eos ad quod vocati sunt: & descendentes stant in ordine suo, benedictione percepta. Diaconus cum ordinatur, solus Episcopus, qui cum benedicit, manum super caput illius ponat, quia non ad Sacerdotium, sed ad ministerium consecratur. Ad ordinandum Diaconum & Presbyterum, primum Oratio dicitur legendo. Et sequitur Oratio.* [*Etenim dicitur,* Vere dignum, *in Consecratione.*]

OREMVS, dilectissimi, Deum Patrem omnipotentem, vt super hos famulos suos, quos in sacrum ordinem dignatur assumere, benedictionis suæ gratiam clementer effundat, eisq. donum consecrationis indulgeat, per quod eos ad præmia æterna perducat, auxiliante Domino nostro Iesu Christo. Qui cum eo viuit & regnat.

C *Oremus.*

EXAVDI, Domine, preces nostras: & super hos famulos tuos Spiritum tuæ benedictionis emitte, vt cælesti munere ditati, & tuæ gratiam possint Maiestatis acquirere, & beneuiuendi alijs exemplum præbere. Per Dominum nostrum, &c. In vnitate eiusdem, &c.

CONSECRATIO.

VERE dignum, &c.

ADESTO, quæsumus, omnipotens Deus, bonorum dator, ordinum distributor officiorumq. dispositor. Qui in te manens innouas omnia, & cuncta disponens per Verbum, Virtutem, Sapientiamq. tuam Iesum Christum filium tuum Dominum no-

D strum, sempiterna prouidentia præparas, & singulis quibusque temporibus aptanda dispensas. Cuius corpus Ecclesiam tuam cælestium gratiarum varietate distinctam, suorumq. connexam discretione membrorum per legem mirabilem totius compagis vnitam in augmentum templi tui, crescere dilatariq. largiris, sacri muneris seruitutem trinis gradibus ministrorum nomini tuo militare constituens. Electis ab initio Leui filijs, qui in mysticis operationibus domus tuæ fidelibus excubijs permanentes hereditatē benedictionis æternæ, sorte perpetua possiderent. Super hos quoque famulos tuos, quæsumus, Domine, placatus intende, quos tuis sacris altaribus seruituros in officium Diaconatus suppliciter dedicamus. Et nos quidem tamquam homines diuini sensus & summæ rationis ignari, horum vitam quantum possumus existimamus. Te autem, Domine, ea quæ nobis sunt ignota, non transeūt: Te occulta non fallunt. Tu cognitor secretorum, Tu scrutaror es cordium; Tu eorum vitam cælesti poteris

E examinare iudicio, quo semper præuales, & admissa purgare, & ea quæ sunt agenda concedere. Emitte in eos, Domine, quæsumus, Spiritum sanctū, quo in opus ministerij tui fideliter exequendi, septiformis gratiæ tuæ munere roborentur. Abundet in eis totius forma virtutis, auctoritas modesta, pudor constans, innocentiæ puritas, & spiritalis obseruatio disciplinæ: In moribus eorum præcepta tua fulgeant, vt suæ castitatis exemplo imitationem sancta plebs acquirat: & bonum conscientiæ testimonium proferentes, in Christo firmi, & stabiles perseuerent: dignisq. successibus, de inferiori gradu per gratiam tuam capete potiora mereantur. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum.

Presbyter

A

Presbyter cum ordinatur, Episcopo cum benedicente, & manum super caput eius tenente, etiam omnes Presbyteri, qui præsentes sunt, manus suas iuxta manum Episcopi super caput eius teneant.

ORATIO AD PRESBYTEROS ORDINANDOS.

OREMVS, Dilectissimi, Deum Patrem omnipotentem, vt super hos famulos suos, quos ad Presbyterij munus elegit, cælestia dona multiplicet: & quæ eius dignatione suscipiunt, ipsius & sequantur auxilio, auxiliante Domino nostro Iesu Christo.

Oremus.

EXAVDI nos, quæsumus, Domine Deus noster: & super hos famulos tuos benedictionem sancti Spiritus, & gratiæ sacerdotalis effunde virtutem, vt quos tuæ B pietatis aspectibus offerimus consecrandos, perpetua muneris tui largitate prosequaris. Per Dominum.

CONSECRATIO.

DOMINE sancte, Pater omnipotens, æretne Deus, bonorum auctor, & distributor omnium dignitatum, per quem proficiunt vniuersa, per quem cuncta firmantur, amplificaris semper in melius naturæ rationalis incrementis per ordinem congrua ratione dispositum. Vnde & Sacerdotales gradus atque officia Leuitarum, sacramentis mysticis instituta creuerunt: vt, cum Pontifices summos regendis populis præfeciſſes, ad eorum societatis & operis adiumentum, sequentis ordinis viros & secundæ dignitatis eligeres. Sic in Eremo per septuaginta virorum prudentium mentes Moysi spiritum propagasti, quibus ille adiutoribus vsus in populo innumeras multitudines C facile gubernauit. Sic in Eleazaro & Thamar filijs Aaron paternæ plenitudinis abundantiam transfudisti, vt ad Hostias salutares, & frequentioris officij sacramenta ministerium sufficeret Sacerdotum: Hac prouidentia, Domine, Apostolis Filij tui, doctores fidei, comites addidisti, quibus illi orbem totum secundis prædicationibus impleuerunt. Quapropter infirmitati quoque nostræ, Domine, hæc adiumenta largire: quia quanto fragiliores sumus, tanto his pluribus indigemus. Da, quæsumus, omnipotens Pater, in hos famulos tuos Presbyterij dignitatem: innoua in visceribus eorum Spiritum sanctitatis: & acceptum a te, Deus, secundi meriti munus obtineant, censuramq. morum exemplo suæ conuersationis insinuent. Sint probis cooperatores ordinis nostri, & luceat in eis totius forma iustitiæ: vt bonam rationem dispensationis sibi creditæ reddituri, æternæ beatitudinis præmia consequantur. Per eundem Dominum nostrum, *&c.* In vnitate eiusdem, *&c.* D

Hic imponitur ei Casula.

BENEDICTIO Patris, & Filij, & Spiritus sancti descendat supet vos, vt sitis benedicti in ordine sacerdotali, & offeratis placabiles Hostias pro peccaris arque offensionibus populi omnipotenti Deo. Cui sit honor & gloria in sæcula sæculorum.

CONSECRATIO MANVS.

CONSECRENTVR manus istæ, quæsumus, Domine, & sanctificentur per istam vnctionem, & nostram benedictionem, vt quæcumque benedixerint, benedicta sint: & quæcumque sanctificauerint, sanctificentur. Per.

Examinatio in ordinatione Episcopi ante Letaniam facienda. E

ANTIQVA sanctorum Patrum institutio docet & præcipit, vt is, qui ad ordinem Episcopatus eligitur, maxime, vt legimus in canone Carthaginiensi, antea diligentissime examinetur, cum omni charitate, de fide sanctæ Trinitatis, & interrogetur de vniuersis causis, vel moribus, quæ huic regimini congruunt, & necessaria sunt retine-
1. Tim. 4. d re secundum Apostoli dictum: Manus nemini cito imposueris: & vt etiam is, qui est ordinandus, antea erudiatur, qualiter sub hoc regimine constitutum oporteat etiam versari in Ecclesia Dei, vt inexcusabiles sint, qui ei manus ordinationis imponant.

EADEMQVE auctoritate & præcepto interrogamus te, dilectissime frater, charitate

tare ſincera, ſi omnem prudentiam tuam, quantum tua capax eſt natura, diuinæ
A Scripturæ ſenſibus accomodare volueris? ℟. Ita. Ex toto corde volo in omnibus conſentire, & obedire.

Interr. Vis ea, quæ ex diuinis Scripturis intelligis, plebem, cui ordinandus es, & verbis docere & exemplis? ℟. Volo.

Interr. Vis mores tuos ab omni malo temperare, & quantum poteris, Domino adiuuante, ad omne bonum commutare? ℟. Volo.

Interr. Vis caſtitatem & ſobrietatem cum Dei auxilio cuſtodire & docere? ℟. Volo.

Interr. Vis ſemper in diuinis eſſe negotijs mancipatus, & a terrenis negotijs, vel lucris turpibus eſſe alienus, quantum te hæc humana fragilitas conſentiat poſſe?
B ℟. Volo.

Interr. Vis humilitatem & patientiam in temetipſo cuſtodire, & alios ſimiliter docere? ℟. Volo.

Tunc dicatur ei: Vis eſſe ſubditus huic noſtræ Sedi atque obediens? ℟. Volo.

HAEC & omnia cetera bona tribuat tibi Dominus, & cuſtodiat te, atque corroboret in omni bono. *Et reſpondeant omnes:* Amen.

Interr. Credis ſecundum intelligentiã tuam & capacitatem ſenſus tui, ſanctam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctũ, vnum Deum omnipotentem, totamq. in Trinitate Deitatem coeſſentialem, & conſubſtantialem, coæternum, & coomnipotentem, vniuſq. voluntatis, poteſtatis, & maieſtatis, Creatorem omnium creaturarum, a quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, quæ ſunt in cælo & in terra,
C viſibilia, & inuiſibilia, & ſpiritalia? ℟. Aſſentio, & ita credo.

Interr. Credis ſingulam quamque perſonam in ſancta Trinitate vnum verum Deum, plenum atque perfectum? ℟. Credo.

Interr. Credis ipſum filium Dei, Verbum Dei, & naturaliter natum de Patre, conſubſtantialem, coomnipotentem, & coæqualem per omnia Patri in diuinitate, temporaliter natum de Spiritu ſancto, & Maria ſemper Virgine, cum anima rationali, duas habentem natiuitates, vnam ex Patre æternam, alteram ex Matre temporalem, Deum verum, & hominem verum, proprium in vtraque natura, atque perfectum, non adoptiuum, nec phantaſmaticum, vnicum, & vnum filium Dei in duabus naturis, ſed vnius perſonæ ſingularitate, impaſſibilem, & immortalem diuinitate: in humanitate pro nobis & pro ſalute noſtra paſſum, vera carnis paſſione: & ſepultum, & reſurgen-
D tem a mortuis tertia die, vera carnis reſurrectione, die quadrageſimo poſt Reſurrectionem, cum carne, qua ſurrexit, & anima aſcendiſſe in cælum, & ſedere ad dexteram Patris, inde venturum iudicare viuos & mortuos, & reddentem vnicuique ſecundum opera ſua, ſiue bona fuerint, ſiue mala? ℟. Aſſentio, & per omnia credo.

Interr. Credis etiam Spiritum ſanctum plenum & perfectum, verumq. Deum a Patre & Filio procedentem, coæqualem, & coeſſentialem, & coomnipotentem & coæternum Patri & Filio? ℟. Credo.

Interr. Credis hanc Sanctam Trinitatem, non tres deos, ſed vnum Deum omnipotentem, æternum, inuiſibilem, & incommutabilem? ℟. Credo.

Interr. Credis ſanctam Catholicam & Apoſtolicã vnam eſſe veram Eccleſiam, in qua vnum datur verum baptiſma, & vera omnium remiſſio peccatorum? ℟. Credo.
E *Interr.* Anathematizas omnem hæreſim extollentem ſe aduerſus hanc ſanctam Eccleſiam catholicam? ℟. Anathematizo.

Interr. Credis etiam veram Reſurrectionem eiuſdem carnis, quam nunc geſtas, & vitam æternam? ℟. Credo.

Interr. Credis etiam noui & veteris Teſtamenti Legis & Prophetarum, & Apoſtolorum vnum eſſe auctorem Deum & Dominum omnipotentem? ℟. Credo.

HAEC tibi fides augeatur a Domino, ad veram & æternam beatitudinem, dilectiſſime frater in Chriſto. *Et reſpondeant omnes:* Amen.

Interr. Dilectiſſimi Fratres, elegiſtis hunc *Ill.* Presbyterum ad Epiſcopum? ℟. Ipſum elegimus omnes. *Et hoc ter.*

Iterum Epiſcopus: Eſt dignus & iuſtus hoc ſubire miniſterium? ℟. Dignus eſt, iuſtus eſt. *Et hoc ter.*

Iterum

Iterum Episcopus: Auxiliante Domino nostro Iesu Christo, & Beato Petro Apostolo intercedente, volumus hunc *Ill.* Fratrem nostrum ordinare ad Episcopum, si vobis omnibus placet. ℟. Placet nobis omnibus. *Et hoc tertio.* A

Iterum Episcopus: Otate pro nobis.

Episcopus cum ordinatur, duo Episcopi ponant & teneant Euangeliorum codicem super caput eius, & vno super eum fundente benedictionem: Reliqui omnes Episcopi, qui adsunt, manibus suis caput eius tangant. Hoc facto, accipiat patenam cum oblatis, & calicem cum vino, & det ei dicens: Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, Missamq. celebrare tam pro viuis, quàm pro defunctis.

ORATIO AD ORDINANDOS EPISCOPOS. B

OREMVS, dilectissimi nobis, vt his viris ad vtilitatem Ecclesiæ prouidendam electis, benignitas omnipotentis Dei, gratiæ tuæ tribuat largitatem. Per Dominum nostrum.

BENEDICTIO EPISCOPORVM.

ADESTO supplicationibus nostris omnipotens Deus: & quod humilitatis nostræ gerendum est ministerio, tuæ virtutis impleatur effectu. Per.

ALIA.

PROPITIARE, Domine, supplicationibus nostris: & inclinato super hunc famulum tuum cornu gratiæ Sacerdotalis, benedictionis tuæ in eo effunde virtutem. Per. C

AD ANNVLVM DANDVM.

MEMOR sponsionis & desponsationis Ecclesiasticæ, & dilectionis Domini Dei tui in die, qua assequutus es hunc honorem, caue ne obliuiscaris illius. Accipe ergo annulum discretionis & honoris fidei signum, vt quæ signanda sunt, signes: & quæ aperienda sunt, prodas: quæ liganda sunt, liges: quæ soluenda sunt, soluas: vtq. credentibus per fidem baptismatis, lapsis autem, sed pœnitentibus per mysterium reconciliationis ianuas regni cælestis aperias: cunctis vero de Thesauro Dominico noua & vetera proferas, vt ad æternam salutem omnibus consulas gratia Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre & Spiritu sancto est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

AD BACVLVM DANDVM.

ACCIPE baculum sacri regiminis signum, vt imbecilles consolides, titubantes confirmes, prauos corrigas, rectos dirigas in viam salutis æternæ, habeasq. potestatem attrahendi dignos, & corrigendi indignos, cooperante Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre in vnitate Spiritus sancti est virtus & imperium, per omnia sæcula sæculorum. Amen. D

CONSECRATIO.

DEVS bonorum omnium, Deus omnium dignitatum, quæ gloriæ tuæ sacratis famulantur ordinibus. Deus, qui Moysen famulum tuum secreti familiaris affatu inter cetera cælestis documenta culturæ, de habitu quoque indumenti Sacerdotalis instituens, electum Aaron mystico amictu vestiri inter sacra iussisti, vt intelligentiæ sensum de exemplis priorum caperet secutura posteritas, ne eruditio doctrinæ tuæ vlli deesset ætati. Cum & apud veteres reuerentiam ipsa significationum species obtineret, & apud nos certiora essent experimenta rerum, quàm ænigmata figurarum. Illius namque Sacerdotij anterioris habitus, nostræ mentis ornatus est, & Pontificalem gloriam non iam nobis honor commendat vestium, sed splendor animarum: quia & illa, quæ tunc carnalibus blandiebantur obtutibus, ea potius, quæ in ipsis erant intelligenda, poscebant. Et idcirco huic famulo tuo, quem ad summi Sacerdotij ministerium elegisti, hanc, quæsumus, Domine, gratiam largiaris, vt quidquid illa, vel anima in fulgore auri, in nitore gemmarum, in multimodi operis varietate signabant, hoc in eius moribus actibusq. clarescat. Comple, Domine, in Sacerdote tuo, mysterij tui summam, & ornamentis totius glorificationis instructum, cælestis vnguenti flore sancti ✠ fica. *Hic mittatur chrisma super caput eius.* Hoc, Domine, E

copiose

copioſe in caput eius ✣ influat, hoc in oris ſubiecta ✣ decurrat, hoc in totius cor-
A poris extrema deſcendat, vt tui Spiritus virtus, & interiora eius repleat, & exteriora circũtegat: abundet in eo conſtantia fidei, puritas dilectionis, ſinceritas pacis: tribuas ei, Domine, cathedram Epiſcopalem ad regendam Eccleſiam tuam, & plebem vniuerſam. Sis ei auctoritas, ſis ei firmitas, ſis poteſtas. Multiplices ſuper eum benedictionem & gratiam tuam, vt ad exorandam ſemper miſericordiam tuam, tuo munere ſempet idoneus, tua gratia poſſit eſſe deuotus. Per.

SVPER OBLATA.

HAEC Hoſtia, Domine, quæſumus, emundet noſtra delicta, & ſacrificium celebrandum ſubditorum tibi corpora mentesq. ſanctificet. Per Dominum noſtrum.

B

INTRA ACTIONEM,

HANC igitur oblationem ſeruitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus, etiam pro famulo tuo *N.* quem ad Epiſcopatus ordinem promouere dignatus es; quæſumus, Domine, vt placatus accipias, & propitius in eo tua dona cuſtodias, vt quod diuino munere conſequutus eſt, diuinis effectibus exequatur. Diesq. noſtros, *&c.*

AD COMPLENDVM.

HAEC nos communio, Domine, purget a crimine, & cæleſtis remedij faciat eſſe conſortes. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

C

ORATIO IN NAT. PAPÆ.

DEVS, qui licet ſis magnus in magnis, mirabilia tamen glorioſius operaris in minimis, concede mihi indigno famulo tuo, ſacris conuenienter ſeruire myſterijs: atque in omnibus tua miſericordia protegat, quem conſcientiæ reatus accuſat. Per.

ALIA.

DEVS, qui populis tuis indulgentia conſulis, & amore dominaris, da Spiritum ſapientiæ, quibus dediſti regimen diſciplinæ, vt de profectu ſanctarum ouium fiant gaudia æterna paſtorum. Per Dominum noſtrum.

D

SVPER OBLATA.

HOSTIAM tibi, Domine, laudis exoluo ſuppliciter implorans, vt quod immerito mihi contuliſti, intercedente Beato Petro Apoſtolo tuo, propitius exequaris. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: vt quia in manu tua dies q. noſtri vitaq. conſiſtit, ſicut honorem nobis indignis largiris miniſterij, ſic quoque tribuas rationabilis obſequij propitius incrementum. Et tua dona in nobis cuſtodias, vt eius ſuffragijs apud te ſemper reddar acceptus, cuius me vice hodie Eccleſiæ tuæ præeſſe voluiſti. Per Chriſtum.

E

AD COMPLENDVM.

CORPORIS ſacri & pretioſi ſanguinis repleti libamine, quæſumus, Domine Deus noſter, vt gratiæ tuæ munus, quod nobis immeritis contuliſti, intercedente Beato Petro Apoſtolo tuo, propitius muniendo cuſtodias. Per Dominum noſtrum.

Miſſa propria in die ordinationis ſuæ.

DEVS, qui non proprijs ſuffragantibus meritis, ſed ſola ineffabilis gratiæ largitate me familiæ tuæ præeſſe iuſſiſti; tribue tibi digne perſoluere miniſterium ſacerdotalis officij, & Eccleſiaſticis conuenienter ſeruire miniſterijs, plebemq. commiſſam, Te in omnibus protegente, gubernare concede. Per.

ALIA.

ALIA. A

DEVS, mundi Creator & Rector, ad humilitatis meæ preces placatus attende, & me famulum tuum, quem nullis suffraganiibus meritis, sed immensa largitate clementiæ tuæ cælestibus mysterijs seruire tribuisti, dignum sacris Altaribus fac ministrum, vt quod mea celebrandum voce depromitur, tua sanctificatione firmetur. Per Dominum nostrum.

SVPER OBLATA.

AD gloriam, Domine, tui nominis, annua festa repetentes Sacerdotalis exordij, Hostiam tibi laudis offerimus, suppliciter exorantes, vt cuius ministerij vice tibi seruimus, immeritis suffragijs eius reddamur accepti. Per.

B

INTRA ACTIONEM.

HANC igitur oblationem, quam tibi offero ego tuus famulus & sacerdos ob diem, in quo me dignatus es ministerio sacro constituere sacerdotem; obsecro, Domine, placatus suscipias, Maiestatem tuam supplex exorans, vt in me, quod largiri dignatus es, propitius custodire digneris. Diesq. nostros, &c.

AD COMPLENDVM.

REPLEANTVR consolationibus tuis, Domine, quæsumus, tuorum corda fidelium, pariterq. etiam & de Ecclesiæ Præsule, & de suorum votorum, plenitudine gratiarum, referant actionem. Per.

C

Orationes pro adepta dignitate.

DEVS, cui omnis potestas, & dignitas famulatur, da famulo tuo *N.* prosperum suæ dignitatis effectum, in qua te semper timeat, tibiq. iugiter placere contendat. Per Dominum.

ALIA.

OMNIVM, Domine, fons bonorum, iustorumq. prouectuum, tribue quæsumus *N.* famulo tuo adeptam bene gerere dignitatem, & a Te sibi præstitam bonis operibus comprobare. Per Dominum.

MISSA PRO EPISCOPO IN DIE ORDINATIONIS EIVS. D

DEVS, qui dierum nostrorum numeros mensurasq. temporum Maiestatis tuæ potestate dispensas, ad humilitatis nostræ propitius respice seruitutem: & tuæ pacis abundantia tempora nostra, & famuli tui *N.* tua gratia benignus accumula, vt ei, quem populo tuo præesse dignatus es, tuæ benedictionis abundantiam largiaris. Per.

SVPER OBLATA.

RESPICE, Domine, nostram propitius seruitutem, & hæc oblatio nostra pro famulo tuo *N.* sit tibi munus acceptum, sit fragilitatis nostræ subsidium sempiternum, quatenus eum septiformis gratiæ muneribus ditatum, nobis populoq. tuo iugiter profuturum sanctifices. Per Dominum.

PRAEFATIO. E

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum, verum æternumq. Pontificem, & solum sine peccati macula Sacerdotem: Per quem tuam Pater pijssime suppliciter poscimus Maiestatem, vt famulus tuus *N.* talis nobis tuo munere præparetur, atque conseruetur, cuius in omnibus peruigili cura, & instanti sollicitudine ordo Ecclesiæ & credentium fides in tuo timore melius conualescat. Qui in omni doctrina formam boni operis in se præbeat, cuiq. habitus, sermo, vultus, incessus doctrina virtutis sit. Qui nos, vt pastor bonus fide instruat, exemplo patientiæ doceat, doctrina religionis instituat, in omni opere bono confir-

confirmet charitatis exemplo, fac eum, quæsumus, Domine, moribus clarum, reli-
A gione probum, fide stabilem, misericordia abundantem, humilem, iustum, pacifi-
cum, mitem, patientem, cunctis, quæ in Sacerdotibus eligenda sunt, bonis perseueran
ter exuberantem. Quatenus, quod verbis docuerit, operibus impleat: & quod opere
prætenderit, scientia veritatis repletus, fideliter verbis edoceat, vt ipse tibi & ara
& sacrificium & Sacerdos extet & templum. Per quem, Maiestatem.

INTRA ACTIONEM.

HANC igitur oblationem, quam tibi pro famulo tuo *Ill.* & Antistite nostro offe-
rimus, ob deuotionem mentis nostræ, quæsumus, Domine, vt placatus accipias,
tuaq. in eo munera ipse custodias, donesq. ei annorum spatia, vt Ecclesiæ tuæ fide-
liter præsidendo, Te omnia & in omnibus operante, sic vtatur temporalibus, vt præ-
B mia mereatur æterna. Diesq. nostros, *&c.*

AD COMPLENDVM.

HVIVS, Domine, virtute mysterij famulum tuum *Ill.* ab omnibus absolue pec-
catis, vt quibus eum tua gratia præfecisti omnibus, digne & congrue tuo munere
facias prodesse. Per.

MISSA PRO EPISCOPO, VEL CONSECRATIONE.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, prætende su-
per famulum tuum *Ill.* & super cunctos illi commissos Spiritum gratiæ salutaris: &,
vt in veritate tibi complaceant, perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde. Per
C Dominum nostrum.

SVPER OBLATA.

HOSTIAS, Domine, famuli tui *Ill.* & omnium sibi commissorum placatus in-
tende: & quas in honorem nominis tui deuota mente pro eis celebramus, proficere
re sibi sentiant ad medelam. Per Dominum.

AD COMPLENDVM.

FAMVLVM tuum *Ill.* & omnes sibi commissos per hæc cælestia munera, perpe-
tuo, Domine, comitare præsidio, eosq. fouere non desinens, dignos fieri sempiter-
na redemptione concede. Per.

MISSA IN ORDINATIONE PRESBYTERI.

D

DEVS, qui digne tibi seruientium nos imitari desideras famulatum, da nobis
charitatis tuæ flamma ardore succensis, vt Antistitum priorum, qui tibi placuerunt,
mereamur consortia obtinere. Per Dominum nostrum.

SVPER OBLATA.

AVFER a nobis, Domine, spiritum superbiæ, cui resistis, vt sacrificia nostra tibi
sint semper accepta. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique
gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui dissimulatis pec-
catis humanæ fragilitatis, nobis indignis Sacerdotalem confers dignitatem: Da no-
E bis, quæsumus, vt ad sacrosancta mysteria immolanda, cum beneplacitis mentibus
facias nos introire: quia tu solus sine operibus aptis iustificas peccatores. Tu gratiam
præstas benignus ingratis: Tu ea, quæ retro sunt, obliuiscì concedis, & ad priora pro-
missa clementissima gubernatione perducis. Per Christum.

INTRA ACTIONEM.

HANC igitur oblationem seruitutis nostræ, quam tibi offerimus, in die hodiernæ
sollemnitatis, quo nobis indignis Sacerdotalem infulam tribuisti, quæsumus, Domi-
ne, vt placatus accipias, & tua pietate conserua, quod es operatus in nobis. Diesq. *&c.*

AD COMPLENDVM.

CORPORIS facti, & pretiosi sanguinis repleti libamine, quæsumus, Domine
Deus noster, vt gratiæ tuæ munus, quod nobis immeritis contulisti, intercedente
Beato *Ill.* propitius muniendo custodias. Per Dominum.

A

ORATIO PRO IPSIS AD MISSAM.

EXAVDI, Domine, supplicum preces, & deuoto tibi pectore famulantes perpetua defensione custodi: vt nullis perturbationibus impediti, liberam seruitutem tuis semper exhibeamus officijs. Per Dominum.

SVPER OBLATA.

TVIS, Domine, quæsumus, operare mysterijs, vt hæc tibi munera dignis mentibus offeramus. Per.

INTRA ACTIONEM.

HANC igitur oblationem, quam tibi offerimus pro famulis tuis, quos ad Presbyterij gradum promouere dignatus es, quæsumus, Domine, vt placatus accipias: & B
quod eis diuino munere contulisti, in eis propitius tua dona custodi. Quam oblationem tu Deus. &c.

AD COMPLENDVM.

QVOS reficis, Domine, sacramentis, attolle benignus auxilijs: vt tuæ redemptionis effectum, & mysterijs capiamus & moribus. Per Dominum.

MISSA SPECIALIS SACERDOTIS.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, tuæ gratiæ pietatem supplici deuotione deposco, vt omnium malorum meorum vincula soluas, cunctisq. criminibus meis & peccatis clementer ignoscas: & quia me indignum & peccatorem ad ministerium tuum C
vocare dignatus es, sic me idoneum tibi ministrum efficias, vt sacrificium de manibus meis placide ac benigne suscipias, electorumq. Sacerdotum me participem facias, & de præceptis tuis in nullo me oberrare petmittas. Per.

ALIA.

FAC me, quæso, omnipotens Deus, ita iustitia indui, vt in Sanctorum tuorum merear exultatione lætari, quatenus emundatus ab omnibus sordibus peccatorum, consortium adipiscar tibi placentium Sacerdotum: meq. tua misericordia a vitijs omnibus exuat, quem reatus propriæ conscientiæ grauat. Per.

SVPER OBLATA.

DEVS, qui te præcipis a peccatoribus exorari, Tibiq. sacrificium contriti cordis offerri: hoc sacrificium, quod indignis manibus meis offero, acceptare dignare: & vt
ipse tibi hostia, & sacrificium esse merear, miseratus, concede quò per ministerij hu- D
ius exhibitionem, peccatorum omnium percipiam remissionem. Per Dominum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui dissimulatis humanæ fragilitatis peccatis, Sacerdotij dignitatem concedis indignis: & non solum peccata dimittis, verumetiam ipsos peccatores iustificare dignaris. Cuius est muneris, vt non existentia, sumant exordia: exorta, nutrimentum: nutrita, fructum fructuosa perseuerandi auxilium: qui me non existentem creasti: creatum fidei firmitate ditasti: fidelem quamuis peccatis squalentem Sacerdotij dignitate donasti. Tuam igitur omnipotentiam supplex exposco, vt me a peccatis præteritis emacules in mundi huius cursu, in bonis operibus corrobores, & in perseuerantiæ soliditate confir- E
mes. Sicq. me facias tuis Altaribus deseruire, vt ad eorum, qui tibi placuerunt, Sacerdotum consortium valeam peruenire. Et per eum Tibi sit meum acceptabile votum, qui se tibi obtulit in sacrificium, qui est omnium opifex, & solus sine peccati macula Pontifex, Iesus Christus Dominus noster. Per quem.

AD COMPLENDVM.

HVIVS mihi, Domine, sacramenti perceptio sit peccatorum remissio, & tuæ pietatis optata propitiatio, vt per hæc, Te opitulante, efficiar sacris mysterijs dignus, quæ de tua pietate confisus, frequentare præsumo indignus. Per Dominum nostrum.

ITEM

A

ITEM ALIA MISSA.

DEVS fons bonitatis, & pietatis origo, qui peccantem non ſtatim iudicas, ſed ad pœnitentiam miſeratus expectas: Te quæſo, vt ſacinorum meorum ſqualores abſtergas, & me ad peragendum iniunctum officium dignum efficias: & qui Altaris tui miniſteriũ ſuſcepi indignus, & perago trepidus, ad id peragendum reddar ſtrenuus: & inter eos, qui tibi placuerunt, inueniar iuſtificatus. Per Dominum noſtrum.

Secreta.

SACRIFICII præſentis, quæſo, Domine, oblatio mea expurget ſacinora, per quod totius mundi voluiſti relaxari peccata illiusq. frequentatione efficiar dignus, quod vt frequentarem ſuſcepi indignus. Per.

B PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Parer omnipotens, æterne Deus: Qui dum libenter noſtræ pœnitudinis ſatisfactionem ſuſcipis, ipſe tuo iudicio, quod eramus abſcondis: et ptæterita peccata noſtra diſſimulas, vt nobis Sacerdotij dignitatem concedas. Tuum eſt enim, me ad miniſtrandum altario tuo dignum efficere, quem ad peragendum id officij indignum, dignatus es promouere, vt præteritorum actuum meorum mala obliuiſcens, præſentium ordinem in tua voluntate diſponens, futuris cuſtodiam imponens, per eum vitiorum ſqualoribus expurger, virtutum nutrimentis exorner, eorum Sacerdotum conſortio, qui tibi placuerunt, aduner, quem conſtat eſſe verum ſummumq. Pontificem, ſolumq. ſine peccati contagio Sacerdotem, Ieſum Chriſtum
C Dominum.

AD COMPLENDVM.

HVIVS, Domine, perceptio ſacramenti peccatorum meorum maculas tergat, & ad peragendum iniunctum officium me idoneum reddat. Per Dominum noſtrum.

ALIA.

MEMOR eſto, obſecro, miſerationis tuæ, Domine Deus: & mihi peccatori cunctorum tribue veniam peccatorum, vt, tua gratia largiente, ad vitam merear peruenire ſempiternam. Per Dominum.

ITEM ALIA MISSA.

SVPPLICITER Te, Deus, Pater omnipotens, qui es Creator omnium rerum, de-
D precor, vt dum me famulum tuum coram omnipotentia Maieſtatis tuæ gratuiter deliquiſſe confitetor, manum miſericordiæ tuæ mihi porrigas: quatenus dum ego hanc oblationem tuæ pietati offero, quod nequiter amiſi, clementiſſime digneris abſoluere. Per.

Secreta.

DEVS charitatis & pacis, qui pro ſalute generis humani Crucis patibulum ſuſtuliſti, & ſanguinem tuum pro redemptione noſtra fudiſti, preces meas placatus & benignus ſuſcipe: & hoc ſacrificium, quod tuæ gratiæ offero, ſereno vultu digneris reſpicere: & miſericordiam tuam mihi concedas, vt cum animam meam de corpore exire iuſſeris, pars iniqua in eam non habeat poteſtatem, ſed Angelus miſericordiæ tuæ eam inter Sanctos tuos, & electos collocet, vbi lux manes, & vita regnas,
F cum Patre & Spiritu ſancto, per omnia ſæcula ſæculorum.

PRAEFATIO.

E VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui pro amore hominum homo factus, in ſimilitudinem carnis peccati formam ſerui Dominus aſſumpſit, & in ſpecie vulnerati medicus apparuit, Hic nobis, Dominus, & magiſter ſalutis, aduocatus & iudex, ſacerdos & ſacrificium. Per hunc Te, ſancte Pater, ſuppliciter exoro, vt dum reatum conſcientiæ meæ recognoſco, qui in præceptis tuis prævaricator extiti, & per delictorum facinus corrui in ruinam, Tu Domine, quæſo, erige miſerum, quem lapſus peccati proſtrauit: illumina cæcum, quem tetræ peccatorum

caligines obscurauerunt: solue compeditum, quem vincula peccatorum constringunt. Præsta hæc per sanctum & glorioſum & adorandum Dominum nostrum Filium tuum. Quem laudant Angeli. A

INTRA ACTIONEM.

HANC igitur oblationem seruitutis meæ, Pater sancte, licet manibus meis offeratur, qui nec inuocationem nominis tui facere dignus sum præ multitudine iniquitatis meæ: tamen quia per Sanctum Filij tui nomen eam offero, humiliter postulo, vt placatus accipias: vt, sicut incensum ascendat in conspectum tuum, in odorem suauitatis. Diesq. nostros, &c.

AD COMPLENDVM.

GRATIAS tibi ago, Domine Deus, qui me peccatorem satiare dignatus es corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi Filij tui: & ideo peto, omnipotens Deus, vt hæc sancta communio non sit mihi in iudicium, neque in condemnationem pœnæ, sed sit mihi arma fidei, & scutum bonæ voluntatis ad euacuandas omnes insi- B dias diaboli de corde & corpore meo, & illud introire conuiuium me peccatorem permittas, vbi lux est vera, & gaudia sempiterna iustorum. Per eundem Dominum.

ITEM ALIA MISSA.

DEVS, mundi Creator & Rector, ad humilitatis meæ preces placatus intende: & me famulum tuum, quem nullis suffragantibus meritis, sed in immensa largitate clementiæ tuæ cælestibus mysterijs seruire tribuisti, dignum sacris Altaribus fac ministrum, vt quod mea voce depromitur, tua sanctificatione firmetur. Per.

ALIA.

OMNIPOTENS & misericors Deus, cuius pietatis & misericordiæ non est nu- C merus, qui simul cuncta creasti, qui Verbum tuum pro redemptione nostra incarnari voluisti, qui occulta cordium omnium hominum solus agnoscis, miserere animæ meæ, delicta iuuentutis meæ, & ignorantiæ meæ ne memineris, Domine, sed erue animam meam de manu inimicorum, & de profundo laci, & de luto fæcis. Ne derelinquas me, Domine Deus meus, ne discedas a me. Ne tradas me in manus quærentium animam meam, sed libera eam de omni angustia, pijssime Pater. Per Dominum.

SVPER OBLATA.

DEVS, misericordiæ, Deus pietatis, Deus indulgentiæ, indulge, quæso, mihi, & miserere mei: sacrificium quoque, quod pietatis tuæ humiliter gratiæ offero, benigne dignare suscipere, vt peccata, quæ labentibus vitijs contraxi, pius & propitius ac D misericors indulgeas, & locum pœnitentiæ ac flumina lacrymarum concedas, vt veniam a te merear accipere. Per Dominum nostrum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Vere sanctus, vere glorioſus Iesus Christus Filius tuus: in cuius honore hæc munera, etsi indignus, pro emendatione vitiorum, & redemptione peccatorum meorum offero tibi, hæc sancte Pater omnipotens, æterne Deus, licet meis manibus offerantur; quia nec inuocatione tui nominis dignus sum: sed quia per sanctum, atque sanctificatum Filij tui nomen oblationes offeruntur, sicut incensum in conspectum tuum cum odore suauitatis ascendant. Per Christum Dominum nostrum. E

INTRA ACTIONEM. F

HANC igitur oblationem, quam tibi offero, Domine, pro peccatis meis nimijs, atque offensionibus, Maiestatem tuam totis viribus, Deus pijssime, humili prece deposco, vt dignanter suscipias, & remittas crimina, quæ carnis fragilitate, atque tentatione iniquorum spirituum admisi, etiam reuerti me ad ea non sinas, sed confirma me in iustificationibus tuis, & perseuerantiam mihi tribue in eis, & fac me dignum ante conspectum tuum astare, sacrificiumq. tibi casto corpore, & mundo corde digne offerre. Diesq. nostros, &c.

AD

A AD COMPLENDVM.

DEVS, viuorum, & Saluator omnium, qui non vis mortem peccatorum, nec lætaris in perditione morientium, Te suppliciter deprecor, vt concedas mihi veniam delictorum meorum: & vt commissa defleam, & postmodum non admittam: vt, cum mihi extrema dies finisq. vitæ aduenerit, emundatum delictis omnibus me Angelus sanctitatis suscipiat. Per Dominum.

ALIA.

AVRES tuæ pietatis, mitissime Deus, inclina precibus meis, & gratia sancti Spiritus illumina cor meum, vt tuis mysterijs digne ministrare, Teq. æterna charitate diligere merear. Per.

B ITEM ALIA MISSA.

INFIRMITATEM meam respice, omnipotens Deus, & quia me pondus propriæ actionis grauat, Beatæ Mariæ intercessio glorioſa me peccatorem protegat. Per.

SVPER OBLATA.

HOSTIAS tibi, Domine, quas offero propitius suscipe: & intercedente Beata, & glorioſa, semperq. Virgine Maria, vincula peccatorum meorum absolue. Per.

AD COMPLENDVM.

AVXILIENTVR nobis, Domine, sumpta mysteria: & intercedente Beata, & glo-
C rioſa, semperq. Virgine Dei Genitrice Maria, sempiterna protectione confirment. Per.

ITEM ALIA MISSA.

DEVS, cui accepta sunt vota fidelium, suppliciter exoro, vt vota mea dignanter accipias: tribue mihi quæso magna pro paruis, cæleſtia pro terrenis: pro temporalibus præmia sempiterna: da mihi auxilij tui præsidium, vt quod deprecor obtineam, & quod humiliter imploro, Deo largiente, suscipiam. Per.

SVPER OBLATA.

D PROPITIARE, Domine, supplicationibus meis, & has oblationes, quas Tibi pro peccatis meis offero: benignus assume: & non sit irritum votum meum, sed neque vacua postulatio mea. Præsta, quæso, vt quod fideliter & humiliter peto, efficaciter consequi merear. Per Dominum nostrum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Maiestatem tuam suppliciter deprecor, vt me ab omnibus iniquitatibus meis dignanter expedias, & nec proprium fieri patiaris excessum, nec alienis impietatibus præbere consensum, sed mores meos hac moderatione componas, vt tam in me, quàm in alijs, quæ sunt
E iusta seruemus. Per Christum Dominum nostrum.

AD COMPLENDVM.

HVIVS, Domine, quæso virtute mysterij, & me famulum tuum a proprijs emunda occultis, & ab omnibus absolue peccatis. Per Dominum nostrum.

MISSA

Pro tentationibus inimicorum inuisibilium, vel cogitationibus cordium immundorum.

OMNIPOTENS mitissime Deus, respice propitius preces nostras, & libera cor nostrum de malorum tentatione cogitationum, vt Spiritus sancti dignum fieri habitaculum mereamur. Per Dominum nostrum.

SVPER OBLATA.

HAS tibi, Domine Deus, offerimus oblationes pro salute, nostra quatenus animas A
nostras ab immundis cogitationibus purges, illæsasq. custodias, & sancti Spiritus gratia illuminare digneris. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Humiliter tuam deprecantes clementiam, vt gratiam sancti Spiritus animabus nostris clementer infundere digneris, vt Te perfecte diligere & digne laudare mereamur. Per Christum.

AD COMPLENDVM.

PER hoc, quæsumus, Domine, sacrificium, quod tuæ obtulimus Maiestati, ab omnibus cor nostrum emunda tentationibus. Per.

ALIA. B

DEVS, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum: illumina, quæsumus, cor nostrum gratiæ tuæ splendore, vt digna ac placita Maiestati tuæ cogitare semper, & Te sincere diligere valeamus. Per Dominum.

MISSA CONTRA TENTATIONEM CARNIS.

VRE, quæsumus, Domine, igne sancti Spiritus renes & cor nostrum, vt tibi casto corde seruiamus, & corpore placeamus. Per eiusdem.

Secreta.

DISRVMPE, Domine, vincula peccatorum nostrorum, vt sacrificare Hostiam laudis & absoluta libertate, ac munda mente possimus: retribue quæ ante tribuisti, C
& salua nos per indulgentiam, quos dignatus es saluare per gratiam. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Salua me ex ore leonis sæuissimi, qui fugiens circuit, quærens de vnitate Ecclesiæ tuæ, quæ rapiat atque deuoret: sed tu fortissime leo de tribu Iuda contere contrariam virtutis eius nequitiam: meq. ab igneis eius impugnationibus liberatum, corpore conserua, & mente purifica. Per.

INTRA ACTIONEM.

HANC igitur oblationem seruitutis nostræ, quam tibi offerimus, Domine Deus D
noster, obsecrantes a te munus animarum, & corporum nostrorum contra ignita iacula inimici, quæsumus, Domine, vt placatus accipias: meq. a cunctis tentationibus carnis, & ab omnibus suasionibus diaboli brachio fortitudinis tuæ liberare digneris, & tibi sancte & deuote, vt animæ expedit, corpore seruire concedas. Per Dominum.

AD COMPLENDVM,

DOMINE adiutor, & protector noster, refloreat cor, & caro nostra vigore pudicitiæ & castimoniæ nouitate, quatenus per hoc sacrificium, quod tuæ obtulimus pietati, ab omnibus emundemur tentationibus. Per Dominum nostrum.

MISSA OMNIVM SS. QVOTIDIANIS DIEBVS. E

DEVS, qui nos Beatæ Mariæ semper Virginis, & Beatorum Apostolorum, Martyrum, & Confessorum, Virginum, atque omnium simul Sanctorum continua lætificas memoria: Præsta, quæsumus, vt quos quotidiano veneramur officio, etiam piæ conuersationis semper sequamur exemplo. Per.

SVPER OBLATA.

MVNERA tibi, Domine, nostræ deuotionis offerimus, quæ & pro tuorum grata tibi sint honore iustorum, & nobis salutaria, Te miserante, reddantur. Per.

AD

AD COMPLENDVM.

A PRAESTA nobis, Domine, quæsumus, intercedentibus omnium Sanctorum tuorum meritis, vt quæ ore contigimus, puro corde capiamus. Per Dominum.

ALIA.

FAC nos, Domine, quæsumus, Sanctæ Mariæ semper Virginis subsidijs attolli, & glorioſa Beatorum Apoſtolorum, Martyrum, & Confeſſorum, atque Virginum, omniumq. ſimul Sanctorum protectione defendi, vt dum eorum pariter quotidie memoriam celebramus, eorum pariter ab omnibus aduerſis ſemper protegamur auxilio. Per Dominum.

B

ITEM ALIA MISSA.

MAIESTATEM tuam, Domine, ſupplices deprecamur, vt, ſicut nos iugiter omnium Sanctorum tuorum commemoratione lætificas, ita ſemper ſupplicatione defendas. Per.

ALIA.

CONCEDE, quæſumus, omnipotens Deus, vt ſancta Dei Genitrix, ſanctiq. tui Apoſtoli, & omnes Martyres, Confeſſores, ac Virgines, perfectique, tui iuſti nos vbique lætificent, vt dum eorum merita recolimus, patrocinia ſentiamus. Per.

Secreta.

HOSTIA, quæſumus, Domine, quam in omnium Sanctorum tuorum commeC moratione tuæ offerimus Maieſtati, & vincula noſtræ prauitatis abſoluat, & tuæ nobis miſericordiæ dona conciliet. Per.

AD COMPLENDVM.

LAETETVR Eccleſia tua, Deus, omnium Sanctorum tuorum confiſa ſuffragijs, vt eorum precibus glorioſis, & deuota permaneat, & ſecura conſiſtat. Per Dominum.

SVPER POPVLVM.

ADESTO, Domine, populo tuo placatus & clemens, vt eorum ſupplicatione, qui tuæ placuerunt pietati, Te largiente, ad vitam perueniant ſempiternam. Per.

D

MISSA SANCTÆ MARIÆ VIRGINIS.

CONCEDE nobis famulis tuis, quæſumus, Domine Deus, perpetua mentis & corporis ſanitate gaudere: et glorioſa Beatæ Mariæ ſemper Virginis interceſſione, a præſenti liberari triſtitia, & futura perfrui lætitia. Per.

Secreta.

TVA, Domine, propitiatione, & Beatæ Mariæ ſemper Virginis interceſſione, ad perpetuam atque præſentem hæc oblatio nobis proficiat proſperitatem. Per.

AD COMPLENDVM.

SVMPTIS, Domine, ſalutis noſtræ ſubſidijs, da quæſumus, eius nos patrocinijs vbique protegi, in cuius veneratione, hæc tuæ obtulimus Maieſtati. Per.

E

SVPER POPVLVM.

OMNIPOTENS Deus, famulos tuos dextera potentiæ tuæ a cunctis protege periculis, & Beata Maria ſemper Virgine intercedente, fac eos præſenti gaudere proſperitate & futura. Per.

MISSA

In qualibet Eccleſia, in honore Sanctorum, quorum reliquiæ ibidem venerantur.

CONCEDE, quæſumus, omnipotens Deus, vt Sancta Dei Genitrix Maria, Sanctiq. tui Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, Virgines, atque omnes Sancti, quorum reliquiæ

liquiæ in ista continentur Ecclesia, patrocinia nos vbique adiuuent; quatenus hic in illorum præsenti suffragio tranquilla pace in tua laude lætemur. Per. A

Secreta.

MVNERA tuæ, misericors Deus, Maiestati oblata, benigno, quæsumus, suscipe intuitu, vt eorum nobis precibus fiant salutaria, quorum sacratissimæ in hac Basilica reliquiæ reconduntur. Per.

AD COMPLENDVM.

DIVINA libantes mysteria, quæsumus, Domine, vt eorum nos vbique intercessio protegat, quorum hic sacra gaudemus præsentia. Per.

ALIA.

EXAVDI, Domine Deus, clementer in hac domo tua preces seruorum tuorum, quatenus illorum meritis tuam consequamur gratiam, quorum hic veneramur patrocinia. Per. B

MISSA IN CONCILIO.

INFVNDE, quæsumus, famulis tuis, Domine Deus Spiritum veritatis & pacis, vt quæ tibi placita sunt, toto corde cognoscant, & agnita tota virtute sectentur. Per.

Secreta.

RESPICIAT, quæsumus, clementia tua, Domine Iesu, munera seruorum tuorum: & gratiam tuæ miserationis illis impende, vt quæ recta sunt in oculis tuis, veraciter intelligant, & fiducialiter loquantur. Per Dominum. C

AD COMPLENDVM.

DA nobis misericors Deus, vt sancta tua, quæ sumpsimus, nos in voluntate tua confirment, & veritatis vbique prædicatores efficiant. Per.

SVPER POPVLVM.

CONSERVA, quæsumus, Domine Deus, longæua prosperitate populo tuo Rectorem, quem dedisti: & nobis famulis tuis tuæ charitatis Spiritum infunde, & populum Christianum potentiæ tuæ dextera ab omni aduersitate custodi. Per.

D

MISSA IN MONASTERIO.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, prætende super famulum tuum *N.* Abbatē cum Congregatione Beati Benedicti sibi commissa, Spiritum gratiæ salutaris: & vt in veritate tibi complaceant, perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde. Per.

ALIA.

FAC, quæsumus, Domine, famulos tuos toto semper ad te corde concurrere, Tibi subdita mente seruire, tuam misericordiam suppliciter exorare, & tuis iugiter beneficijs gratulari. Per Dominum.

Secreta.

HOSTIAS, Domine, famulorum tuorum placatus intende: & quas in honore nominis tui deuota mente pro eis celebramus, proficere sibi sentiant ad medelam. Per Dominum. E

AD COMPLENDVM.

QVOS cælesti recreas munere, Domine, perpetuo comitare præsidio: & quos fouere non desinis, dignos fieri sempiternæ redemptionis concede. Per.

MISSA COMMVNIS.

SVSCIPE clementissime Pater, omnipotens, æterne Deus, supplicationes & preces, quas tibi ego peccator præsumo offerre in honore Domini nostri Iesu Christi, & in

& in commemoratione Sanctæ, & Beatæ Mariæ semper Virginis, Matris Domini no-
A stri Iesu Christi, & omnium Apostolorum, Martyrũ & Confessorum tuorum, ac Virginum tuarum, pro pace & sanitate populorum tuorum, & fructibus terræ, pro stabilitate Ecclesiæ, & ordine Sanctorum, & sanitate Regis, & Episcopi nostri, atque Comitis nostri, & pro me misero famulo tuo, & pro omnibus viuentibus famulis, ac famulabus tuis, atque defunctis fidelibus tuis, qui mihi propter nomen tuum, Domine, bona fecerunt, & mihi in tuo nomine confessi fuerunt: & concede propitius, vt intercedentibus omnibus Sanctis tuis, ante conspectum diuinæ Maiestatis tuæ misericordiam tuam consequi mereamur. Per.

Super Oblata.

B Oblationes nostras, quæsumus, Domine, propitius intende, quas tibi offerimus in honore Domini nostri Iesu Christi, & in commemoratione Beatæ Virginis Mariæ, & Beatorum Apostolorum, Martyrum, & Confessorum, ac Virginum tuarum, & pro pace, & sanitate, & prosperitate itineris nostri, & pro incolumitate famulorum famularumq. tuarum, quorum commemorationem agimus: & pro animabus omnium fidelium tuorum, defunctorum tuorum, catholicorum, orthodoxorum, quorum numerum & nomina tu solus, Domine, agnoscis: & concede, vt per sacrificium præsentis oblationis, ad refrigerium animarum nostrarum, Te miserante, peruenia-mus. Per.

Praefatio.

C Vere dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui cum Vnigenito tuo, & Spiritu sancto Deus es vnus & immortalis: Deus incorruptibilis & irreprehensibilis, Deus inuisibilis & fidelis, Deus mirabilis & laudabilis, Deus honorabilis & fortis, Deus altissimus & magnificus, Deus viuus & verus, Deus sapiens & potens, Deus sanctus & pretiosus, Deus magnus & bonus, Deus terribilis & pacificus, Deus pulcher & rectus, Deus purus & benignus, Deus beatus & iustus, Deus pius & glorioſus, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, non in vnius singularitate personæ, sed in vnius Trinitate substantiæ, Te confitemur, Te benedicimus, Te adoramus, & laudamus. Per Christum.

Intra Actionem,

D Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, quam tibi offerimus, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, in honore Domini nostri Iesu Christi, & in commemoratione Beatæ semper Virginis Mariæ, & Beatorum Apostolorum, Martyrum & Confessorum tuorum, & Virginum tuarum, & pro incolumitate nostra, & pro famulis ac famulabus tuis, quorum commemorationem agimus: & pro animabus famulorum famularumq. tuarum, quorum nomina supra sanctum Altare tuum scripta adesse videntur, quæsumus, Domine, vt dignanter suscipias, & tua pietate concedas, vt consequuti gratiæ tuæ dignitatem, æternæ vitæ percipiant portionem. Per Christum.

Ad Complendvm.

E Laeti, Domine, sumpsimus sacramenta cælestia, quæsumus, vt intercedente Beata, & glorioſa semper Virgine Dei genitrice Maria, & omnibus Sanctis Apostolis, & Martyribus, Confessoribus, & Virginibus tuis, ad vitam nobis proficiant sempiternam. Per.

Alia.

Devs consolationis & pacis, respice, quæsumus, ad pacem familiæ tuæ, & concede, vt animæ famulorum famularumq. tuarum, quæ ab Adam vsque in hodiernum diem de hac luce migrauerunt, quiq. baptizati & confessi, in fide catholica perseuerauerunt, & de suis rebus Ecclesias Dei ditauerunt, & de quorum eleemosynis sumus consolati, in sinibus Abrahæ, Isaac, & Iacob feliciter requiescant: moxq. a mortuis resuscitati, Tibi placeant in regno viuorum. Per.

MISSA

MISSA OMNIMODA.

A

SANCTAE Dei genitricis Mariæ, ac Beatorum Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, atque omnium Sanctorum tuorum, quæsumus, omnipotens Deus, famulum tuum *Ill.* intercessionibus protege, pariterq. ei familiaritate, atque consanguinitate coniunctos, & omnem populum Christianum ab omni prauitate defende. Commissum etiam sibi ad regendum gregem custodi, & animabus famulorum famularumq. tuarum *Ill.* & cunctorum fidelium defunctorum, requiem tribue benignus sempiternam, & Sanctorum tuorum cœtibus consociare dignare propitius. Per.

Secreta.

OBLATIONIS huius, Domine, placare muneribus: & intercedentibus omnibus B
Sanctis tuis *Ill.* Pontificem, & omnes ad se attinentes, aut familiaritate, aut consanguinitate, & omnem populum Christianum a cunctis defende periculis, & animabus famulorum famularumq. tuarum, & cunctorum fidelium defunctorum, per hæc sancta sacrificia remissionem omnium tribue peccatorum. Per Dominum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et tuam clementiam profusis precibus implorare, vt intercedente Beata & gloriosa semper Virgine Dei genitrice Maria, & omnibus Sanctis tuis, cunctorum peccatorum veniam famulus tuus *Ill.* consequi mereatur: & eos, quos ei cura regiminis sociasti, ac familiaritate C
& consanguinitate iunxisti, & omnem populum Christianum, Angelorum, omniumq. Sanctorum tuorum tuere præsidijs: & animabus famulorum famularumq. tuarum *Ill.* & cunctorum fidelium defunctorum, vt in pacis ac lucis regione constituas deprecamur. Per Christum.

INTRA ACTIONEM.

HANC igitur oblationem, quam tibi pro famulo tuo *Ill.* atque grege sibi cõmisso, & propinquitate, vel familiaritate coniunctis, ac salute cuncti populi Christiani suppliciter immolamus, quæsumus, Domine, benignus accipias, & tua pietate concedas, vt & illis proficiat huius pietatis affectus, & animabus famulorum famularumq. tuarum, vel omnium defunctorum impetret beatitudinem sempiternam. Diesq. nostros, *&c.*

AD COMPLENDVM. D

PVRIFICET, quæsumus, Domine, famulum tuum, *Ill.* diuini sacramenti libatio, & gloriosa sanctæ Dei genitricis Mariæ, & omnium Sanctorum tuorum oratio, & gregi sibi commisso, ac familiaritate & consanguinitate iunctis, & omni populo Christiano misericordiam tuam vbique prætende: & animabus famulorum famularumq. tuarum, & cunctorum fidelium defunctorum remissionem omnium tribue peccatorum. Per.

MISSA DE SANCTA SAPIENTIA
FERIA II.

DEVS, qui per coæternam tibi Sapientiam, hominem, cum non esset condidisti, perditumq. misericorditer reformasti: præsta, quæsumus, vt eandem, Te inspirante, E
tota mente amemus, & ad Te toto corde curramus. Per Dominum.

SVPER OBLATA.

SANCTIFICETVR, quæsumus, Domine, huius nostræ oblationis munus; tua cooperante Sapientia, vt tibi placere possit ad laudem, & nobis proficere ad salutem. Per eundem Dominum nostrum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui tui nominis agnitionem

A tionem, & tuæ potentiæ gloriam nobis in coæterna tibi Sapientia reuelare voluisti: vt tuam cognoscentes voluntatem, & tuis inhærentes mandatis, tecum vitam habeamus ætetnam. Per Christum.

AD COMPLENDVM.

INFVNDE, quæsumus, Domine Deus, per hæc sancta, quæ sumpsimus, tuæ cordibus nostris lumen Sapientiæ, vt te veraciter agnoscamus, & fideliter diligamus. Per Dominum.

SVPER POPVLVM.

DEVS, qui misisti Filium tuum, & ostendisti creaturæ Creatorem, respice propitius, super nos famulos tuos, & præpara agiæ Sophiæ dignam in cordibus nostris habitationem. Per.

B

MISSA DE CHARITATE
FERIA III.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui iustitiam tuæ legis in cordibus credentium digito tuo scribis, da nobis Fidei, Spei, & Charitatis augmentum: &, vt mereamur assequi, quod promittis, fac nos amare quod præcipis. Per.

SVPER OBLATA.

MITTE, Domine, quæsumus, Spiritum sanctum, qui & hæc munera præsentia nostra tuum nobis efficiat sacramentum, & ad hoc percipiendum nostra corda purificet. Per.

C AD COMPLENDVM.

SPIRITVM nobis, Domine, tuæ charitatis infunde, vt quos vno cælesti pane satiasti, vna facias pietate concordes. Per.

ALIA.

DEVS, vita fidelium, gloria humilium, beatitudo iustorum, propitius accipe supplicum preces, vt animæ, quæ promissiones tuas sitiunt, de tuæ semper charitatis abundantia repleantur. Per Dominum.

ITEM ALIA.

SANCTI Spiritus gratia, quæsumus, Domine, corda nostra illuminet: & perfe-
D ctæ charitatis dulcedine abundanter reficiat. Per Dominum.

MISSA AD SVFFRAGIA ANGELORVM POSTVLANDA
FERIA IV.

PERPETVVM nobis, Domine, tuæ miserationis, præsta subsidium, quibus Angelica præstitisti suffragia non deesse. Per.

SVPER OBLATA.

HOSTIAS tibi, Domine, laudis offerimus suppliciter deprecantes, vt easdem Angelico pro nobis interueniente suffragio, & placatus accipias, & ad salutem nostram prouenire concedas. Per.

E PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Quamuis enim illius sublimis Angelicæ substantiæ sit habitatio, semper in cælis, tuorum tamen fidelium præsumit affectus, pro tuæ reuerentia potestatis, per hæc piæ deuotionis officia quoddam retinere pignus in terris adstantium in conspectu tuo iugiter ministrorum. Per Christum.

AD COMPLENDVM.

REPLETI, Domine, benedictione cælesti, suppliciter imploramus, vt quod fragili celebramus officio, Sanctorum Archangelorum nobis prodesse sentiamus auxilio. Per Dominum.

SVPER

SVPER POPVLVM.

PLEBEM tuam, quæsumus, Domine, perpetua pietate custodi, vt secura semper, A
& necessarijs adiuta subsidijs, & spirituum Tibimet placitorum tua semper veneratione lætetur. Per.

MISSA DE POENITENTIÆ LACRYMIS PETENDIS
FERIA V.

OMNIPOTENS mitissime Deus, qui sitienti populo fontem viuentis aquæ de petra produxisti, educ de cordis nostri duritia compunctionis lacrymas, vt peccata nostra plangere valeamus, remissionemq. Te miserante, mereamur accipere. Per.

Secreta.

HANC, Domine, quæsumus, oblationem, quam tuæ Maiestati pro peccatis no- B
stris offerimus, propitius respice: & produc de oculis nostris lacrymarum flumina, quibus debita flammarum incendia valeant extingui. Per Dominum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Qui Beatum Petrum Apostolum pietatis suæ respexit intuitu, vt trinæ negationis peccatum amatissimis dilueret lacrymis, per infusionem sancti Spiritus peccatorum nostrorum pondere lacrymas nobis elice pœnitentiæ, vt amare defleamus quæ inique gessimus, quatenus fructuosus in conspectu pietatis tuæ nostræ petitionis proueniat affectus: atque per eum nobis veniam sperare liceat, qui tradi- C
tus est pro delictis nostris, vt redimeret nos sanguine suo, Iesus Christus Saluator noster. Per quem, Maiestatem tuam.

AD COMPLENDVM.

SACRIFICIVM, quod tuæ, Domine Deus, obtulimus pietati, nobis ad veniam nostrorum proficiat peccatorum, & tuæ miserationis semper tribuat solatium. Per.

ALIA.

GRATIAM sancti Spiritus, Domine Deus, cordibus nostris clementer infunde, quæ nos gemitibus efficiat lacrymarum maculas nostrorum diluere peccatorum, atque optatæ nobis, Te largiente, indulgentiæ præstet effectum. Per Dominum.

D

MISSA DE SANCTA CRVCE
FERIA VI.

DEVS, qui Vnigeniti Filij tui pretioso sanguine viuificæ Crucis vexillum sanctificare voluisti, concede, quæsumus, nos, qui eiusdem Sanctæ Crucis gaudemus honore, tua quoque vbique protectione gaudere. Per eundem.

SVPER OBLATA.

HAEC oblatio, quæsumus, Domine, ab omnibus nos purget offensis, quæ in ara Crucis etiam totius mundi tulit offensam. Per.

E

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui salutem humani generis in ligno Crucis constituisti, vt vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret: & qui per lignum vincebat, per lignum quoque vinceretur. Per Christum.

AD COMPLENDVM.

ADESTO, Domine Deus noster, & quos Sanctæ Crucis lætari fecisti honore, eius quoque perpetuis defende subsidijs. Per Dominum.

SVPER

SVPER POPVLVM.

A DEVS, qui præclaro salutiferæ Crucis honore, hodiernæ nobis memoriæ gaudia dicasti, tribue, vt vitalis Signi tuitione ab omnibus muniamur aduersis. Per.

MISSA DE GRATIA SANCTI SPIRITVS

POSTVLANDA SABBATO.

DEVS, cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet secretum, purifica per infusionem sancti Spiritus cogitationes cordium nostrorum, vt Te perfecte diligere & digne laudare mereamur. Per eiusdem.

Secreta.

HAEC oblatio, Domine Deus, cordium nostrorum maculas emundet, vt sancti
B Spiritus digna efficiatur oblatio. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui inspicis cogitationum secreta, & omnis nostræ mentis intentio, prouidentiæ tuæ patescit intuitu; respice propitius arcana cordis nostri cubilia, & sancti Spiritus rore nostras purifica cogitationes, vt tua Maiestate digna cogitemus & agamus. Per Christum.

AD COMPLENDVM.

SACRIFICIVM salutis nostræ tibi offerentes, quæsumus, Domine Deus noster, vt concedas nobis purificatis mentibus semper tuæ pietatis celebrare mysterium. Per.
C

ALIA.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, sanctum nos Spiritum votis promereri sedulis, quatenus eius gratia ab omnibus liberemur tentationibus, & peccatorum nostrorum indulgentiam percipere mereamur. Per.

Incipiunt Orationes pro peccatis.

SVCCVRRE, quæsumus, Domine, populo supplicanti, & opem tuam tribue benignus infirmis, vt sincera tibi mente deuota, & præsentis vitæ remedijs gaudeant & futuræ. Per.

ALIA.

D DEVS, qui iuste irasceris, & clementer ignoscis, afflicti populi lacrymas respice, & iram tuæ indignationis, quam iuste meremur, propitiatus auerte. Per.

ALIA.

QVAESVMVS, omnipotens Deus, vt qui nostris fatigamur offensis, & merito nostræ iniquitatis affligimur, pietatis tuæ gratiam consequi mereamur. Per Dominū.

ALIA.

DEVS, cui proprium est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram: & quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis absoluat. Per.

ALIA.

DA nobis, quæsumus, Domine, de tribulatione lætitiam, vt qui diu pro nostris peccatis affligimur, intercedente beato *ill.* Martyre tuo, in tua misericordia respicia-
E mus. Per Dominum.

ALIA.

CLAMANTIVM ad Te, quæsumus, Domine, preces dignanter exaudi, vt sicut Niniuitis in afflictione positis pepercisti, ita & nobis in præsenti tribulatione succurras. Per.

ALIA.

TRIBVLATIONEM nostram, quæsumus, Domine, propitius respice, & iram tuæ indignationis, quam iuste meremur, propitiatus auerte. Per.

ALIA. A

DEVS, qui peccantium animas, non vis perire, sed culpas, contine quam meremur iram, & quam precamur super nos effunde clementiam, vt de mœrore gaudium tuæ misericordiæ consequi mereamur. Per Dominum.

ALIA.

QVAESVMVS, omnipotens Deus, afflicti populi lacrymas respice, & iram tuæ indignationis auerte, vt qui reatum nostræ infirmitatis agnoscimus, tua consolatione liberemur. Per.

ALIA.

DEVS, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccaris nostris meremur, auerte. Per eundem. B

ALIA.

PARCE, Domine, parce populo tuo, vt dignis flagellationibus castigatus, in tua miseratione respiret. Per Dominum nostrum.

ALIA.

DEVS refugium pauperum, spes humilium, salusq. miserorum, supplicationes populi tui clementer exaudi, vt quos iustitia verberum fecit afflictos, abundantia remediorum faciat consolatos. Per.

ALIA.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt qui offensam nostram per flagella cognoscimus, tuæ consolationis gratiam sentiamus. Per. C

ALIA.

NE despicias, omnipotens Deus, populum tuum in afflictione clamantem, sed propter gloriam nominis tui tribulatis succurre placatus. Per Dominum.

ALIA.

EXAVDI, Domine, gemitum populi tui: nec plus apud Te valeat offensio delinquentium, quàm misericordia tua indulta fletibus supplicantium. Per.

ALIA.

OMNIPOTENS Deus, misericordiam tuam nobis placatus impende: vt qui Te contemnendo culpam incurrimus, confitendo veniam consequamur. Per Dominum. D

ALIA.

MOVEAT pietatem tuam, quæsumus, Domine, subiectæ Tibi plebis affectus, & misericordiam tuam supplicatio fidelis obtineat. Per.

ALIA.

AVERTE, quæsumus, Domine, iram tuam propitiatus a nobis, & facinora nostra, quibus indignationem tuam prouocamus, expelle. Per.

ALIA.

MEMOR esto, quæsumus, Domine, fragilitatis humanæ, & qui iuste verberas peccatores, parce propitiatus afflictis. Per Dominum.

ALIA.

AVRES tuæ pietatis, quæsumus, Domine, precibus nostris inclina, vt qui peccatorum nostrorum flagellis percutimur, miserationis tuæ gratia liberemur. Per Dominū. E

MISSA PRO PECCATIS.

EXAVDI, quæsumus, Domine, supplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis, vt pariter nobis indulgentiam tribuas benignus & pacem. Per.

SVPER OBLATA.

ADESTO nobis, quæsumus, Domine, & preces nostras benignus exaudi, vt quod fiducia non habet meritorum, placatio obtineat hostiarum. Per.

PRAE-

PRAEFATIO.

A VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Suppliciter imploran-tes, vt nos ab omnibus peccatis clementer eripias, & a cunctis protegas benignus inimicis. Per Christum.

INTRA ACTIONEM.

HANC igitur oblationem, Domine, quam tibi offerimus pro peccatis, atque of-fensionibus nostris, vt omnium delictorum nostrorum remissionem consequi merea-mur, quæsumus, Domine, vt placatus accipias. Diesq. nostros, &c.

AD COMPLENDVM.

PRAESTA nobis æterne Saluator, vt percipientes hoc munere veniam peccato-
B rum, deinceps peccata vitemus. Per.

SVPER POPVLVM.

SANCTA tua, nos, Domine, quæsumus, & a peccatis exuant, & cælestis vitæ vigore confirment. Per.

MISSA PRO REGIBVS.

DEVS, regnorum omnium, & Christiani maxime protector Imperij, da seruis tuis Regibus nostris *Ill. & Ill.* triumphum virtutis tuæ scienter excolere, vt qui tua constitutione sunt Principes, tuo semper munere sint potentes. Per.

C SVPER OBLATA.

SVSCIPE, Domine, preces, & hostias Ecclesiæ tuæ pro salute famulorum tuorum *Ill. & Ill.* supplicantes, & in protectionem fidelium populorum, antiqua brachij tui operare miracula, vt superatis pacis inimicis, secura tibi seruiat Christiana liber-tas. Per.

AD COMPLENDVM.

DEVS, qui ad prædicandum æterni Regis Euangelium, Romanum imperium præparasti prætende famulis tuis, Principibus nostris, arma cælestia, vt pax Eccle-siarum nulla turbetur tempestate bellorum. Per Dominum.

MISSA QVOTIDIANA PRO REGE.

D QVAESVMVS, omnipotens Deus, vt famulus tuus *Ill.* qui tua miseratione su-scepit regni gubernacula, virtutum etiam omnium percipiat incrementa, quibus de-center ornatus, & vitiorum monstra deuitare, & ad Te, qui via veritas & vita es, gratiosus valeat peruenire. Per.

SVPER OBLATA.

MVNERA, Domine, quæsumus, oblata sanctifica, vt & nobis Vnigeniti tui cor-pus, & sanguis fiant, & *Ill.* Regi ad obtinendam animæ corporisq. salutem, & per-agendum iniunctum officium, Te largiente, vsquequaque proficiant. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & saluare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui es fons immar-cescibilis lucis, & origo perpetuæ bonitatis, Regum consecrator, honorum omnium attributor, dignitatumq. largitor. Cuius ineffabilem clementiam votis omnibus exo-
E ramus, vt famulum tuum *Ill.* quem Regalis dignitatis fastigio voluisti sublimari, sa-pientiæ, ceterarumq. virtutum ornamentis facias decorari: & quia tui est muneris, quòd regnet: tuæ pietatis quòd id feliciter agat. Quatenus in fundamento spei fidei charitatisq. fundatus, peccatorum labe absterssus, de visibilibus, & inuisibilibus hosti-bus triumphator effectus: cum iugis prolis felici effectu lætificatus, subiecti populi augmento, prosperitate, & securitate exhilaratus, cum eis mutua dilectione connexus, & transitorij Regni gubernacula inculpabiliter teneat, & ad æterni infinita gaudia, Te miserante, perueniat. Per Christum.

INTRA ACTIONEM.

HANC igitur oblationem famuli tui *Ill.* quam tibi ministerio officij Sacerdotalis A
offerimus, pro eo, quod ipsi potestatem imperij conferre dignatus es, propitius &
benignus assume, & exoratus nostra obsecratione, concede, vt in Maiestatis tuæ pro-
tectione confidens, & æuo augeatur & regno. Diesq. nostros, &c.

AD COMPLENDVM.

HAEC, Domine, oblatio salutaris famulum tuum *Ill.* ab omnibus tueatur aduer-
sis, quatenus & Ecclesiasticæ pacis obtineat tranquillitatem, & post istius tempo-
ris decursum ad æternam perueniat hereditatem. Per.

MISSA TEMPORE SYNODI PRO REGE DICENDA.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui famulum tuum *Ill.* regni fastigio digna- B
tus es sublimare; Tribue ei, quæsumus, vt in præsenti collecta multitudine cuncto-
rum in cõmune salutem disponat, quatenus a tuæ veritatis tramite non recedat. Per.

SVPER OBLATA.

DEVS, qui miro ordine vniuersa disponis, & ineffabiliter gubernas, præsta quæ-
sumus, vt famulus tuus *Ill.* hæc in præsenti conuentu, & in huius sæculi cursu, Te
adiuuante, peragat, & peragenda decernat, vnde tibi in perpetuum placere valeat. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique
gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui es fons virę, ori-
go luminis, & auctor totius bonitatis, & Maiestatem tuam totis nisibus implorare, C
vt famulo tuo *Ill.* cui concessisti regendi populi curam, tribuas id secundum tuam
voluntatem exequendi efficaciam: vt non sua tantum delectatus prouectione, quam
regendæ multitudinis oneratus administratione id in præsentis cleri, vel populi col-
lecta multitudine, Te opitulante, deliberet quod nequaquam a tua voluntate discor-
det: quatenus & vitæ propriæ, & suscepti regiminis composito moderamine, &
mundi cursus pacifico ei tuo ordine dirigatur, & congregatæ multitudinis caterua
tranquilla deuotione lætetur. Per Christum.

AD COMPLENDVM.

CONCEDE, quæsumus, omnipotens Deus, his salutaribus sacrificijs placatus *Ill.*
ad peragendum regalis dignitatis officium inueniatur semper idoneus, & cælestis Pa D
triæ gaudijs reddatur acceptus. Per Dominum nostrum.

MISSA PRO REGE ET EXERCITV EIVS.

DEVS, in Te sperantium salus, & Tibi seruientium fortitudo, suscipe propitius pre-
ces nostras, & da famulo tuo *Ill.* Regi & cuncto exercitu eius regimen tuæ sapien-
tiæ, vt hausti pio de fonte consilijs, & Tibi placeant, & de omnibus inimicis suis
aduersarijs efficiantur victores. Per Dominum.

ALIA.

DEVS, qui regnorum regumq. omnium es dominator, supplicationes nostras
clementer exaudi: & famuli tui *Ill.* Regis, eiusq. exercitus Tibi subditum protege Prin E
cipatum, vt tua virtute muniti, omnibus sint hostibus fortiores: & qui in sua feri-
tate confidunt, potentiæ tuæ brachio comprimantur. Per.

Secreta.

SVSCIPE, Domine, preces, & hostias Ecclesiæ tuæ, pro salute famuli tui *Ill.*
suorumq. omnium supplicantis, & antiqua brachij tui clementer operare miracula,
quatenus prostratis pacis inimicis, secura tibi seruiat Christianorum libertas. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique
gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Pietatem tuam humi-
liter

A liter deprecantes, vt famulum tuum *Ill.* Regem: & omnem exercitum eius a cunctis aduersitatibus clementer eripias, & ab omnibus protegas benignus inimicis, vt in tua confidentes virtute fiant cunctis hostibus fortiores. Per Christum Dominum nostrum.

AD COMPLENDVM.

DEVS, cuius regnum, regnum est omnium sæculorum, prætende, quæsumus, famulo tuo *Ill.* & omni exercitui eius, arma cælestia, vt pax Ecclesiarum nulla turbetur tempestate bellorum. Per.

Orationes tempore belli.

OMNIPOTENS, & misericors Deus, a bellorum nos, quæsumus, turbine sac
B quietos, quia bona nobis cuncta præstabis, si pacem dederis & mentis & corporis. Per.

ALIA.

OMNIPOTENS Deus, Christiani nominis inimicos virtute, quæsumus, tuæ com prime Maiestatis, vt populus tuus & fidei integritate lætetur, & temporum tranquillitate semper exultet. Per.

MISSA IN TEMPORE BELLI.

DEVS, regnorum omnium, regumq. dominator, qui nos & percutiendo sanas,
& ignoscendo conseruas, prætende nobis misericordiam tuam, vt tranquillitate pa-
C cis, tua potestate firmata, ad remedia correctionis vtamur. Per.

ALIA.

DEVS, cuius regnum, regnum est omnium sæculorum, supplicationes nostras clementer exaudi: & Christianorum regnum tibi subditum protege, vt in tua virtute fidentes, & tibi placeant, & super omnia regna præcellant. Per.

ITEM ALIA MISSA.

DEVS, qui conteris bella, & impugnatores in te sperantium potentia tuæ defen
D sionis expugnas: auxiliare implorantibus misericordiam tuam, vt omnium Gentium feritate compressa, indefessa Te gratiarum actione laudemus. Per.

SVPER OBLATA.

SACRIFICIVM, Domine, quod immolamus intende, vt ab omni nos exuat bellorum nequitia, & in tuæ protectionis securitate constituat. Per Dominum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Te toto corde prostrati suppliciter exoramus, vt & præteritorum nobis concedas veniam delictorum,
& ab omni mortalitatis incursu continua nos miseratione protegas. Quia tunc de-
E fensionem tuam non diffidimus adfuturam, cum a nobis ea, quibus Te offendimus, dignanter expuleris. Per Christum.

AD COMPLENDVM.

SACROSANCTI corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi refectione vegetati, supplices te rogamus, omnipotens Deus, vt hoc remedio singulari ab omnium peccatorum nos contagione purifices, & a periculorum munias incursione cunctorum. Per eundem,

ALIA.

PROTECTOR noster aspice Deus, & ab hostium nos defende periculis, vt omni perturbatione summota, liberis tibi mentibus seruiamus. Per Dominum.

ITEM ALIA MISSA.

A

HOSTIVM noſtrorum, quæſumus, Domine, elide ſuperbiam, & dexteræ tuæ virtute proſterne. Per.

Secreta.

HVIVS, Domine, quæſumus, virtute myſterij, & a noſtris mundemur occultis, & ab inimicorum liberemur inſidijs. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui ſubiectas tibi glo
rificas poteſtates, ſuſcipe, quæſumus, propitius preces noſtras, & vires adde Princi- B
pibus noſtris, vt qui ſe dextera tua expetunt protegi, nulla poſſint aduerſitate ſuperari: fidelem quoque populum tuum potentiæ tuæ muniat iniuncta defenſio, vt pio ſemper tibi deuotus affectu, & ab infeſtis liberetur inimicis, & in tua iugiter gratia perſeueret. Per Chriſtum.

AD COMPLENDVM.

VIVIFICET nos, quæſumus, Domine, participatio tui ſancta myſterij, & pariter nobis expiationem tribuat & munimen. Per Dominum noſtrum.

ITEM ALIA MISSA.

DEVS, qui prouidentia tua cæleſtia ſimul, & terrena moderaris, propitiare Chri- C
ſtianorum rebus, & regibus, vt omnis hoſtium fortitudo, Te pro nobis pugnante, frangatur. Per Dominum.

ALIA.

DEVS, ſeruientium tibi fortitudo regnorum, propitius Chriſtianorum adeſto ſem per Principibus, vt quorum tibi ſubiecta eſt humilitas, eorum vbique excellentior ſit poteſtas. Per.

SVPER OBLATA.

PROPITIARE, Domine, precibus, & hoſtijs famulorum tuorum, & propter nomen tuum Chriſtiani nominis defende Rectores, vt ſalus ſeruientium tibi Principum, pax tuorum poſſit eſſe populorum. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique D
gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Sub cuius poteſtatis arbitrio omnium regnorum continetur poteſtas, Te humiliter deprecamur, vt Principibus noſtris propitius adeſſe digneris, vt qui tua expetunt protectione defendi, omnibus ſint hoſtibus fortiores. Per Chriſtum.

AD COMPLENDVM.

PROTEGE, Domine, famulos tuos ſubſidijs pacis, & mentis & corporis, & ſpiritualibus enutriens eos alimentis, a cunctis hoſtibus redde ſecuros. Per.

ORATIO DE TRIBVLATIONE.

EXAVDI nos, Deus noſter, & in tribulationibus noſtris miſerere nobis: & qui ſolus magnificaris in populis, ſpiritalem lætitiam tribue in ſpe futurorum munerum E
conſtitutis. Per.

ALIA.

EXAVDITOR omnium Deus, exaudi noſtrorum fletuum vocem, & tribue infirmitatibus noſtris perpetuam ſoſpitatem, vt, dum dignanter gemitum noſtri laboris ſuſcipis, tua nos ſemper miſericordia conſoletis. Per.

ALIA.

DOMINE ne in ira tua nos arguas, neque in furore tuo corripias: ſed auſteritati verberis iunge miſericordiam lenitatis, vt non contritionem pœna, ſed eruditionem nobis conferat diſciplina. Per eundem.

ALIA.

ALIA.

A CONVERTE, Domine, oculos cordis nostri, ad cernendam tui iudicij veritatem, vt, dum hic igne spiritali probamur, de tuis in æternum conspectibus cum fructu iustitiæ satiemur. Per Dominum.

ALIA.

FIRMAMENTVM spei, & refugium dolentium, pijssime Deus, salua nos ab inimicis, & a laqueis mortis, vt assumpti de multitudine circumstantium tribulationum, deuotissime sancto nomini tuo cum voce laudationis psallamus. Per Dominum.

ALIA.

SVSCEPTOR omnium clementissime Deus, ne permittas delectari inimicos nostros super nos, sed ita nos tua virtute corrobora, vt, conuerso planctu nostro, in gau-
B dium sanctitatis tuæ memoriam iugiter excolamus. Per.

ALIA.

A PRESSVRA, quæ circumdedit nos, erue nos, Domine Deus noster: & quia peccata nostra, iniustitiasq. cognouimus, Tu ignosce clementer. Per Dominum.

ALIA.

VVLTVS nostri mirificum salutare, Deus, quem animæ fidelium ardenter sitiunt, seruulorum, tribue, vt, dum Te visibili lacrymarum imbre placare quærimus, inuisibiliter Te intra pectoris nostri tabernaculum collocemus. Per Dominum.

C ALIA.

APPAREAT in nobis, Domine, virtus tua, vt iam non sit tristis anima nostra, quiescat sæuiens ira, vt indulgentiæ tuæ tranquillitate subsequente desideremus iugiter fontem viuum. Per Dominum nostrum.

ALIA.

EXVRGE, Domine, in auxilium nostrum, & erue nos ab opprobrijs vitiorum: & qui coram patribus nostris inimicarum gentium regna vicisti, a persequentibus inimicis, vultus tui illuminatione, nos eripe. Per.

ALIA.

PERSPICVVM imminente tribulatione refugium misericors Deus, sanctifica im-
D petu æterni fluminis habitaculum cordis nostri, vt Te Deo virtutum nobiscum cooperantem terrena prælia confutemus. Per.

ALIA.

BELLORVM inuisibilium optime propugnator, omnipotens Deus, qui in Te confidentes ab inimicis obrui non permittis, exterge, precamur, ab oculis nostris peccati lacrymam, vt dum carnalia bella comprimimus, placere tibi in lumine viuentium mereamur. Per Dominum.

ALIA.

CLEMENTISSIME Domine, salua supplicem populum auxilio dexteræ tuæ, vt dum ad fructum boni operis in tribulationibus exercitatur, tua semper gratia consoletur. Per.

ALIA.

E CONSOLARE, Domine, populum tuum, & libera nos a captiuitate pessima vitiorum: & quidquid ante Te fiducialiter cum lacrymis serimus, Te retribuente, cum gaudio obtinere valeamus. Per Dominum.

MISSA PRO QVACVMQVE TRIBVLATIONE.

INEFFABILEM misericordiam tuam, Domine, nobis clementer ostende, vt simul nos & a peccatis exuas, & a pœnis, quas pro his meremur, eripias. Per Dominũ.

SVPER

SVPER OBLATA. A

PVRIFICET nos, Domine, quæsumus, muneris præsentis oblatio, & dignos sacra participatione perficiat. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui fragilitatem nostram non solum misericorditer donis temporalibus consolaris, vt nos ad æterna prouehas, sed etiam ipsis aduersitatibus sæculi benignus erudis, vt ad cælestia regna perducas. Per Christum Dominum nostrum.

AD COMPLENDVM. B

PRAESTA, Domine, quæsumus, vt terrenis affectibus expiati, ad superni plenitudinem sacramenti, cuius libauimus sancta, tendamus. Per Dominum.

ITEM ALIA MISSA.

PARCE, Domine, parce peccantibus: & vt ad propitiationem tuam possimus accedere, spiritum nobis tribue corrigendi. Per.

Secreta.

QVAESVMVS, Domine, nostris placare muneribus, quoniam tu eadem tribuis, vt placeris. Per. C

AD COMPLENDVM.

TVA sancta nobis, omnipotens Deus, quæ sumpsimus, & indulgentiam præbeant, & auxilium perpetuæ defensionis impendant. Per.

ITEM ALIA MISSA.

PARCE, Domine, parce peccatis nostris, & quamuis incessabiliter delinquentibus continua pœna debeatur, præsta quæsumus, vt quod ad perpetuum meremur exitium, transeat ad correctionis auxilium. Per Dominum.

ALIA.

DOMINE Deus, qui ad hoc iraſceris, vt subuenias: ad hoc minaris, vt parcas: D lapsis manum porrige, & laborantibus multiplici miseratione succurre, vt qui per Te redempti sunt, ad spem vitæ æternæ seruentur. Per.

Secreta.

SACRIFICIA, Domine, tibi cum Ecclesiæ precibus immolanda, quæsumus, corda nostra purificent, & indulgentiæ tuæ nobis dona concilient, & de aduersis prospera sentire perficiant. Per Dominum.

AD COMPLENDVM.

VITIA cordis humani hæc, Domine, quæsumus, medicina compescat, quæ mortalitatis nostræ venit curare languores. Per Dominum. E

ITEM ALIA MISSA.

PARCE, Domine, parce supplicibus: da propitiationis auxilium, qui præstas etiam per ipsa flagella remedium: nec hæc tua correctio, Domine, sit negligentibus maior causa pœnarum, sed fiat eruditio paterna correctis. Per.

Secreta.

SACRIFICIA nos, Domine, celebranda purificent, & cælestibus imbuant institutis. Per.

SIT

AD COMPLENDVM.

A SIT nobis, quæsumus, Domine, medicina mentis & corporis, quod de sancti Altaris tui benedictione percepimus, vt nullis aduersitatibus quatiamur, qui tanti remedij participatione munimur. Per.

ITEM ALIA MISSA.

DEVS, infinitæ misericordiæ, & bonitatis immensæ, propitiare iniquitatibus nostris, & omnibus animarum nostrarum medere languoribus, vt, peccatorum nostrorum remissione percepta, semper in tua benedictione lætemur. Per.

Secreta.

B TVERE nos, Domine, diuinis propitius sacramentis: &, vt his congrue famulemur, eorum præsta potenter effectum. Per eundem.

AD COMPLENDVM.

MVNIAT, quæsumus, Domine, fideles tuos sumpti viuificatio sacramenti: & a vitijs omnibus expeditos in sancta faciat esse deuotione currentes. Per.

ITEM ALIA MISSA.

DEVS, sub cuius oculis omne cor trepidat, & omnes conscientiæ paueſcunt, C propitiare omnium doloribus gementium, & cunctorum medere vulneribus, vt sicut nemo nostrum liber a culpa est, ita nemo sit alienus a venia. Per.

ALIA.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui timore sentiris, dilectione coleris, confessione placaris, misericordiam tuam effunde supplicibus, vt qui de meritorum qualitate diffidimus, non iudicium tuum, sed indulgentiam sentiamus. Per.

Secreta.

SVSCIPE, Domine, propitiatus hostias, quibus & Te placari voluisti, & nobis salutem patientia pietatis tuæ restitui. Per.

D AD COMPLENDVM.

QVOS munere cælesti reficis, Domine, diuino tuere præsidio, vt tuis mysterijs perfruentes, nullis subdamur aduersis. Per.

ITEM ALIA MISSA.

DEVS, humilium consolator, & fidelium fortitudo, propitius esto supplicibus: & da vt humana fragilitas, quæ per se procliuis est ad labem, per Te semper reparetur ad veniam. Per.

ALIA.

E SVSCIPE, misericors Deus, supplicum preces, & secundum multitudinem indulgentiarum tuarum ab omnibus nos absolue peccatis, vt ad omnia pietatis opera, Te parcente, reparemur: & quos venia feceris innocentes, auxilio facias efficaces. Per.

Secreta.

HAEC Hostia, Domine, quæsumus, & ab occultis Ecclesiam tuam reatibus semper expediat, & manifestis conuenienter expurget. Per.

AD COMPLENDVM.

PVRIFICENT nos, Domine, sacramenta quæ sumpsimus, & a cunctis efficiant vitijs absolutos. Per.

ITEM

A

ITEM ALIA MISSA.

QVAESVMVS clementiam tuam, omnipotens Deus, vt, vbi nulla fiducia ſuppetit actionum, gratia tua copioſa reſplendeat, & cum delicta remittit indignis, & cum beneficia præſtat immeritis. Per Dominum.

ALIA.

MISERICORS & miſerator, Domine, qui nos, parcendo, ſuſtentas, & ignoſcendo ſanctificas, dona veniam peccatis noſtris, & ſacramentis cæleſtibus ſeruientes, ab omni culpa liberos eſſe concede. Per Dominum.

B

Secreta.

HOSTIAS tibi, Domine, placationis offerimus, vt & delicta noſtra miſeratus abſoluas, & nutantia corda Tu dirigas. Per Dominum.

AD COMPLENDVM.

SVPPLICES, Te rogamus, omnipotens Deus, vt quos tuis reficis ſacramentis, Tibi placitis moribus dignanter inſormes. Per Dominum.

MISSA PRO PACE.

C

DEVS, a quo ſancta deſideria, recta conſilia, & iuſta ſunt opera, da ſeruis tuis illam, quam mundus dare non poteſt, pacem, vt & corda noſtra mandatis tuis dedita, & hoſtium ſublata formidine, tempora ſint tua protectione tranquilla. Per Dominum.

ALIA.

DEVS, conditor mundi, ſub cuius arbitrio omnium ſæculorum ordo decurrit, adeſto propitius inuocationibus noſtris, & tranquillitatem pacis præſentibus concede temporibus, vt in laudibus miſericordiæ tuæ inceſſabili exultatione lætemur. Per Dominum.

Secreta.

DEVS, qui credentes in Te populos nullis ſinis concuti terroribus, dignare preces & hoſtias dicatæ tibi plebis ſuſcipere, vt, pax tua pietate conceſſa, Chriſtianorum fines ab omni hoſte faciat eſſe ſecuros. Per.

D

AD COMPLENDVM.

DEVS auctor pacis & amator, quem noſſe, viuere: cui ſeruire, regnare eſt; protege ab omnibus impugnationibus ſupplices tuos, vt qui in defenſione tua fidimus, nullius hoſtilitatis arma timeamus. Per.

ALIA.

DEVS, qui miſericordiæ tuæ potentis auxilio, & proſpera tribuis, & aduerſa depellis, vniuerſa obſtacula, quæ ſeruis tuis aduerſantur, expugna, vt remoto terrore bellorum, & libertas ſecura, & religio ſit quieta.

MISSA

E

Tempore (quod abſit) mortalitatis.

ECCLESIAE tuæ, quæſumus, omnipotens Deus, placatus intende conuentum: & miſericordia tua nos potius quàm ira præueniat: quia ſi iniquitates noſtras obſeruare volueris, nulla poterit creatura ſubſiſtere: ſed admirabili pietate, qua nos feciſti, ignoſce peccantibus, vt opera manuum tuarum non facias interire. Per.

ALIA.

EXAVDI, Domine, preces noſtras, & ne velis cum ſeruis tuis adire iudicium: quia ſicut in nobis nulla iuſtitia reperitur, de qua præſumere valeamus, ita Te fontem

A tem pietatis agnoſcimus, a quo & a peccatis noſtris nos abſolui, & a neceſſitatibus libe rari confidimus. Per Dominum.

Secreta.

PER hæc, quæſumus, veniat, Domine ſacramenta noſtræ redemptionis effectus, qui nos & ab humanis retrahat ſemper exceſſibus, & ad ſalutaria cuncta perducat. Per Dominum noſtrum.

AD COMPLENDVM.

HVIVS operatio nos, Domine, ſacramenti, quæſumus, purificet ſemper & muniat. Per.

ITEM ALIA MISSA.

B DEVS, cuius miſericotdia cæleſtium quoque virtutum indigent poteſtates, & in cuius conſpectu nullus eſt hominum abſque ſorde, & pœna peccati: delicta populi, quæſumus, auerte propitiatus, vt quos ptopriæ conſcientiæ reatus accuſat, bonitatis tuæ patientia faciat veniam promereri. Per.

ALIA.

DEVS, cuius tanta eſt excellentia pietatis, vt, vno peccatore conuerſo, maximum gaudium facias in cælis haberi: reſpice in exiguam populi portionem, vt omni depulſa vexatione, hereditas tua & numero augeatur, & deuotione proficiat. Per.

Secreta.

PROTEGAT nos, Domine, quæſumus, hoſtia ſalutaris: & quæ ad honorem no-
C minis tui immolatur, nobis proſit ad veniam. Per.

AD COMPLENDVM.

SANCTA tua, nos, Domine, ſumpta viuificent, & miſericordiæ ſempiternæ præparent expiatos. Per Dominum.

ITEM ALIA MISSA.

EXAVDI, Domine, quæſumus, populum tuum de tua miſericordia malorum ſuorum veniam ſupplicantem: & quia potens es dimittere peccata, ſupplicia, quæ
D noſtris meremur operibus, potentia tuæ pietatis auerte. Per.

ALIA.

IRAM tuam, quæſumus, Domine, a populo tuo miſeratus auerte, quam noſtris quidem meremur operibus, ſed humana fragilitate ſuſtinere non poſſumus, illa nos itaque contine pietate, quam præſtare ſoles indignis. Per.

Secreta.

CONCEDE nobis, Domine, quæſumus, vt hæc hoſtia ſalutaris, & noſtrorum fiat purgatio peccatorum, & tuæ propitiatio poteſtatis. Per Dominum noſtrum.

AD COMPLENDVM.

PLEBEM nomini tuo ſubditam, Domine, propitius intuere, & ei tuas conſola-
E tiones iugiter per cæleſtem gratiam dignanter operare. Per Dominum.

ITEM ALIA MISSA.

DEVS, qui non mortem, ſed pœnitentiam deſideras peccatorum, populum tuum, quæſumus, ad Te conuerte propitius, vt dum tibi deuotus extiterit, iracundiæ tuæ ab eo flagella amoueas. Per.

ALIA.

POPVLVM tuum, quæſumus, omnipotens Deus, ab ira tua ad Te confugientem paterna recipe pietate, vt qui tuæ Maieſtatis flagella formidant, de tua mereantur venia gratulari. Per.

Secre-

Secreta.

SVBVENIAT nobis, Domine, quæsumus, sacrificij præsentis operatio, quæ nos & ab erroribus vniuersis potenter absoluat, & a totius eripiat perditionis incursu. Per Dominum. A

AD COMPLENDVM.

TVERE nos, Domine, quæsumus, tua sancta sumentes, & ab omni propitius iniquitate defende. Per.

ALIA.

EXAVDI nos, Deus salutaris noster, & intercedente Beato Petro Apostolo tuo, populum tuum & ab iracundiæ tuæ terroribus libera, & misericordiæ tuæ fac largitate securum. Per Dominum nostrum. B

MISSA PRO PESTE ANIMALIVM.

DEVS, qui laboribus hominum etiam de mutis animalibus solatia subrogasti, supplices te rogamus, vt sine quibus non alitur humana conditio, nostris facias vsibus non perire. Per.

ALIA.

DEVS, qui humanæ fragilitati necessaria prouidisti, misericors, adminicula iumentorum, quæsumus, eadem miseriæ consulendo non substrahas, & quorum nostris meritis sæuit interitus, tua nobis parcendo clementia cessare iubeas vastitatem. Per Dominum nostrum. C

Secreta.

SACRIFICIIS, Domine, placatus oblatis, opem tuam nostris temporibus clementer impende. Per Dominum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui ideo malis præsentibus nos flagellas, vt ad bona futura perducas: ideo bonis temporalibus consolaris, vt sempiternis efficias certiores. Quo Te & in prosperis & in aduersis pia semper confessione laudemus. Per Christum.

AD COMPLENDVM. D

BENEDICTIONEM tuam, Domine, populus fidelis accipiat, qua corpore saluatus ac mente, & congruam tibi exhibeat seruitutem, & propitiationis tuæ beneficia semper inueniat. Per Dominum nostrum.

ALIA.

AVERTE, Domine, quæsumus, a fidelibus tuis cunctos miseratus errores, & sæuientium morborum depelle perniciem, vt quos merito flagellas deuios, foueas tua miseratione correctos. Per Dominum.

E

MISSA IN CONTENTIONE.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui superbis resistis, & gratiam præstas humilibus, tribue quæsumus, vt non indignationem tuam prouocemus elati, sed propitiationis tuæ capiamus dona subiecti. Per Dominum nostrum.

ALIA.

CONCEDE nobis, misericors Deus, studia peruersa deponere, & sanctam semper amare iustitiam. Per.

Secreta.

AB omni reatu nos, Domine, sancta, quæ tractamus, absoluant, & eadem muniant a totius prauitatis incursu. Per.

AD

AD COMPLENDVM.

A QVOS refeciſti, Domine, cæleſti myſterio, proprijs & alienis, quæſumus, propitiatus abſolue delictis, vt diuino munere, purificatis mentibus, perfruamur. Per.

ALIA.

PRAESTA, quæſumus, omniporens Deus, vt ſemper rationabilia meditantes, quæ ſunt tibi placita, & dictis ſequamur & factis. Per Dominum noſtrum.

MISSA
De irreligioſis.

DEVS, qui fidelium deuotione lætaris, populum tuum, quæſumus, Sanctis tuis fac eſſe deuotum, vt qui ab eorum officio impia prauitate mentis abſcedunt, per
B tuam conuerſi gratiam a diaboli, quibus capti tenentur, laqueis reſipiſcant. Per.

Secreta.

COR populi tui, quæſumus, Domine, conuerte propitius, vt ab his muneribus non recedant, quibus Maieſtatem tuam magnificari depoſcimus. Per.

AD COMPLENDVM.

DA nobis, quæſumus, Domine, ambire quæ recta ſunt, & vitare quæ noxia, vt ſancta quæ ſumimus non ad iudicium nobis, ſed potius proficiant ad medelam. Per.

MISSA
C *De Iudicibus male agentibus.*

ECCLESIAE tuæ, Domine, preces placatus admitte, vt, deſtructis aduerſitatibus vniuerſis, ſecura tibi ſeruiat libertate. Per.

Secreta.

PROTEGE nos, quæſumus, Domine, tuis myſterijs ſeruientes, vt diuinis rebus & corpore famulemur & mente. Per Dominum.

AD COMPLENDVM.

QVOTIDIANI, Domine, quæſumus, munere ſacramenti perpetuæ nobis tribue ſalutis augmentum. Per.

MISSA
D *De obloquentibus.*

PRAESTA, quæſumus, Domine, vt mentium reprobarum non curemus obloquium: ſed, eadem prauitate calcata, exoramus, vt nec terreri nos lacerationibus patiaris iniuſtis, nec captioſis adulationibus implicari, ſed potius amare, quæ præcipis. Per Dominum.

ALIA.

CONSPIRANTES, Domine, contra tuæ plenitudinis firmamentum, dexteræ tuæ virtute proſterne, vt iuſtitiæ non dominetur iniquitas, ſed ſubdatur ſemper falſitas veritati. Per.

ALIA.

DA, quæſumus, omnipotens Deus, ſic nos tuam gratiam promereri, vt noſtros corrigamus exceſſus, ſic fatentibus relaxare delictum, vt coërceamus in ſuis prauiE tatibus obſtinatos. Per.

Secreta.

OBLATIO, Domine, tuis aſpectibus immolanda, quæſumus, vt & nos ab omnibus vitijs potenter abſoluat, & a cunctis defendat inimicis. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Parer omnipotens, æterne Deus, per Chriſtum Domi-

num noſtrum. Per quem, Maieſtatem tuam ſuppliciter exoramus, vt ab Eccleſia A
tua, quidquid eſt noxium, Tu repellas: & quod eidem ſalutare eſt, largiaris: Nosq.
contra ſuperbos ſpiritus, humilitatem tribuas rationabilem cuſtodire, cum gratiam
tuam clementer impendis, vt nec humani incertos conſilij derelinquas, ſed tua, quæ
falli non poteſt, gubernatione diſponas. Per quem, Maieſtatem tuam.

AD COMPLENDVM.

PRAESTA, quæſumus, Domine, vt per hæc ſancta, quæ ſumpſimus, diſſimulatis lacerationibus improborum, ea, Te gubernante, quæ recta ſunt cautius exequamur. Per.

B

ORATIONES
Ad pluuiam petendam.

TERRAM tuam, Domine, quam videmus noſtris iniquitatibus tabeſcentem, cæleſtibus aquis infunde, atque irriga beneficijs gratiæ ſempiternæ. Per Dominũ noſtrũ.

ALIA.

DA nobis, Domine, quæſumus, pluuiam ſalutarem, & aridam terræ faciem fluentis cæleſtibus dignanter infunde. Per Dominum noſtrum.

ALIA.

OMNIPOTENS ſempiterne Deus, qui ſaluas omnes, & neminem vis perire, aperi fontem benignitatis tuæ, & terram aridam aquis fluenti cæleſtis dignanter in- C
funde. Per.

ALIA.

DELICTA noſtra, Domine, nos ipſi cognoſcimus, vt ipſius terræ fæditas monſtrat, tranſgreſſionis exceſſus: Tu autem piiſſime Pater, qui cælum clauſiſti contumacibus & ingratis, reſeratum humilibus & contritis, concede deprecantibus ſubſidia pluuiarum, & largire mœrentibus abundantiam. Per Dominum.

ALIA.

IN afflictione maxima conſtitutis conſolationem tribue, fons largiſſimæ pietatis: deſcendat, quæſumus, pluuia ſalutaris, vt omnia quæ ſub cælo ſunt, irrigentur ab aquis: paſce ſeruos tuos imbribus conſuetis, quos ad laudem tuæ creare dignatus es Maieſtatis. Per. D

ALIA.

OMNIPOTENS Deus, qui ſolus aquas emittis è cælis, dona ſeruis tuis beneficium pluuiæ ſalutaris, vt quod facinore noſtro ſuſpenditur, tuo iam gratuito munere prorogetur. Per.

MISSA
Ad pluuiam poſtulandam.

DEVS, in quo viuimus, mouemur, & ſumus, pluuiam nobis tribue congruentem, vt præſentibus ſubſidijs ſufficienter adiuti, ſempiterna fiducialius appetamus. Per.

ALIA. E

DELICTA fragilitatis noſtræ, Domine, quæſumus, miſeratus abſolue, & aquarum ſubſidia præbe cæleſtium, quibus terrena conditio vegetata ſubſiſtat. Per.

Secreta.

OBLATIS, Domine, placare muneribus, & opportunum nobis tribue pluuiæ ſufficientis auxilium. Per Dominum noſtrum.

AD COMPLENDVM.

TVERE nos, quæſumus, Domine, tua ſancta ſumentes, & ab omnibus propitius abſolue peccatis. Per Dominum.

ITEM

A

ITEM ALIA MISSA.

OMNIPOTENS ſempiterne Deus, cuius munere, elementa omnia recreantur, reminiſcere miſerationum tuarum, & ſalutiferos imbres humano generi concede propitius, quatenus fœcunditatis tuæ alimonijs omnis terra lætetur. Per.

Secreta.

PLACARE, Domine, muneribus ſemper acceptis, & diuturnam tempera diffuſis imbribus ſiccitatem. Per Dominum.

PRAEFATIO.

B VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Obſecrantes miſericordiam tuam, vt ſqualentes agri fœcundis imbribus irrigentur: quibus pariter æſtiui mitigentur ardores, & ſæuientium morborum reſtinguatur acceſſio: ſalus hominibus, iumentisq. proueniat: atque vt hæc, Te largiente, mereamur; peccata, quæ nobis aduerſantur, relaxa: qui pluis ſuper iuſtos & iniuſtos, etiam noſtris offenſionibus relaxatis, expectata nubium munera largiaris, quibus & ſalus nobis & alimenta præſtentur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

AD COMPLENDVM.

PRECIBVS populi tui, quæſumus, Domine, placatus aſpira, vt veniam tribuas
C humanis exceſſibus, & opem miſeris benignus impendas. Per Dominum noſtrum.

ORATIONES

Ad poſcendam ſerenitatem.

DOMINE Deus, qui in miniſterio aquarum ſalutis tuæ nobis ſacramenta ſanxiſti, exaudi orationem populi tui: & iube terrores inundantium ceſſare pluuiarum, flagellumq. huius elementi, ad effectum tui conuerte myſterij, vt qui ſe regenerantibus aquis gaudent renatos, gaudeant his caſtigantibus eſſe correctos. Per.

ALIA.

D QVAESVMVS, omnipotens Deus, clementiam tuam, vt inundantiam coërceas imbrium, & hilaritatem tui vultus nobis impertiri digneris. Per Dominum.

MISSA VT SVPRA.

AD Te, nos, Domine, clamantes exaudi, & aëris ſerenitatem nobis tribue ſupplicantibus: vt qui pro peccatis noſtris iuſte affligimur, miſericordia tua præuenire, clementiam ſentiamus. Per Dominum.

Secreta.

PRAEVENIAT nos, quæſumus, Domine, tua gratia ſemper, & ſubſequatur: &
has oblationes, quas pro peccatis noſtris nomini tuo conſecrandas deferimus, beni-
E gnus aſſume, vt per interceſſionem Sanctorum tuorum cunctis nobis proficiant ad ſalutem. Per.

AD COMPLENDVM.

PLEBS tua, Domine, capiat ſacræ benedictionis augmentum: & copioſis beneficiorum tuorum ſubleuetur auxilijs, quæ tantis interceſſionum deprecationibus adiuuatur. Per.

MISSA AD REPELLENDAM TEMPESTATEM.

DEVS, qui omnium rerum Tibi ſeruientium naturam per ipſos motus aëris ad cultum ruæ Maieſtatis inſtituis, tranquillitatem nobis miſericordiæ tuæ, remotis largire terroribus, vt cuius iram expauimus, clementiam ſentiamus. Per.

ALIA.

A domo tua, quæsumus, Domine, spiritalis nequitiæ repellantur, & aëriarum A
discedat malignitas rempestatum. Per.

Secreta.

OFFERIMVS, Domine, laudes, & munera pro concessis beneficijs, gratias referentes, & pro concedendis semper suppliciter deprecantes. Per.

AD COMPLENDVM.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui nos & castigando sanas, & ignoscendo conseruas, præsta supplicibus tuis, vt & tranquillitatibus tuis huius oblatæ consolationis lætemur, & dono tuæ pietatis semper vtamur. Per Dominum nostrum. B

ORATIO CONTRA FVLGVRA.

Primum sparzatur aqua benedicta.

EXORCIZO te creatura salis & aquæ, in nomine Domini nostri Iesu Christi Nazareni Filij Dei viui, vt sis purgatio, & putificatio in his locis, in quibus aspersa fueris, ad effugandos immundos, & erraticos spititus, omnemq. nefariam vim diaboli pellendam, & omnes figuras, & minas phantasmatis Satanæ exterminandas, & fulgura, & sidera, quæ mitti videntur in hanc domum, vel arborem noin hominibus, aut pecoribus, aut frugibus noceant, sed abscedant, & fugiant per inuocationem nominis Domini nostri Iesu Christi. Qui venturus est. C

Et postea dicatur ista Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, parce metuentibus, & propitiare supplicibus, vt post noxios ignes nubium, & vim procellarum, in materiam transeat laudis comminatio potestatis. Per.

ALIA.

DEVS, cuius Imperio nihil non verbo regitur, nihil non oratione mutatur, parce metuentibus, propitiare supplicibus, vt post noxios ignes nubium, & turbines procellarum, in materiam transeat laudis comminatio potestatis. Per Dominum nostrum. D

ORATIO

Pro fratribus in via dirigendis.

DEVS, qui diligentibus Te misericordiam tuam, semper impendis, & a seruientibus Tibi nulla es regione longinquus, dirige viam famuli tui *Ill.* in voluntate tua, vt Te protectore, & Te præduce, per iustitiæ semitas sine offensione gradiatur. Per Dominum.

ALIA.

EXAVDI, Domine, preces nostras, & iter famuli tui *Ill.* propitius comitare, eiq. E
misericordiam tuam, sicut vbique es, ita vbique largire, quatenus ab omnibus aduersitatibus tua opitulatione defensus, iustorum desideriorum potiatur effectibus, & tibi gratiarum referat actionem. Per.

ALIA.

DEVS, qui ad vitam ducis, & confidentes in Te paterna protectione custodis, quæsumus, vt præsenti famulo tuo a nobis egredienti angelicum tribuas comitatum, vt eius auxilio protectus, nullius mali concutiatur formidine, nullo comprimatur aduersitatis angore, nullis irruentis inimici molestetur insidijs, sed, spatijs necessarij itineris prospero gressu peractis, proprijsq. locis feliciter restitutus, vniuersos reperiat sospites, ac debitas exsoluat tuo nomini gratias. Per Dominum.

MISSA

A

MISSA PRO ITER AGENTIBVS.

ADESTO, Domine, supplicationibus nostris, & viam famuli tui *Ill.* in salutis tuæ prosperitate dispone, vt inter omnes viæ, & vitæ huius varietates, tuo semper protegatur auxilio. Per Dominum.

Secreta.

PROPITIARE, quæsumus, Domine, supplicationibus nostris, & oblationes has, quas tibi offerimus pro famulo tuo *Ill.* benignus assume, vt viam illius, & præcedente gratia tua dirigas: & subsequente, comitari digneris: vt de actu atque incolumitare eius secundum misericordiæ tuæ præsidia gaudeamus. Per.

B

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique grarias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: A quo deuiare, mori: coram quo ambulare, viuere est. Qui fideles tuos in tua via deducis, & miseratione gratissima in veritatem inducis, qui Abrahæ, Isaac, & Iacob in præsentis viæ, & vitæ curriculo, custos, dux, & comes esse voluisti, & famulo tuo Tobiæ Angelum præuium præparasti: Cuius immensam misericordiam humillimis precibus imploramus, vt iter famuli tui *Ill.* cum suis in prosperitate dirigere, eumq. inter viæ, & vitæ huius varietates digneris custodire: quatenus Angelorum tuorum præsidio fultus, intercessione quoque Sanctorum tuorum munitus, a cunctis aduersitatibus tua
C miseratione defensus, profectionis, & reuersionis suæ felicitate poritus, & compos reddatur iustorum votorum, & de suorum lætetur remissione peccatorum. Per Christum.

AD COMPLENDVM.

DEVS, infinitæ misericordiæ, & Maiestatis immensæ, quem nec spatia locorum, nec interualla remporum, ab his, quos tueris, disiungunt, adesto famulo tuo *Ill.*: in te vbique fidenti, & per omnem, quam iturus est, viam, dux ei, & comes esse dignare: nihil illi aduersitatis noceat, nihil difficultatis obsistat: cuncta ei salubria, cuncta sint prospera: & sub ope dexteræ tuæ, quidquid iusto expetierit desiderio, celeri consequatur effectu. Per.

D

ITEM ALIA MISSA.

DEVS, qui sperantibus in Te misericordiam tuam semper impendis, & nusquam es seruientibus Tibi longinquus, concede famulo tuo *Ill.* & suis omnibus prosperum iter, vt te protectore, & duce per iustitiæ callem sine offensione gradiantur. Per.

Secreta.

HAEC hostia, quæsumus, Domine, pro famulo tuo *Ill.* & cunctis sibi adhærentibus, inspectu pietaris tuæ assumatur benigne, tuaq. super eos benedictio larga de-
E scendat, quatenus prosperum agentes iter, tibi Deo seruiant lætiores. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui famulo tuo Tobiæ olim Angelum tuum Raphael ducem itineris præbuisti, omnipotentiam tuam, Domine, humiliter imploramus, vt profectionem serui tui *Ill.* cum suis omnibus prospere dirigas, eosq. Angelorum Sanctorum præsidio tueri non desinas: quatenus vbicumq. discurrerint, nulla discrimina perturbationum incurrant, sed sub tui nominis tuitione muniti, a cunctis protegantur hostibus liberati. Per Christum.

INTRA ACTIONEM.

HANC igitur oblationem, quam tibi offero pro incolumitate famuli tui *Ill.* & om A
nium suorum, quæsumus, vt placatus accipias, pro quo Maiestati tuæ supplices fundimus preces, vt Angelum pacis illi adhærere præcipias: cuius suffulius auxilio incolumis iter agens ad propria valeat remeare. Diesq. nostros, &c.

AD COMPLENDVM.

TVA, Domine, famulum tuum *Ill.* omnesq. cum eo in Te sperantes, quæ sumpsimus sacramenta custodiant, & contra omnes aduersitatum tueantur incursus. Per.

Oratio pro redeuntibus de itinere.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, nostrorum temporum vitæq. dispositor, famulo tuo *Ill.* continuæ tranquillitatis largire subsidium, vt quem incolumem proprijs B
laboribus reddidisti, Tua facias protectione securum. Per.

In aduentu fratrum superuenientium.

DEVS, humilium visitator, qui nos fraterna dilectione consolaris, prætende societati nostræ gratiam tuam, vt per eos, in quibus habitas, tuum nobis sentiamus aduentum.

MISSA PRO NAVIGANTIBVS.

DEVS, qui transtuliisti Patres nostros per mare rubrum, & transuexisti per aquam C
nimiã, laudẽ tui nominis decantantes, supplices deprecamur, vt famulos tuos *Ill.* & *Ill.* repulsis aduersitatibus, portu semper optabili, cursuq. tranquillo tuearis. Per Dominũ.

Secreta.

SVSCIPE, quæsumus, Domine, preces famulorum tuorum cum oblationibus hostiarum: & eos, pro quibus tua mysteria celebramus, ab omnibus defende periculis. Per.

AD COMPLENDVM.

SANCTIFICATI diuino mysterio, Maiestatem tuam, Domine, supplici- D
ter deprecamur, & petimus, vt famulos tuos *Ill.* & *Ill.* quos donis facis cælestibus memorari, per lignum Sancte Crucis, & a peccatis abstrahas, & a periculis cunctis miseratus eripias. Per.

MISSA VOTIVA PRO AMICO, VEL PRO QVO VOLVERIS.

DEVS, qui iustificas impium, & non vis mortem peccatorum, Maiestatem tuam suppliciter deprecamur, vt famulum tuum *Ill.* de tua misericordia confidentem, cæ-
lesti protegas benignus auxilio, & assidua protectione conserues, vt tibi iugiter famuletur, & nullis tentationibus a Te separetur. Per.

Secreta. E

HVIVS, Domine, quæsumus, virtute mysterij, & a proprijs nos munda delictis: & famulum tuum *Ill.* ab omnibus absolue peccatis. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Cuius omnipotentia deprecanda est, misericordia exoranda pietas, amplectenda: Cuius Maiestatem humili preçe deposcimus, vt famulo tuo *Ill.* intercedente Sancto Petro Apostolo tuo, remissionem peccatorum tribuas, eiusq. viam & actus in voluntate tua dirigas, eumq.

a cunctis

a cunctis malis eripias: quatenus a cunctis aduersitatibus liberatus, in tuis bonis con-
A firmatus,& ad bonorum desideriorum vota perueniat: & quæ iuste postulat, Te largiente, percipiat. Per Christum.

AD COMPLENDVM.

PVRIFICENT nos, Domine, quæsumus, sacramenta, quæ sumpsimus: & famulum tuum *Ill.* ab omni culpa liberum esse concede; vt, quia conscientiæ reatu constringitur, cælestis remedij plenitudine glorietur. Per Dominum.

ALIA MISSA VOTIVA.

B OMNIPOTENS sempiterne Deus, miserere famulo tuo *Ill.* & dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis æternæ, vt Te donante tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat. Per.

Secreta.

PROFICIAT, quæsumus, Domine, hæc oblatio, quam tuæ supplices offerimus Maiestati ad salutem famuli tui *Ill.* vt tua prouidentia eius vita inter aduersa,& prospera vbique dirigatur. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum,& iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper,& vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et pietatem tuam sup-
C plici deuotione exposcere, vt hæc oblatio, quam tibi pro famulo tuo *Ill.* offerimus, sit in oculis tuis semper accepta, vt sicut Sanctos tuos fides recta prouexit ad coronam, ita eum deuotio perducat ad veniam: qualiter hac oblatione placatus, a cunctis eum emundes sordibus delictorum,& dites fructu operum bonorum. Per Christū.

INTRA ACTIONEM.

HANC igitur oblationem, quam tibi offerimus, pro famulo tuo *Ill.* vt omnium peccatorum tuorum veniam consequi mereatur, quæsumus, Domine, placatus accipias: & miserationis tuæ largitate concedas, vt fiat ei ad veniam delictorum, & actum emendationem, vt & huc valeat bene viuere, & ad æternam beatitudinem feliciter peruenire. Diesq. nostros, *&c.*

D AD COMPLENDVM.

SVMENTES, Domine, perpetuæ sacramenta salutis, tuam deprecamur clementiam, vt per ea famulum tuum *Ill.* ab omni aduersitate protegas. Per Dominum.

ALIA.

FAMVLVM tuum *Ill.* quæsumus, Domine, tua protectione custodi, vt libera Tibi mente deseruiat,& Te protegente a malis omnibus sit securus. Per.

ITEM ALIA MISSA VOTIVA.

E ADESTO, Domine, suplicationibus nostris,& hanc famuli tui *Ill.* oblationem benignus assume, vt qui auxilium tuæ miserationis implorat & sanctificationis gratiam percipiat,& quæ pie precatur obtineat. Per.

Secreta.

GRATA tibi sit, Domine, hæc oblatio famuli tui *Ill.* quam tibi offerimus in honore Beati Petri Apostoli tui: & quæsumus, vt eidem proficiat ad salutem. Per Dominum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Implorantes tuæ Maiestatis misericordiam, vt famulo tuo *Ill.* veniam suorum largiri digneris peccatorum,

rum, vt ab omnibus inimici vinculis liberatus, tuis toto corde inhæreat mandatis, A
& Te solum semper tota virtute diligat, & ad tuæ quandoque beatitudinis visionem peruenire mereatur. Per Christum.

AD COMPLENDVM.

HVIVS, Domine, quæsumus, virtute mysterij, & a proprijs mundemur occultis, & famulum tuum *Ill.* ab omnibus absolue peccatis. Per.

ITEM ALIA MISSA VOTIVA.

EXAVDI, quæsumus, omnipotens Deus, preces nostras, quas in conspectu pietatis tuæ effundere præsumimus, suppliciter deprecantes, vt famulum tuum *Ill.* in tua misericordia confidentem, benedicas: & omnia eius peccata dimittas, tuaq. eum B
protectione conserues, vt possit tua gratia dignus fieri, & ad æternam beatitudinem valeat peruenire. Per.

Secreta.

SVSCIPE, clementissime Pater, hostias placationis & laudis, quas ego indignus & peccator famulus tuus Tibi offerre præsumo ad honorem gloriæ nominis tui, & pro incolumitate *Ill.* vt omnium delictorum suorum veniam consequi mereatur. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Qui factus homo pro hominibus, expiauit effusione sanguinis sui pec- C
cata omnium. Per eum Te igitur deprecor, omnipotens Deus, vt hanc oblationem, quam tibi pro famulo tuo *Ill.* offerimus, acceptare digneris, vt mereatur per eam emundari a cunctis sordibus delictorum: quatenus reconciliatum tibi, per Christum Dominum nostrum sereno vultu respicias, & omnia peccata sua dimittas, seueritatem quoque iudicij tui ab eo suspendas, & miserationis tuæ largitatem super eum clementer infundas. Per Christum.

INTRA ACTIONEM.

HANC igitur oblationem, quam tibi offerimus, pro incolumitate famuli tui *Ill.* ob deuotionem mentis eius, vt eum pius ac propitius clementi vultu respicias, Tibi supplicantem libens protegas, dignanter exaudias, & æterna eum protectione conser- D
ues, vt semper in tua religione lætus, instanter in Sanctæ Trinitatis confessione, fideq. Catholica perseuerer, quæsumus, Domine, vt placatus accipias: Diesq. nostros, &c.

AD COMPLENDVM.

FAMVLVM tuum *Ill.* quæsumus, Domine, corpore pariter, & mente purifica, vt tua inspiratione compunctus, noxias delectationes vitare prævaleat. Per.

MISSA PRO SALVTE VIVORVM.

PRAETENDE, Domine, famulis & famulabus tuis *Ill.* & *Ill.* dexteram cælestis auxilij, vt Te toto corde perquirant, & quæ digne postulant assequantur. Per.

SVPER OBLATA. E

Secreta.

PROPITIARE, Domine, supplicationibus nostris: & has oblationes famulorum, famularumq. tuarum *Ill.* & *Ill.* quas tibi pro incolumitate eorum offerimus, benignus assume: &, vt nullius sit irritum votum, nullius vacua postulatio, præsta quæsumus, vt quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per.

INTRA ACTIONEM.

HANC igitur oblationem famulorũ famularumq. tuarũ *Ill.* & *Ill.* quam tibi offerimus, ob deuotionem mentis eorum pius, ac propitius clementi vultu suscipe Tibi supplicantes

plicantes libens protege dignanter exaudi, & æterna eos protectione conserua, vt
A semper in tua religione lætantes, instanter in Sanctæ Trinitatis confessione, & fide
Catholica perseuerent. Diesq. nostros, &c.

AD COMPLENDVM.

DA famulis, & famulabus tuis *Ill. & Ill.* quæsumus, Domine, in tua fide, & sinceritate constantiam, vt in charitate diuina firmati, nullis tentationibus ab eius integritate euellantur. Per.

ITEM ALIA MISSA PRO FAMILIARIBVS.

DEVS, qui charitatis dona per gratiam sancti Spiritus, tuorum cordibus fidelium infudisti, da famulis & famulabus tuis *Ill. & Ill.* pro quibus tuam deprecamur
B clementiam, salutem mentis & corporis, vt te tota virtute diligant, & quæ tibi placita sunt, tota dilectione perficiant. Per.

SVPER OBLATA.

MISERERE, quæsumus, Domine Deus, famulis, & famulabus tuis *Ill. & Ill.* pro quibus hoc sacrificium laudis tuæ offerimus Maiestati, vt per hæc sancta supernæ benedictionis gratiam obtineant, & gloriam æterne beatitudinis acquirant. Per Dominum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Clementiam tuam pronis mentibus obsecrantes, vt famulos tuos *Ill. & Ill.* quos sanctæ dilectionis nobis famiC liaritate iunxisti, Tibi facias toto corde subiectos, vt tuæ charitatis spiritu repleti, & terrenis cupiditatibus mundentur, & cælesti beatitudine, Te donante, digni efficiantur. Per Christum.

AD COMPLENDVM.

DIVINA libantes mysteria, quæsumus, Domine, vt hæc salutaria sacramenta illis proficiant ad prosperitatem, & pacem, pro quorum dilectione hæc tuæ obtulimus Maiestati. Per.

ALIA.

DEVS, qui supplicum tuorum vota per charitatis officia suscipere dignaris, da famulis, & famulabus tuis *Ill. & Ill.* in tua proficere dilectione, vt tibi secura mente deseruiant, & in tua pace semper assistere mereantur. Per.

D

ORATIONES,

Et preces super pœnitentem confitentem peccata sua more solito.

EXAVDI, Domine, preces nostras, & tibi confitentium parce peccatis, vt quos conscientiæ reatus accusat, indulgentia tuæ miserationis absoluat. Per.

ALIA.

PRAEVENTAT hunc famulum tuum *Ill.* quæsumus, Domine, misericordia tua, vt omnes iniquitates eius celeri indulgentia deleantur. Per.

ALIA.

ADESTO, Domine, supplicationibus nostris, nec sit ab hoc famulo tuo clementiæ tuæ longinqua miseratio, sana vulnera, eiusq. remitte peccata, vt nullis a te iniquitatibus separatus, tibi, Domine, semper valeat adhærere. Per Dominum nostrum.

E

ALIA.

DOMINE Deus noster, qui offensione nostra non vinceris, sed satisfactione placaris, respice, quæsumus, hunc famulum tuum, qui se tibi peccasse grauiter confitetur: tuum est ablutionem criminum dare, & veniam præstare peccantibus, qui dixisti pœnitentiam Te malle peccatorum quàm mortem. Concede ergo, Domine, hoc, vt tibi pœnitentiæ excubias celebret, & correctis actibus suis conferri sibi a Te sempiterna gaudia, gratuletur. Per.

ALIA.

ALIA.

PRECOR, Domine, clementiam tuæ Maiestatis ac nominis, vt huic famulo A
tuo peccata, & facinora sua confitenti veniam dare, & præteritorum criminum debita relaxare digneris, qui humeris filij tui ouem perditam reduxisti ad caulas, qui Publicani precibus, vel confessione placatus es. Tu autem, Domine, & huic famulo tuo placare, Tu eius precibus benignus assiste, vt in confessione flebili permanens clementiam tuam celeriter exoret, & sanctis Altaribus restitutus, spei rursus æternæ, & cælesti gloriæ reformetur. Per eundem.

ORATIONES

Ad visitandum infirmum, siue vngendum oleo sancto. Ingrediens Sacerdos in domum infirmi dicat hanc Orationem:

DEVS, qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam donasti, ita & famu- B
lum tuum *Ill.* a lecto ægritudinis tua potentia erigat ad salutem. Per.

ALIA.

RESPICE, Domine, famulum tuum *Ill.* in infirmitate sui corporis laborantem: & animam refoue, quam creasti, vt castigationibus emendata, continuo se sentiat tua medicina saluatum. Per.

ALIA.

DEVS, qui facturæ tuæ pio semper dominaris affectui, inclina aurem tuam supplicationibus nostris: & famulum tuum *Ill.* aduersa valitudine corporis laborantem placatus respice, & visita in salutari tuo, ac cælestis gratiæ præsta medicinam. Per Dominum nostrum.

C

Postea faciat ei signum Crucis in capite de oleo benedicto dicens:

IN nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: sit tibi hæc perunctio olei sanctificati ad purificationem mentis, & corporis.

ALIA ORATIO

Ad infirmum vngendum.

INVNGO te Oleo sancto, sicut vnxit Samuel Dauid in Regem, & Prophetam. Operare creatura Olei in nomine Dei Patris omnipotentis, vt non lateat hic spiritus immundus, neque in membris tuis, neque in medullis, neque in vlla compagine membrorum, sed in te habitet virtus Christi altissimi, & Spiritus sancti. Per. D

Et perungit eum dicens Antiphonam hanc:

SANA me Domine. *Psal.* Domine ne infurore tuo.
Item Antiphona. Cor contritum. *Psal.* Miserere mei Deus. *Deinde dicit:*

Oremus.

DEVS, qui humano generi, & salutis remedium, & vitæ æternæ munera contulisti, conserua famulo tuo *Ill.* tuarum dona virtutum: & concede, vt medelam tuam non solum in corpore, sed etiam in anima sentiat. Per.

E

ALIA.

VIRTVTVM cælestium, Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem, & infirmitatem præcepti tui poreſtate depellis, adesto propitius famulo tuo *Ill.* vt fugatis infirmitatibus, & viribus receptis, nomen sanctum tuum instaurata protinus sanctitate benedicat. Per.

ALIA.

DOMINE sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem conditionis nostræ infusa virtutis tuæ dignatione confirmas, vt salutaribus remedijs pietatis tuæ corpora nostra, & membra vegetentur, super hunc famulum tuum *Ill.* propitiatus intende,

A intende, vt, omni neceſſitate corporeæ infirmitatis excluſa gratia, in eo priſtinæ ſanitatis perfecta reparetur. Per.

MISSA PRO PLVRIBVS INFIRMIS.

OMNIPOTENS ſempiterne Deus, ſalus æterna credentium, exaudi nos pro famulis tuis *Ill. & Ill.* pro quibus miſericordiæ tuæ imploramus auxilium, vt, reddita ſibi ſanitate gratiarum, Tibi in Eccleſia tua referant actionem. Per.

ALIA.

OMNIPOTENS ſempiterne Deus, qui ægritudines & animorum depellis & corporum, auxilij tui ſuper infirmos noſtros *Ill. & Ill.* oſtende virtutem, vt ope miſeri-
B cordiæ tuæ ad omnia pietatis tuæ reparentur officia. Per Dominum.

Secreta.

DEVS, cuius nutibus vitæ noſtræ momenta decurrunt, ſuſcipe preces & hoſtias famulorum tuorum *Ill. & Ill.* pro quibus miſericordiam tuam ægrotantibus implotamus, vt de quorum periculo metuimus, de eorum ſalute lætemur. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui famulos tuos ideo corporaliter verberas, vt mente proficiant, patenter oſtendens, quòd ſit pieta-
C tis tuæ præclara ſaluatio, dum præſtas, vt operetur nobis etiam ipſa infirmitas ſalutem. Per Chriſtum.

AD COMPLENDVM.

DEVS, infirmitatis humanæ ſingulare præſidium, auxilij tui ſuper infirmos noſtros *Ill. & Ill.* oſtende virtutem, vt ope miſericordiæ tuæ adiuti, Eccleſiæ tuæ ſanctæ repræſentari mereantur. Per.

ALIA MISSA PRO INFIRMO.

OMNIPOTENS ſempiterne Deus, qui ſubuenis in periculis laborantibus, qui
D temperas flagella, Te Domine, ſupplices exoramus, vt viſitatione tua ſancta erigas famulum tuum *Ill.* de hac ægrotatione, qua tenetur: & præſenta eum Eccleſiæ tuæ ſanctæ incolumem ad laudem, & gloriam nominis tui. Per.

SVPER OBLATA.

SACRIFICIVM, Domine, hoc quod tibi offerimus placatus intende, & opem tuam noſtris temporibus clementer impende, & famulum tuum *Ill.* aduerſa valitudine corporis laborantem placatus reſpice, & viſita in ſalutari tuo, & cæleſtis gratiæ concede medicinam. Per.

PRAEFATIO.

E VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum: In cuius conſpectu Angelus Raphael præclarus aſtitit, præſta quæſumus, vt tibi pro famulo tuo *Ill.* interuenire & exorare debeat, vbi gratiam tuam ſem per mereatur habere præſentem. Per quem, Maieſtatem tuam.

AD COMPLENDVM.

DEVS pijſſime, & miſericordiſſime, qui quos diligis corripis, & quos recipis ad emendationem flagellas, inclina, Domine, aurem tuam, & exaudi preces noſtras: & famulo tuo *Ill.* per myſterij tui perceptionem, & longioris vitæ tempora, & tam animæ, quàm corporis ſanitatem precamur tribuas. Per.

ORA-

ORATIO

Pro reddita sanitate.

A

DOMINE sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate custodis, ad inuocationem nominis tui benignus assiste, & hunc famulum tuum *Ill.* liberatum ægritudine, & sanitate donatum, dextera tua erigas, virtute confirmes, potestate tuearis, Ecclesiæ tuæ, sanctisq. Altaribus tuis cum omni desiderata prosperitate restituas. Per.

MISSA COMMVNIS BEATI AVGVSTINI.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui viuorum simul dominaris, & mortuorum, omniumq. misereris, quos tuos fide & opere futuros esse prænoscis, Te suppliciter exoramus, vt pro quibus effundere preces decreuimus, quosq. vel præsens sæculum adhuc in carne retinet, vel futurum iam exutos corpore susceptit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuæ clementia, delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum. B

SVPER OBLATA.

DEVS, cui soli cognitus est numerus electorum in superna felicitate locandorum, tribue quæsumus, vt vniuersorum, quos in oratione commendatos suscepimus, vel omnium fidelium nomina beatæ prædestinationis Liber ascripta retineat. Per.

POST COMMVNIONEM.

C

PVRIFICENT nos, quæsumus, omnipotens, & misericors Deus, sacramenta quæ sumpsimus, & præsta, vt hoc tuum sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam, sit abolitio scelerum, sit fortitudo fragilium, sit contra mundi pericula firmamentum, sit viuorum, atque mortuorum, remissio omnium delictorum. Per Dominum.

MISSA COMMVNIS.

PIETATE tua, quæsumus, Domine, nostrorum solue vincula peccatorum, & intercedente Beata Maria cum omnibus sanctis tuis, Pastorem nostrum cum congregatione sibi commissa in omni sanctitate custodi, omnesq. affinitate & familiaritate nobis iunctos, & omnes Christianos a vitijs purga, virtutibus illustra, pacem nobis & salutem tribue, hostes remoue, carnalia desideria depelle, aëris temperiem indulge, fruges terræ concede, inimicis nostris charitatem largire, & omnibus fidelibus viuis & defunctis in terra viuentibus vitam pariter, requiem æternam concede. Per. D

Secreta.

DEVS, qui singularis corporis tui hostia, totius mundi soluisti debita, hac oblatione placatus maculas nostrorum scelerum absterge: Pastorem nostrum cum sua congregatione custodi, aëris temperiem indulge, & fruges terræ, cum pacis tranquillitate largire, & omnium Christianorum, viuorum, vel mortuorum peccata dimitte, nobisq. æterna præmia concede. Per Dominum. E

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et tuam clementiam humiliter implorare, vt inruentibus omnibus Sanctis, delicta nostra clementer emundes, diesq. nostros in tua pace disponas, Pastorem nostrum cum sua Congregatione conserues: simulq. omnibus in te credentibus sanitatem mentis & corporis tribuas, incredulos conuertas, errantes corrigas, discordantibus vnitatem largiaris, aëris temperiem, & fruges nobis terræ concedas: omnibus fidelibus viuis, & defunctis veniam conferas sempiternam, vt ad interminabilem gloriam peruenire mereamur. Per Christum.

AD

A

AD COMPLENDVM.

A SVMPTA, Domine, quæsumus, sacramenta cælestia, crimina nostra detergant, Pastorem nostrum cum sua congregatione custodiant, aëris temperiem, & fruges terræ nobis obtineant, omnemq. prauitatem, & infirmitatem, & hostium rabiem, atque subitaneam mortem, terroremq. aëris, meritis omnium Sanctorum procul repellant, & omnibus viuis atque defunctis prosint ad veniam, pro quorum tibi oblata sunt salute. Per.

Postquam autem defunctus fuerit, primo dicatur ista collecta.

PIO recordationis affectu, fratres charissimi, commemorationem facimus chari
B nostri, quem Dominus, de tentationibus huius sæculi assumpsit, obsecrantes misericordiam Dei nostri, vt ipse ei tribuere dignetur placidam, & quietam mansionem, & remittat omnes lubricæ temeritatis offensas, vt concessa venia plenæ indulgentiæ, quidquid in hoc sæculo proprio reatu deliquit, totum ineffabili pietate, ac benignitate sua deleat, & abstergat, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre, & Spiritu sancto.

Postea cantent istud Responsorium sine versu.

℟. Subuenite Sancti Dei: occurrite Angeli Domini, suscipientes animam eius, offerentes eam in conspectu Altissimi.

C

Sequitur Oratio.

DEVS, cui omnia viuunt, & cui non pereunt moriendo corpora nostra, sed mutantur in melius, Te supplices deprecamur, vt suscipi iubeas animam famuli tui per manus sanctorum Angelorum tuorum, deducendam in sinum amici tui Abrahæ Patriarchæ, resuscitandamq. in nouissimo magni iudicij die: & quidquid vitiorum fallente diabolo contraxit, tu pius, & misericors ablue indulgendo. Per Dominũ nostrũ.

Tunc intonet cantor istam Antiphonam:

D *Antiphona.* Suscipiat te Christus, qui vocauit te, & in sinum Abrahæ Angeli deducant te. *Psalmus.* In exitu Israel de Ægypto, *&c.*

ORATIO.

SVSCIPE, Domine, animam serui tui, quam de ergastulo huius sæculi vocare dignatus es: & libera eam de principibus tenebrarum, & de locis pœnarum, vt absoluta omnium vinculo peccatorum, quietis, ac lucis æternæ beatitudine perfruatur, & inrer sanctos, & electos tuos in Resurrectionis gloria resuscitari mereatur. Per. *Antiphona.* Chorus Angelorum te suscipiat, vt cum Lazaro quondam paupere æternam habeas requiem.

E *Dicant simul* Kyrie eleison, *ter*, *&* Pater noster.

In memoria æterna erit iustus. Anima eius in bonis demorabitur.
Non intres in iudiciũ cum seruo tuo Dñe. Ne tradas bestijs animã confitentẽ tibi.
Requiem æternam dona ei Domine. Miserere mei Deus secundum magnam, *&c.*

Sequitur Oratio.

NON intres in iudicium cum seruo tuo, Domine, quoniam nullus apud te iustificabitur homo, nisi per te omnium peccatorum tribuatur remissio. Non ergo cum tua, quæsumus, iudicialis sententia premat, quem tibi vera supplicatio fidei Christianæ commendat: sed, gratia tua illi succurrente, mereatur euadere iudicium vltionis, qui, dum viueret, insignitus est signaculo sanctæ Trinitatis. Per Dominum.

Requiem æternam. Requiescat in pace. Amen.

Postea lauetur, & ponatur in feretrum: & antequam egrediantur, facto signo collectis fratribus, dicat Sacerdos hanc Orationem: A

DEVS vitæ dator, & humanorum corporum reparator, qui Te a peccatoribus exorari voluisti, exaudi preces, quas speciali deuotione pro anima famuli tui tibi lacrymabiliter fundimus, vt liberare eam ab inferorum cruciatibus, & collocare inter agmina Sanctorum tuorum digneris, veste quoque cælesti, & stola immortalitatis indui, & paradisi amœnitate confoueri iubeas. Per Dominum nostrum.

Tunc ferant corpus in Ecclesiam cantantes Antiphonam:

IN paradisum te ducant Angeli: in tuo aduentu suscipiant te Martyres, & perducant te in Ciuitatem sanctam Hierusalem. B

Psalmus. Ad te Domine leuaui. *Alia Antiph.* Tu iussisti nasci me, Domine: Tu promisisti mihi, vt resurgerem: iussu tuo venient Sancti: ne derelinquas me, quia pius es. *Psalmus.* Te decet Hymnus Deus.

Et postquam in Ecclesia positus fuerit, dum ista præscripta fuerint impleta, erunt omnes vnanimiter pro ipsa anima dicentes simul Kyrie eleison, *ter, & Orationem Dominicam, & Capit. vt supra.*

Sequitur Oratio.

FAC, quæsumus, Domine, hanc cum seruo tuo defuncto misericordiam, vt factorum suorum in pœnis non recipiat vicem, qui tuam in voris tenuit voluntatem: vt, sicut hic eum vera fides iunxit fidelium turmis, ita eum illic tua miseratio faciet choris Angelicis. Per. C

ALIA.

DEVS, qui humanarum animarum æternus amator es, animã famuli tui, quam vera, dum in corpore maneret, tenuit fides, ab omni cruciatu inferorum redde extorrem, vt segregata ab infernalibus claustris, Sanctorum mereatur adunari consortijs. Per.

Et postea deputandi sunt qui ipsum corpus custodiant. Sit autem in Ecclesia constitutum, quousque pro ipsa anima Missæ celebrentur: & antequam ipsum corpus eleuetur, dicat Sacerdos Orationem: D

OMNIPOTENTIS Dei misericordiam deprecemur, cuius iudicio aut nascimur, aut finimur, vt spiritum fratris nostri, quem Domini pietas de incolatu mundi huius transire præcepit, requies æterna suscipiat, & eum beata resurrectione repræsentet, & in sinibus Abrahæ, Isaac, & Iacob collocare dignetur per eum, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem.

Tunc incipiat cantor Responsorium:

℟. Subuenite Sancti Dei. ℣. Suscipiat te.
Hic dicant omnes simul, Kyrie eleison, *ter.* E

Sequitur Oratio.

DEVM iudicem vniuersitatis, Deum cælestium, & terrestrium, & infernorum, Deum deprecemur pro Spiritu chari nostri, vt eum in parte primæ resurrectionis resuscitet, & Dominus in requie collocare dignetur. Qui venturus est, &c.

℟. Antequam nascerer nouisti me, & ad imaginem tuam, Domine, plasmasti me: modo reddo tibi Creatori animam meam. ℣. Tibi soli peccaui, & malum coram te feci, vt iustificeris in sermonibus tuis. Modo.
Et dicant simul, Kyrie eleison.

Sequitur

Sequitur Oratio.

A DEVS, qui vniuersorum es Creator & conditor, qui cum sis Sanctorum beatitudo, præsta nobis petentibus, vt spiritum fratris nostri a corporis nexibus absolutum, in Sanctorum tuorum resurrectione facias præsentari. Per.

Postquam eleuatur de Ecclesia, cantatur Antiphona.

Antiphona. In paradisum deducant te Angeli. *Psalmus.* Ad te Domine leuaui.

INCLINA, Domine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam deprecamur, vt animam famuli tui, quam de hoc sæculo migrare iussisti, in pacis
B ac lucis regione constituas, & Sanctorum tuorum iubeas esse consortem. Per Dominum nostrum.

Antiphona. Tu iussisti nasci me Domine. *Psal.* Te decet Hymnus Deus in Sion.

Oratio ante sepulchrum, priusquam sepeliatur.

OBSECRAMVS misericordiam tuam, omnipotens æterne Deus, qui hominem ad imaginem tuam creare dignatus es, vt spiritum, & animam famuli tui, quem hodierna die rebus humanis eximi, & ad te accersire iussisti, blande & misericorditer suscipias. Non ei dominentur vmbræ mortis, nec tegat eum chaos, & caligo tenebrarum: sed exutus omnium criminum labe, in sinu Abrahæ Patriarchæ collocatus, lo-
C cum lucis & refrigerij se adeptum esse gaudeat: & cum dies Iudicij aduenerit, cum Sanctis, & electis tuis eum resuscitari iubeas. Per Dominum nostrum.

Antiphona. Aperite mihi portas iustitiæ ingressus in eas confitebor Domino: hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam. *Psalmus.* Confitemini, *&c.*

DEVS, apud quem mortuorum spiritus viuunt, & in quo electorum animæ, depositis carnis onere, plena felicitate lætantur, præsta supplicantibus nobis, vt anima famuli tui, quæ temporali per corpus huius luminis caruit visu, æternæ illius lucis solario potiatur. Non eum tormentum mortis attingat, non dolor horrendæ visionis afficiat, non pœnalis timor excruciet, non reorum proxima carena constringat, sed concessa sibi delictorum omnium venia, optatæ quietis consequatur gaudia repromissa. Per.

D *Hic deponatur in sepulchro, & dicat Sacerdos:* Ingrediatur.

Antiphona. Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei. *Psalmus.* Quemadmodum.

Sequitur Oratio.

OREMVS, Fratres charissimi, pro spiritu chari, quem Dominus de laqueo huius sæculi liberare dignatus est, cuius corpusculum hodie sepulturæ traditur, vt eum pietas Domini in sinu Abraham, Isaac, & Iacob collocare dignetur: & cum dies Iu-
F dicij aduenerit, inter sanctos & electos suos eum in parte dextera collocandum resuscitari faciat, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre & Spiritu
E sancto viuit.

Antiphona. De terra formasti eum, & carnem induisti eum Redemptor meus Domine resuscita eum in nouissimo die. *Psalmus.* Domine probasti me.

ORATIO.

DEVS, qui iustis supplicationibus semper præsto es, qui pia vota dignaris intueri, da famulo tuo, cuius depositioni hodie officia humanitatis exhibemus, cum Sanctis,

atque fidelibus tuis beati muneris portionem. Per Dominū nostrum. Qui venturus, &c.

Antiphona. Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. A

Psalmus. Memento Domine Dauid.

ORATIO.

DEBITVM humani corporis sepeliendi officium fidelium more complentes, Deum, cui omnia viuunt, fideliter deprecemur, vt hoc corpus chari nostri a nobis in infirmitate sepultum, in ordine Sanctorum tuorum resuscitet, & eius Spiritum sanctis, ac fidelibus aggregari iubeat, cum quibus inenarrabili gloria, & perenni felicitate perfrui mereatur. Præstante Domino.

Antiphona. Requiem æternam dona ei Domine, & lux perpetua luceat ei.

Psalmus. Miserere mei Deus.

ORATIO.

TEMERITATIS quidem est, Domine, vt homo hominem, mortalis mortalem, cinis cinerem Tibi Domino Deo nostro audeat commendare, sed quia terra susci pit B tetram, & puluis conuertitur in puluerem, donec omnis caro in suam redigatur originem: inde tuam, Deus, pijssime Pater, lacrymabiliter quæsumus pietatem, vt huius famuli tui animam, quam de huius mundi voragine cœnolenta ducis ad Patriam, Abrahæ amici tui sinu recipias, & refrigerij rore perfundas. Sit ab æstuantis gehennæ truci incendio segregatus, & beatæ requiei, Te donante, coniunctus: & si quæ illi sunt, Domine, dignæ cruciatibus culpæ, tu eas gratiæ mitissimæ lenitate indulge, nec peccati recipiat vicem, sed indulgentiæ tuæ piam sentiat bonitatem. Cumq. finito mundi termino supernum cunctis illuxerit regnum, omnium Sanctorum cœtibus aggregatus, cum electis resurgat in parte dextera coronandus. Per Dominum.

ALIA. C

TIBI, Domine, commendamus animam famuli tui, vt defuncto sæculo tibi viuat: & si qua per fragilitatem mundanæ conuersationis peccata admisit, Tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Dominum nostrum.

ITEM ALIA.

ABSOLVE, Domine, animam famuli tui ab omni vinculo delictorum, vt in resurrectionis gloria inter Sanctos tuos resuscitari mereatur. Per.

ALIA.

ANNVE nobis, Domine, vt anima famuli tui remissionem, quam semper optauit, mereatur percipere peccatorum. Per Dominum nostrum. D

Requiem æternam dona ei Domine: & lux perpetua luceat ei. Requiescat in pace. Amen.

Item pro omnibus defunctis Psalmi congrui: deinde Oratio Dominica, & hæc versuum Capitella.

In memoria æterna erit iustus. Anima eius in bonis demorabitur.

Ne tradas, Domine, bestijs animas confitentes tibi. Redimet Dominus animas sanctorum suorum.

Non intres in iudicium cum seruis tuis. Requiem æternam dona eis Domine. E

Sequuntur Orationes.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, cui numquam sine spe misericordiæ supplicatur, propitiare animæ famuli tui, vt qui de hac vita in tui nominis confessione discessit, Sanctorum tuorum numero facias aggregari. Per.

ALIA.

PROPITIARE, quæsumus, Domine, animabus famulorum, famularumq. tuarum misericordia sempiterna, vt mortalibus nexibus expeditas, lux eas æterna possideat. Per Dominum nostrum, qui venturus, &c.

ALIA.

A

ALIA.

INVENIANT, quæsumus, Domine, animæ famulorum famularumq. tuarum lucis æternæ consortium, qui in hac luce positi, tuum consequuti sunt sacramentum. Per Dominum.

ALIA.

FIDELIVM Deus, omnium conditor & redemptor, animabus famulorum, famularumq. tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, vt indulgentiam, quam semper optauerunt, pijs supplicationibus consequantur. Per.

ALIA.

ANIMABVS, quæsumus, Domine, famulorum tuorum oratio proficiat supplicantium, vt eas: & a peccatis exuas, & tuæ redemptionis facias esse participes. Per.

B

ALIA.

MVLTIPLICA, Domine, super animas famulorum famularumq. tuarum, misericordiam tuam, & quibus donasti baptismi sacramentum, da eis æternorum plenitudinem gaudiorum. Per Dominum.

Oratio in agenda mortuorum.

INCLINA, Domine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur, vt animam famuli tui *Ill.* quam de hoc sæculo migrare iussisti, in pacis, ac lucis regione constituas, & sanctorum tuorū iubeas esse consortē. Per.

C

ABSOLVE, Domine, animam famuli tui. *Require ante*, Annue nobis Domine.

Oratio in Cæmeterijs.

DEVS, cuius miseratione animæ fidelium requiescunt, famulis tuis omnibus hic in Christo quiescentibus, cunctisq. qui in nostro consortio noscuntur coadunati, da propitius veniam peccatorum, vt a cunctis reatibus absoluti, sine fine lætētur. Per.

ALIA.

DEVS fidelium lumen animarum, adesto supplicationibus nostris: & da omnibus fidelibus in Christo, quorum corpora hic requiescunt, cunctisq. qui in nostro consortio coadunati sunt, refrigerij sedem, quietis beatitudinē, luminis claritatem. Per.

D

Oratio super Episcopum defunctum.

DA nobis, Domine, vt animam famuli tui *Ill.* Episcopi, quam de sæculi educis laborioso certamine Sanctorum tuorum cœtui tribuas esse consortem. Per.

Secreta.

ANNVE nobis, Domine, vt animæ famuli tui *Ill.* Episcopi hæc prosit oblatio, quam immolando totius mundi tribuisti relaxari delicta. Per.

E

INTRA ACTIONEM.

HANC igitur oblationem, quam tibi offerimus pro commemoratione depositionis animæ famuli tui *Ill.* Episcopi, quæsumus, Domine, vt placatus accipias: & quem in corpore constitutum sedis Apostolicæ gubernaculo præesse voluisti, in electorum tuorum numero constitue Sacerdotum: Diesq. nostros, *&c.*

SVPER DYPTICA.

MEMENTO etiam, Domine, famulorum tuorum, qui nos præcesserunt, & dormiunt in somno pacis.

ITEM

Post Lectionem.

A

IPSIS, Domine, & omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerij, lucis, & pacis vt indulgeas deprecamur. Per Christum.

AD COMPLENDVM.

HIS sacrificijs, quæsumus, omnipotens Deus, purgata anima famuli tui *Ill.* Episcopi ad indulgentiam & refrigerium sempiternum peruenire mereatur. Per.

ALIA MISSA

Pro Episcopo defuncto.

DEVS, qui inter Apostolicos Sacerdotes famulum ruum *Ill.* Episcopum censeri fecisti, præsta quæsumus, vt quorum vicem gerebat ad horam in terris, eorum perpetuo consortio lætetur in cælis. Per. B

SVPER OBLATA.

HAEC oblatio, Domine, quæsumus, animam famuli tui *Ill.* Episcopi ab omnibus vitijs humanæ conditionis absoluat, quæ totius mundi tulit etiam immolata peccatum. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Deuotis clementiam tuam mentibus obsecrantes, vt animam *Ill.* Episcopi in electorum Tibimet Pontificum numero iubeas consistere gaudentem, vt qui hic tuo pro eis supplex deseruiebat Altari, glorioſa illic cum eis tua gratuletur & laude. Per Christum Dominū nostrū. C

INTRA ACTIONEM.

HANC igitur oblationem seruitutis nostræ, quam Tibi offerimus pro commemoratione animæ famuli tui *Ill.* Episcopi, quæsumus, Domine, placatus accipias, & cum præsulibus Apostolicæ dignitatis, quorum est sequutus officium, habere tribuas sempiternæ beatitudinis portionem, atque inter Summi Pastoris efficias præcipua membra censeri. Diesq. nostros, *&c.*

AD COMPLENDVM.

DA veniam, Domine, quæsumus, per hæc sancta mysteria, animæ famuli tui *Ill.* Episcopi, vt occursu non terreatur malo, sed tuo protegatur auxilio. Per.

ALIA. D

PRAESTA quæsumus, omnipotens Deus, vt anima famuli tui *Ill.* Episcopi, quam in hoc sæculo commorantem sacris muneribus decorasti, cælesti sede glorioſa exultet. Per Dominum.

ITEM ALIA

Pro Episcopo defuncto.

SVSCIPE, Domine, quæsumus, preces nostras pro anima famuli tui *Ill.* Episcopi, vt in Pontificum Tibimet placitorum perpetua sede lætetur. Per.

SVPER OBLATA. E

OFFERIMVS, Domine, hostias placationis, & laudis, vt perpetuæ misericordiæ largitate, animam famuli tui *Ill.* Episcopi in lucis æternæ facias regione gaudere. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Ineffabilem tuæ clementiæ potentiam suppliciter exorantes, vt famulus tuus *Ill.* Beatorum tabernaculis constitutus, euasisse se carnales glorietur angustias, diemq. iudicij, cum voto gratulationis expectet. Per Christum Dominum nostrum.

INTRA

INTRA ACTIONEM.

A HANC igitur oblationem, quam Tibi offerimus pro anima famuli tui *Ill.* Episcopi, quæsumus, Domine, vt placatus accipias, & quem tuis Altaribus seruire tribuisti, ad beatorum pertinere iubeas consortia Sacerdotum: Diesq. nostros, *&c.*

AD COMPLENDVM.

QVAESVMVS, omnipotens Deus, vt animam famuli tui *Ill.* Episcopi in congregatione iustorum æternæ beatitudinis iubeas esse consortem. Per Dominũ nostrũ.

ALIA MISSA
Pro Episcopo defuncto.

B DEVS, qui inter Apostolicos Sacerdotes famulum tuum *Ill.* Sacerdotali fecisti dignitate vigere, præsta quæsumus, vt eorum quoque perpetuo aggregetur consortio. Per.

Secreta.

SVSCIPE, Domine, quæsumus, pro anima famuli tui *Ill.* Episcopi Sacerdotis, quas offerimus hostias, vt cui Pontificale donasti meritum, dones & præmium. Per Dominum.

AD COMPLENDVM.

PRECES nostras, quæsumus, Domine, quas in famuli tui *Ill.* Episcopi depositione deferimus, propitiatus exaudi, vt qui nomini tuo ministerium fidele dependit, per-
C petuò Sanctorum societate lætetur. Per Dominum.

MISSA
Pro defuncto Sacerdote.

DEVS, cuius misericordiæ non est numerus, susci pe pro anima famuli tui *Ill.* Sacerdotis preces nostras, & lucis ei, lætitiæq. regionem in Sanctorum tuorum societate concede. Per.

ALIA.

PROPITIARE, Domine, supplicationibus nostris, & animam famuli tui *Ill.* Sa-
D cerdotis in viuorum regione æternis gaudijs iubeas sociari. Per.

Secreta.

HOSTIAS tibi Domine, humili supplicatione, pro anima famuli tui *Ill.* Sacerdotis deferimus, vt per hæc salutis nostræ sacrificia perpetuam tuæ beatitudinis misericordiam consequatur. Per Dominum nostrum.

AD COMPLENDVM.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens & misericors Deus, vt anima famuli tui *Ill.* Sacerdotis, pro qua hoc sacrificium laudis tuæ obtulimus Maiestati, per huius virtutem sacramẽti a peccatis omnibus expiata, lucis perpetuæ percipiat consortiũ. Per.

E ALIA.

DEVS, cui soli competit medicinam præstare post mortem, præsta quæsumus, vt anima famuli tui *Ill.* Sacerdotis, ætetnis exuta contagijs, in tuæ redemptionis parte numeretur. Per Dominum nostrum.

MISSA
Vnius defuncti.

DEVS, cui proprium est misereri semper & parcere, propitiare animæ famuli tui *Ill.* & omnia peccata eius dimitte, vt mortis vinculis absoluta, transitum mereatur ad vitam. Per.

ALIA.

ALIA. A

INCLINA, Domine, aurem tuam ad preces noſtras, quibus miſericordiam tuam ſuppliciter deprecamur, vt animam famuli tui *Ill.* quam de hoc ſæculo migrare iuſſiſti, in pacis, ac lucis regione conſtituas, & Sanctorum tuorum iubeas eſſe conſortem. Per Dominum noſtrum.

Secreta.

HAEC oblatio, quæſumus, omnipotens Deus, animam famuli tui *Ill.* ab omnibus vitijs humanæ conditionis abſoluat, vt perpetuam tuæ beatitudinis miſericordiam conſequi mereatur. Per Dominum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Parer omnipotens, æterne Deus: Quamuis enim humano generi mortis illata conditio pectora noſtra mentesq. contriſtet, tamen clementiæ tuæ dono ſpe futuræ immortalitatis erigimur, ac memores ſalutis æternæ, non timemus lucis huius ſuſtinere iacturam: quoniam beneficio gratiæ tuæ fidelibus vita non tollitur, ſed mutatur, atque animæ corporeo ergaſtulo liberatæ, horrent mortalia, dum immortalia conſequuntur. Vnde, quæſumus, vt famulus tuus *Ill.* Beatorum tabernaculis conſtitutus, euaſiſſe ſe carnales glorietur anguſtias, diemq. iudicij cum fiducia voto glorificationis expectet. Per Chriſtum. B

INTRA ACTIONEM.

HANC igitur oblationem, quam tibi pro requie famuli tui *Ill.* offerimus, quæſumus, Domine, placatus accipe, & tua pietate concede, vt mortalitatis nexibus abſoluta, inter fideles tuos habeat portionem: Diesq. noſtros, *&c.* C

AD COMPLENDVM.

HAEC nos communio, quæſumus, Domine, purget a crimine: & animæ famuli tui *Ill.* cæleſtis gaudij tribuat conſortium, vt ante thronum gloriæ Chriſti tui ſegregata cum dextris, nihil commune habeat cum ſiniſtris. Per Dominum.

ITEM ALIA MISSA
Vnius defuncti.

OMNIPOTENS ſempiterne Deus, cuius numquam ſine ſpe miſericordiæ ſupplicatur, propitiare animæ famuli tui *Ill.* vt qui de hac vita in tui nominis confeſſione diſceſſit, Sanctorum tuorum numero eum facias aggregari. Per Dominum noſtrum. D

Secreta.

PROPITIARE, quæſumus, Domine, animæ famuli tui *Ill.* pro qua tibi hoſtias placationis offerimus: & quia in hac luce in fide Catholica manſit, in futura vita ei retributio condonetur. Per Dominum noſtrum.

INTRA ACTIONEM.

HANC igitur oblationem, quam tibi pro requie animæ famuli tui *Ill.* offerimus, quæſumus, Domine, placatus accipias, & tua pietate concedas, vt mortalitatis nexibus abſoluta, inter fideles tuos meteatur habere portionem: Diesq. noſtros, *&c.* E

AD COMPLENDVM.

PRAESTA, quæſumus, omnipotens Deus, vt animam famuli tui *Ill.* ab Angelis lucis ſuſceptam, in præparata habitacula deduci facias Beatorum. Per.

ITEM ALIA
In die depoſitionis defuncti.

ADESTO, Domine, quæſumus, pro anima famuli tui *Ill.* cuius in depoſitione ſua officium commemorationis impendimus, vt ſi qua in eum macula de terrenis contagijs

contagijs adhæſit, aut vitium mundiale infecit, dono tuæ pietatis indulgeas, & ab-
A ſtergas. Per Dominum.

ALIA.

QVAESVMVS, Domine, animæ famuli tui *Ill.* Cuius obitus ſui diem commemoramus, Sanctorum tuorum, atque electorum largire conſortium, & rorem ei miſericordiæ tuæ perennis infunde. Per.

Secreta.

ADESTO, Domine, ſupplicationibus noſtris, & hanc oblationem, quam tibi offerimus ob diem depoſitionis tertium, ſeptimum, & trigeſimum pro anima famuli *Ill.* placidus ac benignus aſſume. Per.

INTRA ACTIONEM.

B

HANC igitur oblationem, quam tibi offerimus pro anima famuli tui *Ill.* cuius depoſitionis diem tertium, ſeptimum, vel trigeſimum celebramus, quo depoſito corpore, animam tibi Creatori reddidit, quam dediſti: pro quo petimus diuinam clementiam tuam, vt mortis vinculis abſolutus, tranſitum mereatur ad vitam. Per Chriſtum.

AD COMPLENDVM.

OMNIPOTENS ſempiterne Deus, collocare dignare animam famuli tui *Ill.* Cuius diem tertium, octauum, vel trigeſimum ſuæ depoſitionis celebramus in ſinu Abrahæ, Iſaac, & Iacob, vt, cum dies agnitionis tuæ venerit, eum inter Sanctos & electos tuos reſuſcitari præcipias. Per eundem.

C

ALIA.

PROSIT, Domine, quæſumus, animæ famuli tui *Ill.* diuini celebrati ſacramenti, vt ei, in quo ſperauit, & credidit, æternitatis capiat, Te miſerante, conſortium. Per.

MISSA

In anniuerſario vnius defuncti.

PRAESTA, Domine, quæſumus, vt anima famuli tui *Ill.* cuius anniuerſarium diem celebramus, his purgata ſacrificijs, indulgentiam pariter & requiem capiat ſempiternam. Per.

D

Secreta.

PROPITIARE, Domine, ſupplicationibus noſtris pro anima famuli tui *Ill.* cuius annua dies agitur: pro qua tibi offerimus ſacrificium laudis, vt eam Sanctorum tuorum conſortio ſociare digneris. Per Dominum.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem ſalus mundi, per quem vita omnium, per quem reſurrectio mortuorum. Per ipſum, Te, Domine, ſuppliciter deprecamur, vt animæ famuli tui, cuius anniuerſarium diem celebramus, indulgentiam largiri digneris perpetuam,
E atque contagijs mortalitatis exutam, in æternæ ſaluationis parte reſtituas. Per quem, Maieſtatem tuam laudant, *&c.*

INTRA ACTIONEM.

HANC igitur oblationem, Domine, quam tibi offerimus, pro anima famuli tui *Ill.* cuius hodie annua dies agitur, quæſumus, placatus intende: eamq. nexibus mortalitatis abſolutam, inter tuos fideles miniſtros habere perpetuam iubeas portionem. Quam oblationem, *&c.*

AD COMPLENDVM.

SVSCIPE, Domine, preces noſtras, pro anima famuli tui *Ill.* vt ſi quæ in eum maculæ de terrenis contagijs adhæſerunt, remiſſionis tuæ miſericordia deleantur. Per.

MISSA

A

MISSA
Pro defuncto nuper baptizato.

DEVS, qui ad cæleſte regnum non niſi renatis per aquam, & Spiritum ſanctum pandis introitum, multiplica ſuper animam famuli tui *Ill.* miſericordiam tuã: & cui donaſti cæleſtem & incontaminatum tranſitum poſt baptiſmi ſacramentum, da ei æternorum plenitudinem gaudiorum. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Secreta.

PROPITIARE, Domine, ſupplicationibus noſtris, pro anima famuli tui *Ill.* pro qua Tibi offerimus ſacrificium laudis, vt eam Sanctorum tuorum conſortio ſociare B digneris. Per.

INTRA ACTIONEM.

HANC igitur oblationem, quam Tibi offerimus, Domine, pro anima famuli tui *Ill.* benignus aſſume, eumq. regenerationis fonte purgatum, & periculis vitæ huius exutum, Beatorum numero digneris inſerere Spirituum. Quam oblationem.

AD COMPLENDVM.

PROPITIARE, Domine, animæ famuli tui *Ill.* vt quem in fine iſtius vitæ regenerationis fonte mundaſti, ad cæleſtis regni beatitudinem facias peruenire. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum. Qui venturus.

C

MISSA
Plurimorum defunctorum.

PROPITIARE, quæſumus, Domine, animabus famulorum, famularumq. tuarum *Ill.* miſericordia ſempiterna, vt mortalibus nexibus expeditæ, lux eas æterna poſſideat. Per.

Secreta.

HOSTIAS tibi, Domine, humili placatione deferimus, vt animæ famulorum famularumq. tuarum *Ill.* per hæc placationis officia tuam miſericordiam conſequantur. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper, & vbique D gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui es Redemptor animarum ſanctarum. Quamuis enim mortis humano generi illata conditio pectora humana, menteſq. contriſtet, tamen clementiæ tuæ dono ſpe futuræ immortalitatis erigimur, & memores ſalutis æternæ, non timemus lucis huius ſubire diſpendiũ: quia miſericordiæ tuæ munere fidelibus vita mutatur, non tollitur, & in timotis, tui obſeruatione defunctis domicilium perpetuæ felicitatis acquiritur. Tibi igitur, clementiſſime Pater, preces ſupplices fundimus, & Maieſtatem tuam deuotis mentibus exoramus, vt animæ famulorum famularumq. tuarum *Ill.* mortis vinculis abſolutæ, tranſitum mereantur ad vitam, & in ouium tibi placitarum benedictione æternum numerantur ad regnum. Per Chriſtum. E

INTRA ACTIONEM.

HANC igitur oblationem, quam tibi pro requie animarum famulorum, famularumq. tuarum *Ill.* offerimus, quæſumus, Domine, propitiatus intuere: & concede, vt mortuis proſit ad veniam, quod cunctis viuentibus præparare dignatus es ad medelam: Diesq. noſtros, *&c.*

AD COMPLENDVM.

INVENIANT, quæſumus, Domine, animæ famulorum famularumq. tuarum *Ill.* omniumq. in Chriſto quieſcentium, lucis æternæ conſortium, qui in hac luce poſiti, tuum conſequuti ſunt ſacramentum. Per.

ITEM

A

ITEM ALIA MISSA.

FIDELIVM Deus, omnium conditor, & redemptor, animabus famulorum famularumq. tuarum *Ill.* remissionem cunctorum tribue peccatorum, vt indulgentiam, quam semper optauerunt, pijs supplicationibus consequantur. Per Dominum.

Secreta.

HOSTIAS, quæsumus, Domine, quas tibi pro animabus famulorum famularumq. tuarum *Ill.* offerimus propitiatus intende, vt quibus fidei Christianæ meritum contuliſti, dones & præmium. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique
B gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: Cuius sacram passionem pro immortalibus, & bene quiescentibus animabus sine dubio celebramus. Pro his præcipue, quibus secundæ natiuitatis gratiã præstitiſti. Quò, exemplo Iesu Christi Domini nostri, cœperunt esse de resurrectione securi. Quippe qui feciſti, quæ non erant, potes reparare quæ fuerant, & resurrectionis futuræ nobis documenta non solum per Propheticam, & Apostolicam doctrinam, sed eiusdem vnigeniti tui Redemptoris nostri resurrectione dediſti, vt quod per Prophetas est nunciatum, per Apostolos traditum, ipsius Resurrectionis exemplo sit firmatum. Per quem, Maiestatem.

INTRA ACTIONEM.

HANC igitur oblationem, quam tibi pro commemoratione animarum in pace
C dormientium suppliciter immolamus, quæsumus, Domine, benignus accipias, & tua pietate concedas, vt & nobis proficiat huius pietatis affectus, & illis impetret beatitudinem sempiternam. Quam oblationem, &c.

AD COMPLENDVM.

ANIMABVS, quæsumus, Domine, famulorum famularumq. tuarum *Ill.* oratio proficiat supplicantium, vt eas & a peccatis exuas, & tuæ redemptionis facias esse participes. Per Dominum nostrum.

ITEM ALIA MISSA.

ANIMABVS, quæsumus, Domine, famulorum famularumq. tuarum *Ill.* miseri-
D cordiam concede perpetuam, vt eis proficiat in æternum, quòd in Te crediderunt, & sperauerunt. Per.

SVPER OBLATA.

HIS, quæsumus, Domine, placatus intende muneribus: & quod ad laudem tui nominis supplicantes offerimus, ad indulgentiam proficiat defunctorum. Per.

INTRA ACTIONEM.

HANC igitur oblationem, quam tibi pro animabus famulorum famularumq. tuarum *Ill.* veneranter deferimus, quæsumus, Domine, placatus intende: & tua dignatione concede, vt mortis vinculis absolutæ, transitum mereantur ad vitam: Diesq. nostros, &c.

E

AD COMPLENDVM.

SVPPLICES, Domine, pro animabus famulorum famularumq. tuarum preces effundimus, poscentes, vt quidquid conuersatione contraxerunt humana, & clementer indulgeas, & in tuorum sede lætantium eas constituas redemptorum. Per Dominum nostrum, qui venturus, &c.

ITEM ALIA MISSA.

DEVS, cui proprium est misereri, & preces exaudire supplicantium, propitiare animabus famulorum famularumq. tuarum *Ill.* vt, Te miserante, a peccatorum vinculis absolutæ, ad æternæ beatitudinis requiem peruenire mereantur. Per.

ALIA.

ALIA.

DEVS, cuius misericordiæ non est numerus, suscipe propitius preces humilitatis nostræ: & animabus, quibus tui nominis dedisti confessionem, cunctorum remissionem tribue peccatorum. Per. A

SVPER OBLATA.

HOSTIAS tibi, Domine, humili supplicatione deferimus, deprecantes, vt animæ famulorum famularumq. tuarum *Ill.* per hæc placationis officia perpetuam misericordiam consequantur. Per.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui nobis in Christo Vnigenito filio tuo Domino nostro spem beatæ Resurrectionis concessisti, præsta quæsumus, vt animæ, pro quibus hoc sacrificium redemptionis nostræ tuæ offerimus Maiestati, ad beatæ Resurrectionis requiem cum Sanctis tuis peruenire mereantur. Per quem, Maiestatem tuam. B

INTRA ACTIONEM.

HANC igitur oblationem, Domine, quæsumus, placatus intende, quam pro animabus fidelium defunctorum tuæ supplices exhibemus pietati, vt per hæc sancta mysteria ab omnibus absolutæ peccatis, æternæ beatitudinis participes efficiantur: Diesq. nostros, *&c.*

AD COMPLENDVM.

DIVINA libantes sacramenta, quæsumus, omnipotens Deus, vt hæc eadem nobis proficiant ad salutem, & animabus fidelium defunctorum *Ill.* pro quibus tuam deprecamur clementiam, prosint ad indulgentiam Per. C

ALIA.

PROFICIAT, quæsumus, Domine, ad indulgentiam animabus famulorum famularumq. tuarum *Ill.* pro quibus tuam obsecramus clementiam, diuini celebratio sacramenti, vt per hæc sancta a contagijs terrenæ conuersationis emundatæ, ad cælestem mereantur venire habitationem. Per Dominum nostrum.

ALIA.

DEVS vita viuentium, spes morientium, salus omnium in te sperantium, præsta propitius, vt animæ famulorum famularumq. tuarum *Ill.* a nostræ mortalitatis tenebris absolutæ, in perpetua cum Sanctis tuis luce lætentur. Per. D

MISSA

Pro defunctis desiderantibus pœnitentiam, & minime consequentibus.

SIQVIS pœnitentiam petens, dum Sacerdos venit, fuerit officio linguæ priuatus, constitutum est, vt si idonea testimonia hoc dixerint, & ipse per motus aliquos satisfacit, Sacerdos impleat omnia circa pœnitentem, vt mos est.

AD MISSAM.

OMNIPOTENS, & misericors Deus, in cuius potestate conditio humana consistit, animam famuli tui *Ill.* ab omnibus absolue peccatis, vt pœnitentiæ fructum, quam voluntas eius optauit, præuentu mortis non perdat. Per Dominum. E

Secreta.

SATISFACIAT, tibi Domine, quæsumus, pro anima famuli tui *Ill.* sacrificij præsentis oblatio, & peccatorum veniam, quam quæsiuit, inueniat: & quod officio linguæ implere non potuit desideratæ pœnitentiæ compensatione percipiat. Per.

INTRA ACTIONEM.

HANC igitur oblationem, quam Tibi offerimus pro anima famuli tui *Ill.* Cuius depositionis diem *Ill.* celebramus, quæsumus, Domine, vt placatus accipias, & ineffabili

fabili pietate concedas, vt quod exequi præuentus conditione mortali ministerio lin
A guæ non potuit, mereatur indulgentia sempiterna: Diesq. nostros, &c.

AD COMPLENDVM.

DEVS, a quo speratur humani corporis omne quod bonum est, tribue per hæc sancta, quæsumus, vt sicut animæ famuli tui *Ill.* pœnitentiam velle donasti, sic indulgentiam tribuas miseratus optatam. Per.

MISSA

In Cœmeteriis.

B DEVS, cuius miseratione animæ fidelium requiescunt, famulis tuis *Ill.* vel omnibus hic in Christo quiescentibus, da propitius veniam peccatorum, vt a cunctis reatibus absoluti, sine fine lætentur. Per.

SVPER OBLATA.

PRO animabus famulorum tuorum *Ill.* & hic omnium catholicorum dormientium, hostiam, Domine, suscipe benignus oblatam, vt hoc sacrificio singulari vinculis horrendæ mortis exutæ, vitam mereantur æternam. Per Dominum.

INTRA ACTIONEM.

HANC igitur oblationem, quam tibi offerimus, Domine, pro tuorum requie famulorum, & famularum *Ill.* & *Ill.* & omnium fidelium catholicorum orthodoxorum in hoc loco in Christo quiescentium, & qui in circuitu huius Ecclesiæ requie-
C scunt, quæsumus, Domine, placatus accipias, vt per hæc salutis humanæ subsidia in tuorum numero redemptorum sorte perpetua censeantur: Diesq. nostros, &c.

AD COMPLENDVM.

DEVS, fidelium lumen animarum, adesto supplicationibus nostris, & da famulis, & famulabus tuis *Ill.* & *Ill.* vel quorum corpora hic requiescunt, refrigerij sedes, quietis beatitudinem, luminis claritatem. Per.

Oratio ad Capillaturam.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, respice propitius super hunc famulum tuum
D *Ill.* quem ad nouam rondendi gratiam vocare dignatus es, tribuens ei remissionem omnium peccatorum, atque ad cælestium donorum peruenire consortium. Per Dominum nostrum.

Oratio ad Clericum faciendum.

OREMVS, dilectissimi fratres, Dominū nostrum Iesum Christum pro hoc famulo suo *Ill.* qui ad deponendam comam capitis sui pro eius amore festinat, vt donet ei Spiritum sanctum, qui habitum religionis in eo perpetuum conseruet, & a mundi impedimento, vel sæculari desiderio cor eius defendat, vt sicut immutatur in vultu, ita manus dexteræ eius ei virtutis tribuat incrementa, & ab omni cæcitate spiritali
E oculos eius aperiat, & lumen ei æternæ gratiæ concedat. Qui viuit, & regnat cum Deo Patre.

ALIA.

ADESTO, Domine, supplicationibus nostris, & hunc famulum tuum *Ill.* benedicere digneris, cui in tuo sancto nomine habitum sacræ Religionis imponimus, vt, Te largiente, & deuotus persistere in Ecclesia, & vitam percipere mereatur æternam. Per.

Dum tondes eum, dices Antiphonam:

TV es, Domine, qui restitues mihi hereditatem meam ℣. Dominus pars hereditatis meæ & calicis mei. *Et* Gloria.

Item Antiphona alia. A

HAEC est generatio, & gloria.

Item alia.

HIC accipiet benedictionem a Domino.

Oratio post tonsionem.

PRAESTA, omnipotens Deus, huic famulo tuo *Ill.* cuius hodie capitis comam pro diuino amore deposuimus, vt in tua dilectione perpetuo maneat, & eum sine macula in sempiternum custodias. Per.

B

Oratio ad barbas tondendas.

DEVS, cuius Spiritu, creatura omnis incrementis adulta congaudet, exaudi preces nostras super hunc famulum tuum *Ill.* iuuenilis ætatis decore lætantem, & primis auspicijs ad tondendum, vt in omnibus protectionis tuæ munitus auxilio, cælestem benedictionem accipiat, & præsentis vitæ præsidijs gaudeat & æternæ. Per.

Incipit Salis & Aquæ benedictio maior.

DEVS in adiutorium meum intende. *Cum* Gloria'. Kyrie eleison. Pater noster. Credo in Deum. C

Benedictio Salis.

EXORCIZO te creatura salis in nomine Dei Patris omnipotentis, & in charitate Domini nostri Iesu Christi, & in virtute Spiritus sancti. Exorcizo te per Deum viuum, & per Deum verum, qui te ad tutelam humani generis procreauit, & populo venienti ad credulitatem per seruos suos consecrari præcepit. Proinde rogamus te Domine, Deus noster, vt hæc creatura salis, in nomine Sanctæ Trinitatis efficiatur salutare sacramentum ad effugandum inimicum: quam tu, Domine, sanctificando sanctifices, benedicendo benedicas, vt fiat omnibus accipientibus perfecta medicina permanens in visceribus eorum, in nomine Domini nostri Iesu Christi. Qui venturus est. D

Lectio Libri Regum.
lib. 4. cap. 2.

IN diebus illis: Dixerunt viri Ciuitatis ad Helisæum: Ecce habitatio Ciuitatis huius optima est, sicut tu ipse perspicis: sed aquæ amarissimæ sunt, & terra sterilis. At ille ait: Afferte mihi vas nouum, & mittam in illud sal. Qui cum attulissent, egressus ad fontem aquarum, misit in eum sal & ait: Hæc dicit Dominus: Sanaui aquas has, & non erit vltra in eis mors, neque sterilitas. Sanatæ sunt ergo aquæ vsque ad diem hanc iuxta verbum Helisei, quod locutus est.

Sequentia Sancti Euangelij secundum Ioannem.
Ioann. 1. E

IN illo tempore vidit Ioannes Iesum venientem ad se, & ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic est, de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est: quia prior me erat, & ego nesciebam eum. Sed vt manifestaretur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans, & testimonium perhibuit Ioannes dicens: Quia vidi Spiritum descendentem, quasi columbam de cælo, & mansit super eum: sed qui me misit baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto. Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei.

Exorcismus

Exercismus ad aquam sanctificandam.

A

EXORCIZO te creatura aquæ per Deum viuum, per Deum sanctum, per Deum totius sæculi Creatorem, vt mundam te exhibeas contra omnem morbum, atque insidias inimici, vt vbicumque aspersa fueris, sit, propitio Deo, defensa domus ipsa: & sicut defensæ fuerunt domus Hebræorum per signum sanguinis Christi, sic defendantur, Domine, domus famulorum famularumq. tuarum.

In ipsius nomine te exorcizo, qui verbo suo fontes emanare præcepit: in ipsius nomine te exorcizo, qui Filios Israel per medium mare eduxit: in ipsius nomine te exorcizo, quem Ioannes in te baptizauit, vt omnis spiritus erroris, & omnes phantasiæ dæmonum per aquam hanc aspersionis effugentur, & separentur. Per Christum Dominum nostrum, qui venturus, *&c.*

B

Benedictio salis, & aquæ.

PRAESTA, Domine, tuum salutare remedium super hanc creaturam salis & aquæ, vt vbicumque interceſſerit, ad animæ & corporis proficiat sanitatem. Per.

Hic sufflatur in modum Crucis, & miscebis salem, & dices his verbis:

EXORCIZO te creatura salis per Deum viuum, qui te per Heliseum in aquam mitti iussit: qui diuina voce ore suo loquutus est ad discipulos suos dicens: Vos estis
C sal terræ: qui per Apostolum Paulum dixit: Cor vestrum sale conditum sit. Ideoq. efficere sal exorcizatum ad expugnandum inimicum, & omnem incursum dæmonis, per virtutem & nomen Domini nostri Iesu Christi. Qui venturus est iudicare & sæculum, & te, inimice, per ignem.

Hic dices: Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, cæli & terræ: cuius
D virtuti subdita sunt vniuersa: cuius verbo procreata sunt omnia. Mitte Spiritum tuum sanctum super hanc creaturam aquæ, vt fiat aqua sanctificata, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Ipsa te cognouit Altissima salus, & respector perpetuus, ad quem humiles oramus, & petimus, vt exaudias, & miserearis precibus nostris, vt vbicumque hæc aqua benedicta, Te iubente, aspersa fuerit, potata, vel infusa, habeat sibi domus gaudium, spem, honorem perpetuum, vt omnes maliuoli inde expellantur, & separentur. Iteratò te alloquor, aqua, quæ lucis similitudinem habes, tu sub cælo, tu super cælum, & sub terra, & super terram: super te inuoco nomen Sanctum atque mirabile Dei, qui te sua potentia suspendit super cælos, congregauit in terra, miscuit in mari. Qui te arcanis, & limpidis, velocibus ventis pluere præcepit, & ad
E vsus hominis lauacrum carnis dedit, & sitientibus potum subministrauit. Super quam etiam Spiritus Domini non solum ferebatur, sed etiam fertur. Adiuro te per Spiritum Dei viui: Adiuro te per vocem tonitrui, & coruscationes tremendi ac cælestis Regis: Adiuro te per lignum mysterij, de quo aqua percussa, statim dulcis facta est: Adiuro te per eum, qui omnia creauit, ne contemnas vocem humilitatis meæ, sed expellas omnem vmbram, omnem saranam, & omnes machinationes spirituum immundorum, siue bihonatum, siue errantium ex inuocatione magicæ artis, siue præcantatorum argumenta, siue draconum, & omninm volucrum, & viperarum, quia imperat tibi Dominus noster Iesus Christus Filius Dei viui, vt mox, cum aspersa fueris in nomine Dei omnipotentis Sabaoth, siue in domo, siue in vineis, siue in pecoribus, siue in seminatis campis, siue in qualicumque creatura, siue in potu data

fueris homini valitudine detento, a maligni infestatione percussō, mox expellas, & excludas omnem malignum, vt possit homo velocius saluus fieri per virtutem, & nomen Dei nostri Iesu Christi: qui neque dici, neque scribi, neque computari potest: cui nomen est Deus, qui per Angelum tuum, Domine, fontem Agar ostendisti, & ex eo Ismahelem sitientem potasti: qui pueri tui Abrahæ in Mesopotamia preces exaudisti, & omnia desideria cordis eius implesti: qui famulum tuum Moysen in deserto petram percutere, & ex ea aquam perducere, & populum potare iussisti: qui aquam amaram, immisso ligno, dulcorasti: ita benedicere digneris hanc aquam aspersionis, vel potationis, vt vbicumque aspersa fuerit in tuo nomine; omnes iaculationes sæuas inimici expellat. Illud etiam rogamus, vt sicut ad domum Raguhelis Angelum Raphaëlem mittere dignatus es, & Asmodæum dæmonem colligauit; simili beneficio domui huic præstes, vt mox cum aspersa fuerit, numquam illic, vel in anima, vel in eadem domo consistentibus habeat aliquam potestatem, sed confusus, & districtus abscedat. Per Christum Dominum nostrum. A B

Exorcismus Aquæ.

EXORCIZO te creatura aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Iesu Christi Filij eius Domini nostri, vt fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare, & explantare cum angelis suis apostaticis, per virtutem Domini nostri Iesu Christi. Qui venturus est, *&c.*

Benedictio aquæ.

DEVS, qui ad salutem humani generis maxima quæque sacramenta in aquarum C substantia condidisti, adesto inuocationibus nostris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato virtutem tuæ benedictionis effunde, vt creatura mysterij tui tibi seruiens, ad abijciendos dæmones, morbosq. pellendos, diuinæ gratiæ sumat effectum, vt quidquid in domibus, vel in locis fidelium hæc vnda respersérit, careat immunditia, liberetur a noxijs. Non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens. Discedant omnes insidiæ latentis inimici, & si quid, aut incolumitati habitantium inuidet, aut quieti, aspersione huius aquæ effugiat, vt salubritas per inuocationem tui nominis expetita, ab omnibus sit impugnationibus defensa. Per.

Hic mittitur sal in aquam.

D

Benedictio salis & aquæ pariter.

DEVS inuictæ virtutis auctor, & inseparabilis Imperij Rex, ac semper magnificus Triumphator, qui aduersæ dominationis vires reprimis, qui inimici rugientis sæuitiam superas, qui hostiles nequitias potens expugnas, Te, Domine, tremente, & supplices deprecamur, ac petimus, vt hanc creaturam salis & aquæ dignanter accipias, benignus illustres, pietatis tuæ more sanctifices, vt vbicumque fuerit aspersa, per inuocationem sancti tui nominis, omnis infestatio immundi spiritus abijciatur. Terrorq. venenosi serpentis procul pellatur, & præsentia sancti Spiritus nobis misericordiam tuam poscentibus vbique adesse dignetur. Per.

E

Exorcismus salis: quod spargi debet in domo.

EXORCIZO te creatura salis per Deum viuum, per Deum verum, per Deum sanctum, per Deum, qui te per Heliseum prophetam in aquam mitti iussit, vt sanaretur sterilitas aquæ, vt efficiaris sal exorcizatum in salutem credentium, & sis omnibus te sumentibus sanitas animæ & corporis, & effugiat atque discedat ab eo loco, quo aspersum fueris, omnis phantasia, & nequitia, vel versutia diabolicæ fraudis, omnisq. spiritus immundus adiuratus per eum, qui venturus est iudicare, *&c.*

Benedi-

A *Benedictio salis.*

IMMENSAM clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus, vt hanc creaturam salis, quam in vsum generis humani tribuisti, benedicere, & sanctificare tua pietate digneris, vt sit omnibus sumentibus salus mentis, & corporis: & quidquid eo tactum, vel respersum fuerit, careat omni immunditia, omniq. impugnatione spititalis nequitiæ. Per.

Item benedictio salis ad pecora.

DEVS inuisibilis, & inæstimabilis, qui per cuncta diffusus es, pietatem tuam, & misericordiam per sanctum & tremendum Filij tui nomen supplices deprecamur, vt
B in hanc creaturam salis benedictionem, & potentiam inuisibili operatione infundas, vt iumenta, quæ necessitatibus humanis tribuere dignatus es, eum ex eadem acceperint, vel gustauerint, hæc benedictio, & sanctificatio tua illæsa reddat, & ab omni tentatoris incursu, Te protegente, custodiat. Per.

Oratio, quando aqua spargitur in domo.

EXAVDI nos, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere dignare sanctum Angelum tuum de cælis, qui custodiat, foueat, protegat, visitet, & defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per.

Alia.

C

ADESTO, Domine, supplicationibus nostris: & hanc domum serenis oculis tuæ pietatis illustra: descendat super habitantes in ea gratiæ tuæ larga benedictio, vt in his manu factis habitaculis cum salubritate manentes, ipsi tuum semper sint habitaculum. Per Dominum nostrum.

Alia.

EXAVDI nos, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, vt si qua sunt aduersa, si qua contraria in hac domo famuli tui *Ill.* auctoritate Maiestatis tuæ pellantur. Per.

D *Benedictio domus noua.*

BENEDIC, Domine, Deus omnipotens, locum istum, vt sit nobis in ea sanitas, sanctitas, castitas, virtus victoriæ, & sanctimonia, & humilitas, & bonitas, & mansuetudo, & lenitas, & plenitudo legis, & obedientia tibi Deo Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Hæc sit semper benedictio super hunc locum, & super omnes habitantes in eo nunc, & in omnia sæcula sæculorum. Amen.

Alia.

PROTECTOR in Te sperantium, Deus, & subditarum Tibi mentium custos, habitantibus in hac domo famulis tuis adesse dignare: veniat super eos speratæ a Te
E benedictionis vbertas, vt pietatis tuæ repleti, muneribus exultent. Per.

Alia.

PROTECTOR fidelium Deus, & subditarum Tibi mentium frequentator, habitantibus in hac domo famulis tuis propitius adesse dignare, vt quos nos humana visitamus sollicitudine, Tu diuina munias potestate. Per.

Alia.

SVSCIPE, Domine, preces famulorum tuorum *Ill.* & muro custodiæ tuæ eorum domum circumda, vt, omnia aduersitate depulsa, sit hoc semper domicilium incolumitatis & pacis. Per.

Alia.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, insere te officijs nostris, & in hac manentibus domo præsentiæ tuæ concede custodiam, vt familiæ tuæ defensor, ac totius habitaculi huius habitator appareas. Per. A

ORATIO

Super vasa in loco antiquo reperta.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, insere Te officijs nostris, vt hæc vascula arte fabricata gentiliũ, sublimitatis tuæ potentia, ita emundare digneris, vt, omni immunditia depulsa, sint fidelium tuorũ tempore pacis atque tranquillitatis vsibus apta. Per. B

Item alia.

DEVS, qui aduentu Filij tui Domini nostri omnia tuis mundasti fidelibus, adesto propitius inuocationibus nostris, & hæc vascula, quæ tuæ indulgentia pietatis post spatia temporum a voragine terræ abstracta, humanis vsibus reddidisti, gratiæ tuæ largitate emunda. Per.

Benedictio Putei noui.

DEPRECAMVR, Domine, clementiam pietatis tuæ, vt aquam putei huius cælesti benedictione sanctifices, & ad communem vitam concedas salubrem: & ita ex eo fugare digneris omnem diabolicæ tentationis incursum, vt quicumque ex eo ab hinc hauserit, biberitve, vel in quibuslibet necessarijs vsibus hausta aqua vsus fuerit, totius virtutis, ac sanitatis dulcedine perfruatur, vt Tibi semper Sanctificatori, & Saluatori omnium Domino gratias agere mereatur. Per. C

Benedictio vuæ, vel fauæ.

BENEDIC, Domine, hos fructus nouos vuæ siue fauæ, quos tu, Domine, per rorem cæli, & inundationem pluuiarum, & tempora, serena atque tranquilla, ad maturitatem perducere dignatus es, ad percipiendum nobis cum gratiarum actione in nomine Domini nostri Iesu Christi. Qui tecum viuit & regnat Deus.

Benedictio ad fruges nouas. D

DOMINE sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui cælum, & terram, mare & omnia creasti, Te supplices quæsumus, vt hunc fructum nouum benedicere & sanctificare digneris: & multiplicare abundanter offerentibus tibi, vt repleas eorum cellaria cum fortitudine frumenti & vini, vt lætantes in eis referant tibi Domino omnipotenti laudes & gratias. Per.

ALIA.

ORAMVS pietatem tuam, omnipotens Deus, vt has primitias creaturæ tuæ, quas actis, & pluuiæ temperamento nutrire dignatus es, benedictionis tuæ imbre perfundas: & fructus terræ tuæ vsque ad maturitatem perducas. Tribuas quoque populo tuo de tuis muneribus tibi semper gratias agere, vt a sertilitate terræ esurientium animas bonis affluentibus repleas, & egenus, & pauper laudẽt nomen gloriæ tuæ. Per. E

MISSA

Pro frugibus nouis.

TE, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, supplices deprecamur, vt misericordiam tuam iugiter nobis concedas sufficientes messium copias, & fructuum omnium largiter tribuas, vinearum quoque substantiam abundanter, arborum fœtus, prouentus omnium rerum, atque his omnibus pestiferum sidus, tempestatum vniuersas procellas, & grandines amouere digneris. Per.

SVPER

SVPER OBLATA.

A MISERICORDIAM pietatis tuæ ſupplices deprecamur, omnipotens æterne Deus, vt oblationes populi tui, quas tibi de ſuis primitijs offerunt, benignus ſuſcipere digneris, tribuens eis in hoc ſæculo abundantiam tritici, vini, & olei: in futuro autem vitam æternam. Per.

AD COMPLENDVM.

MISERICORDIAE tuæ, Domine, nobis dona multiplica: vt qui primitiarum paſcimur ſacramentis, a tua numquam laude ceſſemus. Per.

Benedictio ad omnia quæ volueris.

BENEDIC, Domine, creaturam iſtam, vt ſit remedium ſalutare generi humano:
B & præſta per inuocationem nominis tui, vt quicumque ex ea ſumpſerit, corporis ſanitatem, & animæ tutelam percipiat. Per.

Benedictio panis.

BENEDIC, Domine, creaturam iſtam panis, ſicut benedixiſti quinque panes in deſerto, vt omnes guſtantes ex eo, accipiant tam corporis, quàm animæ ſanitatem. Qui viuis cum Deo Patre.

Oratio introitus in Baſilicam.

C VIA Sanctorum omnium, Deus, qui ad te venientibus claritatis tuæ gaudia contuliſti, introitum templi huius, Spiritus ſancti luce perfunde, qui locum iſtum Sanctorum tuorum Martyrum ſanguine conſecraſti. Præſta omnipotens, vt omnes hic intercedentes obtineant veniam pro delictis: ab omnibus liberentur anguſtijs: impetrent quidquid petierunt pro neceſſitatibus ſuis: placere ſemper præualeant coram oculis tuis, quatenus per Te, & Sanctum *Ill.* militem tuum muniti, mereamur aulam paradiſi introire. Per Dominum.

Oratio in ſacrario.

OMNIPOTENS, & miſericors Deus, qui Sacerdotum miniſterio ad tibi ſeruiendum, & ſupplicandum vti dignaris, quæſumus immenſam clementiam tuam, vt
D quidquid modo viſitamus, viſites: quidquid benedicimus, benedicas: ſitq. ad noſtræ humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis fuga dæmonum, Angeli pacis ingreſſus. Per.

Oratio vbi veſtimenta conſernantur.

DEVS, qui famulantibus tibi, mentis & corporis ſubſidia miſericorditer largiris, præſta quæſumus, vt quæ hic pietas tua in vſus, & neceſſaria corporum famulorum tuorum contulit, clementer abundare, & conſeruari facias, vt his exterius vtentes, interius indumento amicti iuſtitiæ, deuoti ſemper tibi exiſtere mereantur. Per.

Oratio in Refectorio.

E OMNIPOTENS, & miſericors Deus, qui famulos tuos in hac domo alis refectione carnali, cibum vel potum, Te benedicente, cum gratiarum actione percipiant: & hic, & in æternum per Te ſemper ſalui eſſe mereantur. Per.

Oratio in Dormitorio.

BENEDIC, Domine, hoc famulorum tuorum dormitorium, qui non dormis, neque dormitas qui cuſtodis Iſrael; famulos tuos in hac domo quieſcentes poſt laborem,

borem, custodi ab illusionibus phantasmaticis Satanæ: vigilantes, in præceptis tuis meditentur: dormientes, Te per soporem sentiant, & hic, & vbique defensionis tuæ auxilio muniantur. Per. A

Oratio in Cellario.

OMNIPOTENS, & misericors Deus, qui vbique præsens es, Maiestatem tuam suppliciter deprecamur, vt huic prompruario gratia tua adesse dignetur, quæ cuncta aduersa ab eo repellat, & abundantiam benedictionis tuæ largiter infundat. Per.

Oratio in Scriptorio.

B

BENEDICERE digneris, Domine, hoc scriptorium famulorum tuorum, & omnes habitantes in eo, vt quidquid hic diuinarum scripturarum ab eis lectum, vel scriptum fuerit, sensu capiant, opere perficiant. Per.

Oratio in Hospitali.

OMNIPOTENS, & misericors Deus, qui es doctor cordium humanorum, & Magister Angelorum, Te humiliter quæsumus, vt cordibus famulorum tuorum ob gratiam salutationis locum hunc frequentantium semper adesse digneris: sit eorum sermo in timore tuo ignitus, atque sale conditus, vtilitate proximi plenus, vt cum hinc aduenientes recesserint, de exemplo eorũ gloriã tui nominis prædicent. Per. C

Oratio in domo infirmorum.

OMNIPOTENS, & misericors Deus, quæsumus immensam pietatem tuam, vt ad introitum humilitatis nostræ hos famulos tuos hoc in habitaculo fessos iacentes, salutiferè visitare digneris: vt, sicut visitasti, Domine, Tobiam, & Saram socrum Petri, puerumq. Centurionis, ita & isti, pristina sanitate animæ corporisq. recepta, gratiarum tibi in Ecclesia tua referant actionem. Per.

Oratio in Area.

MVLTIPLICA, Domine, super nos misericordiam tuam, & preces nostras propitius exaudire dignare: & sicut exaudisti famulum tuum Regem Dauid, qui Te in area hostias offerendo placauit, iram auertit, indulgentiam impetrauit, ita veniat, quæsumus, super hanc aream speratæ benedictionis vbertas, vt, repleti frugibus tuis, de tua semper misericordia gloriemur. Per. D

Oratio in Area noua.

OMNIPOTENS & misericors Deus, multiplica super nos misericordiam tuam: & preces nostras benignus exaudi, atque in hanc aream famuli tui *Ill.* Spiritum tuum sanctum paraclitum mittere digneris, & veniat in eam speratæ benedictionis vbertas, vt repleti de frugibus tuis, in tuo nomine, & in tua gratia læti semper exultent. Per Dominum nostrum. E

Oratio in Granario.

OMNIPOTENS, & misericors Deus, qui benedixisti horrea Ioseph, aream Gedeonis: & adhuc, quod maius est, iacta terræ semina surgere facis cum fœnore messis; Te humiliter quæsumus, vt sicut ad petitionem famuli tui Heliæ, non defuit viduæ farina, ita ad nostræ paruitatis suffragia, huic horreo famulorum tuorum non desit benedictionis tuæ abundantia. Per.

Oratio

Oratio in Pistrino.

A

SANCTIFICETVR istius officinæ locus, Domine, & fugetur ab eo omnis immundus spiritus per virtutem Domini nostri Iesu Christi: deturq. omnibus in eo commorantibus sanitas, claritas, hilaritas, protegente ac conseruante Maiestate tua, omnipotens Deus, qui viuis & regnas.

Oratio in Coquina.

DEVS æterne, ante cuius conspectum assistunt Angeli, & cuius nutu reguntur vniuersa, qui etiam necessarijs humanæ fragilitatis tua pietate consulere non desinis, Te
B humiliter imploramus, vt habitaculum istius officinæ illa benedictione perfundas, qua per manus Helisei prophætæ in olla eremitica gustus amarissimos dulcorasti, & semper hic tuæ benedictionis copia redundante, laudes tibi referant serui tui: qui das escam omni carni, & reples omne animal benedictione, Saluator mundi. Qui viuis & regnas, &c.

Oratio in Lardario.

OMNIPOTENS, & misericors Deus, qui necessitatem humani generis clementer præuidens, adminicula temporalia contulisti, Te humiliter imploramus, vt benedicere digneris hoc lardarium famulorum tuorum, vt quod hic tua misericordia piè contulit, nostro merito non depereat. Per.

C

Oratio in Caminata.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, cuius sapientia hominem docuit, vt domus hæc careret aliquando frigore a vicinitate ignis, Te quæsumus, vt omnes habitantes, vel conuenientes in ea, careant in corde infidelitatis frigore a feruore ignis Spiritus sancti. Per Dominum nostrum.

Oratio ad hominem signandum.

DOMINE sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui es via, & veritas, & vita,
D exaudi & conserua famulum tuum hunc *Ill.* quem viuificasti, & redemisti pretio magno sancti sanguinis Filij tui. Qui viuis, & regnas.

Alia.

BENEDICAT te Deus Pater, & custodiat te, illuminet Dominus Iesus faciem suam super te, & misereatur tui: conuertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem. Qui regnat in sæcula.

Alia.

BENEDICERE, & sanctificare digneris, Domine, famulum tuum istum *Ill.* cælesti benedictione in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Qui regnas.

E

Item alia.

BENEDICAT te Deus Pater, sanet te Deus Filius, illuminet te Deus Spiritus sanctus: corpus tuum saluet, animam tuam custodiat, cor tuum irradiet, sensum tuum dirigat, & ad supernam vitam te perducat. Per.

Alia.

DOMINVS Iesus Christus apud te sit, vt te defendat, intra te sit, vt te reficiat: circum te sit, vt te conseruet: ante te sit, vt te deducat: pro te sit, vt pro te intercedat: super omnia sit in te, vt te benedicat, præstante Domino nostro Iesu Christo: cui est honor.

Oratio-

Orationes super Dæmoniacum.

A

REPELLE, Domine, ab hoc famulo tuo omnem infestationem inimici, vt redintegratus suæ pristinæ sanitati, ad gratiarum tuæ clementiæ redeat actionem. Per Dominum nostrum.

Alia.

DEVS Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Prophetarum, Deus Apostolorum, Deus Martyrum, Deus Virginum, Deus Pater Domini nostri Iesu Christi. Inuoco nomen sanctum tuum, ac præclaræ Maiestatis tuæ clementiam supplex exposco, vt mihi auxilium præstare digneris aduersus hunc nequissimum spiritum, vt vbicumque latet, audito nomine tuo, velocirer exeat, & recedat. Ipse tibi imperat diabole, qui ventis & mari, vel tempestatibus imperauit. Ipse tibi imperat, qui te B
de supernis cælorum in inferiora terræ demergi præcepit. Ipse tibi imperat, qui te retrorsum redire præcepit. Audi ergo, & time Satanas: victus, & prostratus abscede in nomine Domini nostri Iesu Christi. Tu ergo nequissime Satanas, inimicus fidei generis humani, mortis raptor, iustitiæ declinator, malorum radix, fomes vitiorum, seductor hominum, perditor Gentium, incitator inuidiæ, origo auaritiæ, causa discordiæ, excitator dolorum, dæmonum magister. Quid stas, & resistis, cum scis Eum tuas perdere vires? Illum metue, qui in Isaac immolatus est, In Ioseph venundatus, in agno occisus, in homine crucifixus. Deinde triumphatus recede in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & da locum Spiritui sancto, per hoc signum Crucis Iesu Christi Domini nostri. Qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat.

C

Alia.

DEVS conditor, & defensor generis humani, qui hominem ad imaginem & similitudinem tuam ÷ manibus tuis sanctis, & proptio tuæ diuinitatis ore formasti; respice super famulum tuum hunc, qui dolis inuidi serpentis appetitur, quem vetus aduersarius, & hostis antiquus atræ formidinis horrore circumuolat, & sensum mentis humanæ stupore defugat, terrore conturbat, & metu trepidi timoris exagitat. Repelle, Domine, virtutem diaboli, fallacesq. eius insidias amoue: procul impius tentator aufugiat: sit nominis tui signo, famulus tuus & animo tutus & corpore. Tu pectoris huius interna custodias, tu viscera regas, tu cor confirmes. Inania aduersariæ potestatis tentamenta vanescant. Da, ad hanc inuocationem nominis tui, gratiam, vt qui hucusque terrebat, territus abeat, & victus abscedat, tibiq. possit hic seruulus tuus corde firmato, & mente sincera debitum præbere famulatum. Per D
Dominum.

Item alia.

DOMINE sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Osanna in excelsis, Pater Domini nostri Iesu Christi, qui illum refugam tyrannum gehennæ deputasti: qui Vnigenitum tuum in hunc mundum misisti, vt illum rugientem leonem contereret, velociter atteude. Accelera, vt eripias hominem, ad imaginem, & similitudinem tuam creatum, a ruina, & dæmonio meridiano. Da, Domine, terrorem tuum super bestiam, quæ exterminauit vineam ruam. Da fiduciam seruis tuis contra nequissimum draconem fortiter stare, ne contemnat sperantes in Te, & dicat sicut in Pharaone iam dixit: Deum non noui, & Israel non dimitto. Vrgeat illum, Domine, dex- E
tera tua potens, discedere a famulo tuo, ne diutius præsumat captiuum tenere hominem, quem Tu ad imaginem tuam facere dignatus es. Adiuro ergo te serpens antique per Iudicem viuorum & mortuorum, per factorem mundi, per eum, qui haber potestatem mittere te in gehennam, vt ab hoc famulo Dei, qui ad Ecclesiæ præsepia concurrit, cum metu, & exercitu furoris tui festinus discedas. Adiuro te non mea infirmitate, sed in virtute Spiritus sancti, vt discedas ab hoc famulo Dei, quem omnipotens Deus ad imaginem suam fecit. Cede, cede, non mihi, sed ministro Christi. Illius enim te perurguet potestas, qui te affigens Cruci suæ subiugauit: illius brachium contremesce, qui deuictis gemitibus inferni, animas ad lucem perduxit. Sit tibi terror corpus hominis, sit tibi formido imago Dei, nec resistas, nec moreris discedere ab homine isto: quoniam complacuit Christo, vt in homine habitaret. Er ne

me

A me infirmum contemnendum putes, dum me peccatorem nimis esse cognoscis. Imperat tibi Dominus: imperat tibi Maiestas Christi: imperat tibi Deus Pater: imperat tibi Filius, & Spiritus sanctus: imperat tibi Apostolorum fides, Sancti Petri, & Pauli, & ceterorum Apostolorum: imperat tibi indulgentia Confessorum: imperat tibi Martyrum sanguis: imperat tibi sacramentum Crucis: imperat tibi mysteriorum virtus. Exi transgressor, exi seductor, plene omni dolo, & fallacia, veritatis inimice, innocentium persecutor. Da locum durissime, da locum impijssime, da locum Christo, in quo nihil inuenisti de operibus tuis: qui te expoliauit, qui regnum tuum destruxit, qui te victum ligauit, & vasa tua disrupit: qui te proiecit in tenebras exteriores, vbi tibi cum ministris tuis erit præparatus interitus: sed quid nunc truculente recogitas? quid temerarie retractas? Reus omnipotenti Deo, cuius statuta transgressus es: Reus Filio eius Iesu Christo, quem tentare ausus es, & crucifigere præ-
B sumpsisti: Reus humano generi, cui mors tuis persuasionibus venit. Adiuro te ergo draco nequissime in nomine Agni immaculati, qui ambulauit super aspidem, & basiliscum, qui conculcauit leonem, & draconem, vt discedas ab homine isto. Discede ab Ecclesia Dei: contremesce, & effuge, inuocato nomine Domini illius, quem inferni tremunt: cui Virtutes cælorum, & Potestates, & Dominationes subiectæ sunt: quem Cherubim, & Seraphim indefessis vocibus laudant. Imperat tibi Verbum caro factum: imperat tibi natus ex Virgine: imperat tibi Iesus Nazarenus, qui te, cum discipulos eius contemneres, elisum & prostratum exire iussit ab homine. Quo præsente, cum te ab homine separasset, nec porcorum gregem præsumebas contingere. Recede ergo nunc adiuratus in nomine eius ab homine, quem ipse plasmauit. Durum tibi est Christo velle resistere: Durum tibi est contra stimulum calcitrare:
C quia quanto tardius exis, tanto tibi supplicium maius crescit: quoniam non hominem contemnis, sed illum, qui dominator viuorum, & mortuorũ est. Qui venturus est.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, expelle diabolum ab homine isto de capite, & de capillis, de vertice, de fronte, de oculis, de auribus, de naribus, de ore, de lingua, de sub lingua, de gutture, de collo, de pectore, de corde, de corpore toto, de omnibus membris, de compaginibus membrorum suorum intus, & foris, de ossibus, de venis, de neruis, de sanguine, de sensu, de cogitationibus, de verbis, de omnibus operibus suis, de iuuentute, de omniq. conuersatione eius hic & in futuro, vt operetur in eo virtus Christi Iesu Filij Dei viui Altissimi in sæcula sæculorum.

D

Incipit Ordo Baptisterii.

Infans parulus cum ad exorcizandum ducitur, primo a Sacerdote exsuffletur in faciem eius, vt, fugato Diabolo, Christo Deo nostro pateat introitus. Et nunc in fronte Crux Christi agatur dicendo: Signum Crucis Domini nostri Iesu Christi in frontem tuam pono. *Et in pectore similiter dicendo*: Signum Sanctæ Crucis Domini nostri Iesu Christi in pectus tuum pono. *Et tunc super eum dicat Orationem. Vir autem ætate perfectus, aut femina antea pleniter instruatur secundum quod Beatus Augustinus ordinauit in libro de Catechizandis rudibus de fide, & Christiana conuersatione: cum autem iam doctus fuerit, & crediderit, tunc ammoneatur a Sacerdote, vt renunciet Diabolo, & omnibus operibus eius, & omnibus pompis eius, &*
E *dignum se diuinæ gratiæ præparet, & confessionem fidei sanctæ pleniter faciat, & tunc, vt supradictum est, agatur super eum Baptisterium, sicut in Romano Missali habetur.*

Item ordo Baptisterij plenarij Oratio super electos ad Catechumenum faciendum.

Omnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi respicere dignare super hos famulos tuos, quos ad rudimenta fidei vocare dignatus es, cæciratem cordis ab eis expelle. Disrumpe omnes laqueos Satanæ, quibus fuerant colligati: aperi eis, Domine, ianuam pietatis tuæ, vt signo sapientiæ tuæ induti, omnium cupiditatum fœtoribus careant, atque ad suauem odorem præceptorum tuorum læti, Tibi in Ecclesia tua deseruiant, & proficiant de die in diem, vt idonei efficiantur accedere ad gratiam baptismi tui perceptæ medicinæ. Per.

Benedictio salis ad dandum Catechumeno.

A

EXORCIZO te creatura salis in nomine Dei Patris omnipotentis, & in charitate Domini nostri Iesu Christi, & in virtute Spiritus sancti: exorcizo te per Deum viuum, & per Deum verum, qui te ad tutelam humani generis procreatum, & populo venienti ad credulitatem per seruos suos consecrari præcepit. Proinde rogamus te Domine Deus noster, vt hæc creatura salis in nomine Trinitatis efficiatur salutare sacramentum ad effugandum inimicum: quam tu, Domine, sanctificando sanctifices, benedicendo benedicas, vt fiat omnibus accipientibus perfecta medicina permanens in visceribus eorum. In nomine Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare, &c.

Expleta autem Oratione, accipiat de ipso sale, & ponat in ore infantum, dicens Ill. Accipe sal sapientiæ in vitam æternam. B

Benedictio post datum salem.

DEVS Patrum nostrorum, Deus vniuersæ conditor veritatis, Te supplices exoramus, vt hos famulos tuos respicere digneris propitius, vt hoc primum pabulum salis gustantes, non diutius esurire permittas, quo minus cibo expleantur cælesti, quatenus sint, Domine, semper spiritu feruentes, spe gaudentes, tuo semper nomini seruientes. Perduc eos ad nouæ regenerationis lauacrum, vt cum fidelibus tuis promissionum tuarum æterna præmia consequi mereantur. Per Dominum.

Super Masculos.

C

DEVS Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus, qui Moysi famulo tuo in monte Sinai apparuisti, & filios Israel de terra Ægypti eduxisti, deputans eis Angelum pietatis tuæ, qui custodiret eos die ac nocte, Te quæsumus, Domine, vt mittere digneris sanctum Angelum tuum, vt similiter custodiat hos famulos tuos, & perducat eos ad gratiam baptismi tui.

ERGO, maledicte diabole, recognosce sententiam tuam, & da honorem Deo viuo, & vero. Da honorem Iesu Christo filio eius, & Spiritui sancto, & recede ab his famulis Dei, quia istos sibi Deus, & Dominus noster Iesus Christus ad suam sanctam gratiam, & benedictionem, fontemq. baptismatis donum vocare dignatus est. Per hoc signum Sanctæ Crucis fron ✠ tibus eorum, quod nos damus, tu maledicte diabole numquam audeas violare. D

Item super Feminas.

DEVS cæli, Deus terræ, Deus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Prophetarum, Deus Martyrum, Deus Virginum, Deus omnium beneuiuentium: Deus, cui omnis lingua confitetur, & omne genuflectitur, cælestium, terrestrium, & infernorum. Te inuoco, Domine, vt has famulas tuas perducere, & custodire digneris ad gratiam baptismi tui. Ergo, maledicte diabole, *vt supra.*

Item super Masculos.

AVDI maledicte Satana adiuratus per nomen æterni Dei, & Saluatoris nostri Filij Dei, cum rua victus inuidia tremens, gemensq. discede. Nihil tibi sit commune cum seruis Dei, iam cælestia cogitantibus, renunciantibus tibi & sæculo tuo, & beatæ immortalitati victuris. Da igitur honorem aduenienti Spiritui sancto, qui ex summa cæli arce descendens, perturbatis fraudibus tuis, diuino fonte purgata pectora, ideſt sanctificata, Deo templum, & habitaculum perficiat, vt ab omnibus penitus noxijs præteritorum criminum liberati serui Dei, gratias perenni Deo referant semper, & benedicant nomen eius sanctum in sæcula sæculorum. Per Dominum nostrum Iesum Christum, qui venturus, &c. E

Item

Item super Feminas.

A DEVS Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus, qui tribûs Israel monuisti, & Susannam de falso crimine liberasti, Te supplex deprecor, Domine, vt liberes & has famulas tuas, & perducere eas digneris ad gratiam baptismi tui. Ergo maledicte diabole, *vt supra*.

Item super Masculos.

EXORCIZO te immunde spiritus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vt exeas & recedas ab his famulis Dei: ipse enim tibi imperat, maledicte damnate, qui pedibus super mare ambulauit, & Petro mergenti dexteram porrexit.
B Ergo maledicte, *&c.*

Item super Feminas.

EXORCIZO te immunde spiritus per Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, vt exeas, & recedas ab his famulabus Dei: ipse enim tibi imperat, maledicte damnate, qui cæco nato oculos aperuit, & quatriduanum Lazarum de monumento suscitauit. Ergo maledicte diabole, *vt supra*.

Sequitur Oratio.

C ÆTERNAM ac iustissimam pietatem tuam deprecor, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus luminis & veritatis, super hos famulos tuos, vt digneris eos illuminare lumine intelligentiæ tuæ. Munda eos, & sanctifica: da eis scientiam veram, vt digni efficiantur accedere ad grariam baptismi tui: teneant firmam spem, consilium rectum, doctrinam sanctam, vt apti sint ad percipiendam gratiam baptismi tui. Per Dominum nostrum.

Sabbato die, mane, reddentes Symbolum, & Orationem Dominicam, prius catechizes eos, imposita manu super capita eorum his verbis:

NEC te latet Satânas imminere tibi pœnas, imminere tibi tormenta, diem iudicij, diem supplicij sempiterni: diem, qui venturus est velut clibanus ardens, in quo
D tibi atque vniuersis angelis tuis sempiternus erit interitus: & ideo pro tua nequitia damnate atque damnande, da honorem Deo viuo, & vero: da honorem Iesu Christo Filio eius, & Spiritui sancto: in cuius nomine, atque virtute præcipio tibi, quicumque es spiritus immunde, vt exeas, & recedas ab hoc famulo Dei, quem hodie Dominus noster Iesus Christus ad suam sanctam grariam, & benedictionem, fontemq. baptismatis dono suæ gratiæ vocare dignatus est, vt fiat eius templum per aquam regenerationis in remissionem omnium peccatorum, in nomine eiusdem Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare viuos, & mortuos, & sæculum per ignem.

Inde tangas ei nares & aures de sputo, & dicas ad aurem, Ephphetha: *postea vero de oleo sancto facies Crucem inter scapulas dicendo:*

E FVGE immunde spiritus, da honorem Deo viuo, & vero.

Similiter in pectore Crucem faciens dic:

EXI immunde spiritus, da locum Spiritui sancto.
Tunc dices ei: Abrenuncias Satanæ?
℟. Abrenuncio. Et omnibus operibus eius?
℟. Abrenuncio. Et omnibus pompis eius?
℟. Abrenuncio.

Si autem infirmus infans venerit ad baptizandum, non facias supraſcripto ordine, ſed tantum A
poſt Æternam, ac iuſtiſſimam pietatem, *addes Orationem hanc:*

MEDELAM tuam deprecor, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui ſubuenis in periculis, qui temperas flagella dum verberas. Te ergo, Domine, ſupplices deprecamur, vt hunc famulum tuum eruas ab hac inualitudine, vt non prævaleat inimicus vſque ad tentationem animæ: ſicut in Iob, terminum ei pone, ne inimicus de anima iſta ſine redemptione baptiſmatis incipiat triumphare. Differ, Domine, exitum mortis, & ſpatium vitæ extende: releua quem perducas ad gratiam baptiſmi tui. Per.

Dic Symbolum, & Orationem Dominicam, & catechiza eum his verbis: B

NEC te latet Satanas imminere tibi pœnas, imminere tibi gehennam, imminere tibi diem iudicij, diem ſupplicij, diem qui venturus eſt velut clibanus ardens, in quo tibi atque vniuerſis angelis tuis æternus veniet interitus. Quapropter diabole dānate, atque dānande, da honorem Deo viuo, & vero, & Ieſu Chriſto filio eius, qui venturus eſt iudicare viuos, & mortuos, & ſæculum per ignem, in cuius nomine, atque virtute adiuro te, quicumque es ſpiritus immunde, in hoc iacentis corpore conſtitutus, vt exeas & recedas ab eo, fiatq. vas mundum ad ſuper venientem iam nunc in ſe Spiritum ſanctum, ſitq. etiam templum Dei viui, quem Deus & Dominus noſter ad ſuam gratiam vocare dignatus eſt. Per.

C

Et reliqua, ſicut in illo ſuperiori ordine excarpſatum eſt, vſque ad benedictionem fontis, & non dicas illam benedictionem maiorem, ſed iſtam ad ſuccurrendum:

EXAVDI nos, omnipotens Deus, & in huius aquæ ſubſtantia tuam miſce virtutem, vt abluendus per eam, & ſanitatem ſimul, & vitam mereatur æternam. Per Dominum noſtrum, *&c.*

EXORCIZO te creatura aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis, & in charitate Ieſu Chriſti filij eius, & Spiritus ſancti.

EXORCIZO te, omnis virtus aduerſarij, omnis incurſio Satanæ, & omne phantaſma: eradicare, & effugare ab hac creatura aquæ, vt fiat fons ſalientis in vitam æternam: & qui ex ea baptizatus fuerit, fiat templum Dei viui, & Spiritus ſanctus habitet in eo in remiſſionem omnium peccatorum. Per, *&c.* Qui venturus, *&c.* D

Et baptizes eum ſicut ordo eſt.

Item ad Catechumenum ex Pagano faciendum.

Gentilem hominem cum ſuſceperis, primo catechizes eum diuinis ſermonibus, & des ei monita quemadmodum poſt cognitam veritatem viuere debeat. Poſt hæc facias eum Catechumenum, & exſufflas in faciem eius, & facias ei Crucem in fronte, & ponas manum ſuper caput eius his verbis:

ACCIPE ſignum Crucis tam in fronte, quàm in corde: ſume fidem cæleſtium præceptorum, talis eſto moribus, vt templum Dei eſſe iam poſſis: & ingreſſus Eccleſiam Dei, euaſiſſe te laqueos mortis lætus agnoſce: horreſce idola, reſpue ſimulacra, cole Deum Patrem omnipotentem, & Ieſum Chriſtum filium eius, qui viuit E
cum Patre, & Spiritu ſancto, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Sequitur Oratio.

TE deprecor, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, vt huic famulo tuo, qui in huius ſæculi nocte vagatur incertus, ac dubius, viam veritatis, & agnitionis tuæ iubeas demonſtrari, quatenus reſeratis oculis cordis ſui, Te vnum Patrem Deum in Filio, & Filium in Patre cum ſancto Spiritu recognoſcat, atque huius confeſſionis fructum, & hic, & in futuro ſæculo percipere mereatur. Per.

Inde

Inde vero postquam gustauerit medicinam salis, & ipse se signauerit, benedices eum his verbis:

A

DOMINE sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui es, & eras, & permanes vsque in finem: cuius origo nescitur, nec finis comprehendi potest, te Domine, supplices inuocamus super hunc famulum tuum, quem liberasti de errore Gentilium, & conuersatione turpissima, dignare eum exaudire, qui tibi ceruices suas humiliat: & perueniat ad lauacri fontem, vt renatus ex aqua, & Spiritu sancto, expoliatus veterem hominem, induatur nouum, qui secundum Deum creatus est: accipiat vestem incorruptam, & immaculatam, Tibiq. Deo nostro seruire mereatur. Per.

INCIPIVNT ORATIONES QVOTIDIANAE.

B VOX clamantis Ecclesiæ ad aures, Domine, quæsumus, tuæ pietatis ascendat, vt percepta venia peccatorum, Te fiat operante, deuota, Te protegente, secura. Per Dominum nostrum.

ALIA.

PROPITIARE, Domine, supplicationibus nostris, & exorabilis tuis esto supplicibus, vt concessa venia, quam precamur, perpetuo misericordiæ tuæ munere gloriemur. Per Dominum nostrum.

ALIA.

NOSTRIS, Domine, quæsumus, propitiare temporibus, vt tuo munere dirigatur, & Romana securitas, & deuotio Christiana. Per Dominum nostrum.

ALIA.

C

DIES nostros, quæsumus, Domine, placatus intende, pariterq. nos & a peccatis absolue propitius, & a cunctis eripe benignus aduersis. Per.

ALIA.

QVAESVMVS, omnipotens Deus, ne nos tua misericordia derelinquat, quæ & errores nos semper amoueat, & noxia cuncta depellat. Per.

ALIA.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt inter innumeros vitæ præsentis errores, tuo semper moderamine dirigamur. Per Dominum nostrum.

ALIA.

PERPETVA, quæsumus, Domine, pace custodi, quos in te sperare donasti. Per

D Dominum nostrum.

ALIA.

ADESTO nobis misericors Deus, & tuæ pietatis nobis propitius dona concede. Per.

ALIA.

REGE nostras, Domine, propitius voluntates, vt nec proprijs iniquitatibus implicentur, nec subdantur alienis. Per Dominum nostrum.

ALIA.

COMPRIME, Domine, quæsumus, noxios semper incursus, & salutarem temporibus nostris propitius da quietem. Per.

ALIA.

AB omnibus nos defende, quæsumus Domine, semper aduersis, & continuis tuere præsidijs. Per Dominum.

E ALIA.

DEVS, qui errantibus, vt in viam possint redire iustitiæ, veritatis tuæ lumen ostendis, da cunctis, qui Christiana professione censentur, & illa respuere, quæ huic inimica sunt nomini, & ea quæ sunt apta sectari. Per Dominum.

ALIA.

DEVS, qui fidelium mentes vnius efficis voluntatis, da populis tuis id amare, quod præcipis, id desiderare, quod promittis, vt inter mundanas varietates, ibi nostra fixa sint corda, vbi vera sunt gaudia. Per Dominum nostrum.

ALIA.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, vt qui infirmitatis nostræ consci j de tua vir- A
tute confidimus, sub tua semper pietate gaudeamus. Per Dominum nostrum.

ALIA.

FAC nos, quæsumus, Domine Deus noster, in tua deuotione gaudere, quia per-
petua est, & plena felicitas, si bonorum omnium seruiamus Auctori. Per.

ALIA.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, fac nos tibi semper & deuotam gerere volun-
tatem, & Maiestati tuæ sincero corde seruire. Per Dominum nostrum.

ALIA.

DEVS, a quo cuncta bona procedunt, largire supplicibus, vt cogitemus, Te inspi- B
rante, quæ recta sunt, & Te gubernante, eadem faciamus. Per.

ALIA.

VOX nostra, te, Domine, semper deprecetur, & ad aures tuæ pietatis adscendat.
Per Dominum.

ALIA.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt liberis tibi mentibus seruiamus.
Per Dominum nostrum.

ALIA.

VT tuam, Domine, misercordiam consequamur, fac nos tibi toto corde esse de-
uotos. Per.

ALIA. C

SVSCIPE, Domine, preces nostras, & clamantium ad te pia corda propitius
intende. Per.

ALIA.

CVNCTAS, Domine, semper a nobis iniquitates repelle, vt ad viam salutis æter-
ne secura mente curramus. Per Dominum nostrum.

ALIA.

REDEMPTOR noster, aspice Deus, & tibi nos iugiter seruire concede. Per Do-
minum nostrum.

ALIA.

DEVS cæli, terræq. dominator, auxilium nobis tuæ defensionis benignus impen- D
de. Per.

ALIA.

PRAESTA, quæsumus, misericors Deus, vt tibi placita mente seruiamus. Per
Dominum nostrum.

ALIA.

PVRIFICET nos indulgentia tua, Deus, & ab omni semper iniquitate custo-
diat. Per.

ALIA.

ADESTO nobis misericors Deus, & tua circa nos propitiatus dona custodi. Per.

ALIA.

A CVNCTIS iniquitatibus nostris exue nos, Domine, & in tua fac pace gau-
dere. Per. E

ALIA.

VINCVLA, Domine, quæsumus, humanæ prauitatis abrumpe, vt ad confiten-
dum nomen tuum libera mente curramus. Per.

ALIA.

TVA nos, Domine, quæsumus, gratia benedicat, & ad vitam perducat æternam.
Per Dominum nostrum.

ALIA.

VIDE, Domine, infirmitates nostras, & celeri nobis pietate succurre. Per Do-
minum nostrum.

ALIA.

ALIA.

A FAC nos, Domine, quæsumus, mala nostra toto corde respuere, vt bona tua capere valeamus. Per.

ALIA.

ESTO nobis propitius Deus, vt tua nos misericordia subsequatur. Per Dominum nostrum.

ALIA.

DELICTA nostra, Domine, quibus aduersa dominantur, absterge: & tua nos vbique misetatione custodi. Per.

ALIA.

ABSOLVE, Domine, quæsumus, nostrorum vincula peccatorum: & quidquid pro eis metemur, auerte. Per.

B ALIA.

ADSCENDANT ad Te, Domine, preces nostræ: & ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam. Per.

ALIA.

CLAMANTES ad Te, Deus, dignanter exaudi, vt nos de profundo iniquitatis etipias, & ad gaudia æterna perducas. Per.

Orationes aliæ vespertinales.

OMNIPOTENS sempitetne Deus, vespere, & mane, & meridie Maiestatem tuam suppliciter deprecamur, vt expulsis de cordibus nostris peccatorum tenebris, ad ve-
C ram lucem, quæ Christus est, nos facias peruenire. Per.

ALIA.

VESPERTINAE laudis officia persoluentes, clementiam tuam, Domine, humili prece deposcimus, vt nocturni insidiatoris fraudes, Te protegente, vincamus. Per.

ALIA.

PROPITIARE, Domine, vespertinis supplicationibus nostris, & fac nos sine vllo reatu matutinis tibi laudibus præsentari. Per.

ALIA.

EXAVDI, Domine, famulos tuos vespertina nomini tuo vota reddentes: & quos per singula diei momenta seruasti, per noctis quietem custodire dignare. Per.

ALIA.

D SALVIFICA, Domine, Ecclesiam tuam in tui nominis protectione confidentem, vt dispectis inimicis, voluntaria Te confessione magnificet. Per.

Oratio ad Crucem.

QVAESVMVS, Domine Deus noster, vt per vexillum sanctæ Crucis Filij tui ad conterendas aduersariorum insidias, nos in tuæ protectionis securitate constituas. Per eundem.

ALIA.

SVPPLICES clementiam tuam quæsumus, omnipotens Deus, vt ab hoste maligno defendas, quos per lignum Sanctæ Crucis Filij tui armis iustitiæ, pro salute mundi triumphare iussisti. Per eundem Dominum.

ALIA.

E DEVS, qui pro nobis Filium tuum Crucis patibulum subire voluisti, vt inimici a nobis expelleres potestatem, concede nobis famulis tuis, vt antiqui hostis insidias tanti virtute mysterij superantes, sinceriſſima Tibi perpetuò mente famulemur. Per eundem Dominum.

ALIA.

DEVS, cuius Filius per tropeum Crucis, mundum redimere dignatus est, concede propitius, vt qui de redemptione nostra lætamur, æternis gaudijs perfrui mereamur. Per eundem Dominum.

ALIA. A

DEVS, qui per sanguinem Crucis Domini nostri Iesu Christi Filij tui dedisti pacem hominibus, & cælestium collegium Angelorum, da nobis & tuæ pacis vbertate repleri, & Angelicæ societatis vnitate lætari. Per eundem Dominum.

Oratio ad Completorium.

ORIATVR in nobis, Domine, nascentibus tenebris, aurora iustitiæ, vt, peracto die, Tibi suppliciter gratias agentes, etiam mane dignanter respicias vota soluentes. Per.

ALIA.

GRATIAS tibi agimus, Domine, custoditi per diem, grates tibi exsoluimus custodiendi per noctem: repræsenta nos, quæsumus, Domine, matutinis horis incolumes, vt nos omni tempore habeas laudatores. Per Dominum nostrum. B

ALIA.

ILLVMINA, quæsumus, Domine, tenebras nostras, & totius noctis insidias tu repelle propitius. Per.

ALIA.

QVAESVMVS, Domine Deus noster, diei molestias, noctis quiete sustenta, vt, necessaria remporum vicissitudine succedente, nostra reficiatur infirmitas. Per.

ALIA.

ADESTO, Domine, precibus nostris, & die noctuq. nos protege, vt quibuslibet alternationibus temporum, tua semper incommutabilitate firmemur. Per Dominũ nostrũ. C

Incipiunt Orationes Matutinales.

ILLVMINA, Domine, quæsumus, in Te corda credentium, vt tuo semper munimine, & tuo auxilio protegamur. Per.

ALIA.

TVA nos, Domine, veritas semper illuminet, & ab omni prauitate defendat. Per Dominum.

ALIA.

SALVA nos, omnipotens Deus, & lucem nobis concede perpetuam. Per Dominum nostrum.

ALIA.

EXAVDI nos, misericors Deus, & mentibus nostris gratiæ tuæ lumen ostẽde. Per. D

ALIA.

MATVTINA supplicum vota, Domine, propitius intuere, & occulta cordis nostri remedio tuæ clarifica pietatis, vt desideria tenebrosa non reneant, quos lux cæleſtis gratiæ reparauit. Per.

ALIA.

EMITTE, quæsumus, Domine, lucem tuam cordibus nostris, vt mandatorum tuorum lege percepta, in via tua ambulantes, nihil patiamur erroris. Per.

ALIA.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, apud quem nihil obscurum est, nihil tenebrosum, emitte lucem tuam cordibus nostris, vt mandatorum tuorum lege percepta, in via tua ambulantes, nihil patiamur erroris. Per Dominum nostrum.

ALIA. E

DEVS, qui vigilantes in laudibus tuis cælesti mercede remuneras, tenebras de cordibus nostris auferre digneris, vt splendore luminis tui semper gaudeamus. Per.

ALIA.

EXVRGENTES de cubilibus nostris auxilium gratiæ tuæ matutinis, Domine, precibus imploramus, vt discussis tenebris vitiorum, ambulare mereamur in luce virtutum. Per.

ALIA.

TE lucem veram, & lucis Auctorem, Domine, deprecamur, vt digneris a nobis tenebras depellere vitiorum, & clarificare nos luce virtutum. Per.

ALIA.

ALIA.

A AVGE in nobis, Domine, quæsumus, fidem tuam, & Spiritus sancti lucem in nobis semper accende. Per.

ALIA.

DEVS, qui tenebras ignorantiæ verbi tuæ luce depellis, auge in cordibus nostris virtutem fidei, quam dedisti, vt ignis, quem gratia tua fecit accendi, nullis tentationibus possit extingui. Per.

ALIA.

AVRIBVS percipe, Domine, quæsumus, verba oris nostri, clamoremq. matutinum precis scrutator intellige, vt orandi ad te nobis sit fida deuotio, tuaq. donetur nobis diluculo contemplatio, & peccatorum omnium exoptata remissio. Per.

B ALIA.

VERITAS tua, quæsumus, Domine, luceat in cordibus nostris, & omnis falsitas inimici destruatur. Per Dominum nostrum.

ALIA.

SENSIBVS nostris, quæsumus, Domine, lumen sanctum tuum benignus infunde, vt Tibi semper simus deuoti, cuius sapientia creati sumus, & prouidentia gubernamur. Per.

ALIA.

DEVS, qui diem discernis a nocte, actus nostros a tenebrarum distingue caligine, vt semper, quæ sancta sunt meditantes, in tua iugiter luce viuamus. Per Dominum nostrum.

ALIA.

C GRATIAS tibi agimus, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui nos de transacto noctis spatio ad matutinas horas perducere dignatus es, quæsumus, vt dones nobis diem hunc sine peccato transire, quatenus ad vesperum, & semper tibi Deo gratias referamus. Per.

ALIA.

DEVS, qui nos ad principium huius diei peruenire fecisti, da nobis hunc diem sine peccato transire, vt in nullo a tuis semitis declinemus, sed ad tuam iustitiam faciendam nostra semper procedant eloquia. Per Dominum nostrum.

DIRIGERE dignare, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, hodie corda, & corpora nostra in opera mandatorum tuorum, vt in hac die ad nullum
D declinemus peccatum, sed semper quæ sancta sunt meditemur, atque opere compleamus, & tuo vbique auxilio muniamur. Per.

Incipiunt Apologiæ.

IMPELLIT ministrandi officium hostia salutaris populi pro delicto: terret conscientia indebiti Sacerdotij pro reatu. Si a me, omnium Sacerdotum peripsima, sacrificium offeratur, pollutæ conscientiæ crimen augetur: si tantæ Maiestati, vniuersæ carnis iudici, non offertur, neglegentiæ reatus ascribitur. Inter hæc, tuæ, Omnipotens, libram pietatis imploro, cuius vltionis diem accusante conscientia pertimesco. Ne
E indignum, quæso, misericordia tua iudices, quem a rempore pœnitentiæ non excludis. Suspende securem, donec cultor vineæ admoueat cophinum stercoris infructuosæ arboris ad radicem. Parce mihi, Domine clementissime, pœnitenti: qui Dauid post lapsum clementer ad veniam reuocasti: qui Petri misericors amare flentis lacrymas respexisti: qui Latronem in Crucis patibulo tanti facinoris reum diuina gratia illustrasti: Cui mox obtinuit confessio perspicua Dei filium: fides, præmium: pœna, veniam: lamenta, gaudia sempiterna. Dum confessor in cruce, possessor extitit paradisi post crucem. Sed quia verba venia tuæ pietatis indigent, quæ indigni Sacerdotis opera non commendant, saltim astantium vota suscipe, vt & mihi suis apud te precibus veniam, & eorum meritis sacrificia nostrorum vulnerum salubriter nobis conferant medicinam, vt quia Omnipotens, pro omnibus factus es hostia pro peccatis, adsis nobis sanctificatio in sacrificio pro delictis, Christe, Saluator mundi, qui

cum æterno Patre, cum Spiritu sancto viuis & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen. A

Item Apologia.

ANTE oculos tuos, Domine, reus conscientiæ testis assisto, rogare vix audeo, quod impetrare non mereor. Tu enim scis, Domine, omnia quæ aguntur in nobis: Erubescimus confiteri quod per nos non timemus admittere: verbis tantum tibi obsequimur, corde mentimur: & quod velle nos dicimus, nolle nostris actibus approbamus. Parce, Domine: confitentibus ignosce: peccauimus, miserere, Te rogamus: & quia in sacramentis tuis mens sensus infirmus est, præsta quæsumus, vt qui ex nobis duri cordis verba non suscipis, per Te nobis veniam largiaris. Per.

B

In Festo Sanctorum.

ERIPIAT nos, quæsumus, Domine, tuorum pia deprecatio Sanctorum: & sicut per Moysen famulum tuum peccata populi dimisisti, ita per intercessionem Sanctorum tuorum nostra omnium iubeas relaxari peccata. Per.

Item alia Apologia quotidiana Sacerdotis propria.

MORDACIS conscientiæ stimulis, & delictorum nostrorum recordatione commoniti, Te Deum indulgentiæ deprecamur, vt quidquid dicto, facto, cogitatione peccatum est, siue lubricæ ætatis impulsu, seu ignorantiæ errore commissum, pietas Domini nostri Iesu Christi resoluere ac indulgere dignetur. Per. C

ALIA.

INDIGNVM me, Domine, sacris tuis esse fateor, qui innumeris quotidie peccatis fuscor. Quid ego Te blandis verbis rogare præsumo, quem improbis sæpissime factis offendo? Tu enim mihi medicinam ingeris, ego sanitati meæ contraria ago: legem tuam sacris inditam paginis lego, sanam vero disciplinam infelix neglego. Ad tuum quidem altare, quasi deuotus accedo, sed à præceptis tuis contumaci corde recedo. Da ergo mihi, Domine, cor compunctum, quo veraciter odio habeam peccatum. Meum est, si donaueris, delicta deflere: tuum est etiam, nubem meam cito delere, vt qui hanc palmam amiserim, inimico fraudante, ad veniam saltim pertingam, Te Domino miserante. Tibi enim Deo est honor regum regi cunctorum per cuncta regnanti sæcula sæculorum. Amen. D

Missa pro Febricitante.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui per sanctos Apostolos tuos, & Martyres diuersa sanitatum dona largiris, præsta quæsumus, vt præsenti famulo tuo *Ill.* qui quartano, siue tertiano, vel quotidiano typo, vexatione fatigatur, fidelis famuli tui Sigismundi precibus clementer succurras. Per.

Secreta.

OFFERIMVS tibi, Domine, munera votiua in memoriam electi tui Sigismundi pro præsente ægroto *Ill.* vt ab eo ardorem febrium repellas, & in omnibus muniatur. Per Dominum nostrum.

AD COMPLENDVM.

DEVS, qui confitentium tibi corda purificas, & accusantes se, conscientias ab omni vinculo iniquitatis absoluis, da indulgentiam reo, & medicinam tribue vulnerato, vt percepta remissione omnium peccatorum, in sacramentis tuis sincera deinceps deuotione permaneat, & nullũ damnationis æternæ sustineat detrimentũ. Per. E

A

NONIS MARTII NAT. S. PERPETVAE, ET FELICITATIS.

DA nobis, Domine, Deus noſter, Sanctarum Martyrum palmas inceſſabili veneratione venerari, vt quas digna mente non poſſumus celebrare, humilibus ſaltim frequentemus obſequijs. Per.

Secreta.

INTENDE, Domine, munera, quæſumus, Altaribus tuis pro Sanctarum tuarum Felicitatis, & Perpetuæ commemoratione propoſita, vt ſicut per hæc beata myſteria illis gloriam contuliſti, nobis indulgentiam largiaris. Per.

B AD COMPLENDVM.

PRAESTA nobis, Domine, quæſumus, intercedentibus Sanctis, vt quæ ore contingimus, pura mente capiamus. Per.

IV. IDVS MARTII NAT. S. GREGORII PAPAE.

PRAESTA, quæſumus, omnipotens Deus, vt qui beati Gregorij confeſſoris tui atque Pontificis ſollemnia colimus, eius apud te patrocinia ſentiamus. Per.

Secreta.

C HOSTIAS tibi, Domine, pro commemoratione ſancti Gregorij confeſſoris tui atque Pontificis offerimus, vt ſicut illi præbuiſti ſacræ fidei claritatem, ſic nobis indulgentiam largiaris & pacem. Per.

AD COMPLENDVM.

SVMENTES, Domine, gaudia ſempiterna participatione ſacramenti, præſta quæſumus, vt beati Gregorij, cuius natalitia colimus, precibus adiuuemur. Per.

XII. KALENDAS APRILIS NAT. S. BENEDICTI ABBATIS.

D INTERCESSIO nos, quæſumus, Domine, beati Benedicti ſancta commendet, vt quod noſtris meritis non valemus, eius patrocinijs aſſequamur. Per.

Secreta.

SACRIFICIVM, Domine, quòd deſideranter offerimus, gratum Tibi beatus Benedictus ſuffragator efficiat. Per Dominum noſtrum.

AD COMPLENDVM.

SVMPTVM, Domine, cæleſtis remedij ſacramentum ad perpetuam nobis prouenire gratiam beatus Benedictus obtineat. Per.

E

NONIS IVNII MISSA IN FESTO S. BONIFACII.

DEVS, qui multitudinem populorum beati Bonifacij Pontificis atque Martyris inſtantia ad agnitionem tui ſancti nominis vocare dignatus es, concede propitius, vt cuius ſollemnia colimus, etiam patrocinia ſentiamus. Per.

SVPER OBLATA.

ACCEPTA ſit, quæſumus, Domine, in conſpectu tuo noſtræ humilitatis oblatio, & ſancti Bonifacij Martyris tui, atque Sacerdotis, fiat ſupplicatione ſalutaris, pro cuius ſollemnitate tuæ Maieſtati defertur. Per.

AD

AD COMPLENDVM.

SVPPLICES Te rogamus, omnipotens Deus, vt intercedente sancto Bonifacio Martyre tuo, atque Pontifice, in cuius festiuitate, hæc cælestia sumpsimus sacramenta, tua nobis dona semper multiplices, & vitam nostram ab omni aduersitate defendas. Per. A

VII. IDVS IVNII
NAT. S. VINCENTII, ET BENIGNI.

MAGNIFICANTES, Domine, clementiam tuam suppliciter exoramus, vt qui nos Sanctorum tuorum, Vincentij ac Benigni, frequentibus facis natalitijs interesse, perpetuis tribuas gaudere consortijs. Per Dominum.

Secreta.

FRATERNA nos, Domine, Martyrum tuorum Vincentij ac Benigni corona lætificet, quæ & fidei nostræ præbeat incitamenta virtutum, & multiplici nos suffragio consoletur. Per Dominum nostrum. B

AD COMPLENDVM.

SVMPSIMVS, Domine, Sanctorum tuorum sollemnia celebrantes, cælestia sacramenta: præsta quæsumus, vt quod temporaliter gerimus, æternis gaudijs consequamur. Per Dominum nostrum.

XVII. KALENDAS IVLII
NAT. SANCTI VITI. C

DA Ecclesiæ tuæ, Domine, quæsumus, Sancto Vito intercedente, superbe non sapere, sed placita tibi humilitate proficere, vt proterua dispiciens, quæcumque matura sunt, libera exerceat charitate. Per.

Secreta.

SICVT gloriam diuinæ potentiæ munera pro Sanctis oblata testantur, sic nobis effectum tuæ saluationis impendant. Per Dominum nostrum.

AD COMPLENDVM.

REFECTI, Domine, benedictione sollemni, quæsumus, intercessione Sancti Viti medicina sacramenti, & corporibus nostris prosit & mentibus. Per. D

IV. NONAS IVLII TRANSLATIO
S. MARTINI EPISCOPI.

DEVS, qui nos Beati Martini confessoris tui atque Pontificis, annuæ sollemnitatis Translatione lætificas, concede propitius, vt cuius sollemnia colimus, per eius ad Te exempla gradiamur. Per.

Secreta.

INTERCESSIO, Domine, Sancti Martini confessoris tui atque Pontificis munera nostra commendet, nosq. in eius veneratione tuæ Maiestati reddat acceptos. Per Dominum nostrum. E

PRAEFATIO.

VERE dignum, & iustum est, æquum & salutare, Nos tibi semper, & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Sancti Martini confessoris tui atque Pontificis, Domine, hodierna geminasti nobis confessione lætitiam, qui pariter Sacerdos in modico, hoc est in paruo vitæ præsentis excusso, fidelis apparuit, super multa bona vtique in sempiternum mansura beatitudine disponatur. Per Christum Dominum nostrum.

AD

A AD COMPLENDVM.

QVAESVMVS, Domine, salutaribus repleti mysterijs, vt Sancti Martini confessoris tui atque Pontificis, cuius sollemnia celebramus, eius orationibus adiuuemur. Per.

VI. KALENDAS AVGVSTI
NAT. S. SIMEONIS.

ADESTO, Domine, supplicationibus nostris, nec nos vllis mentis & corporis patiaris subiacere periculis, quos beati tui Simeonis munit glorioſa confeſſio. Per Dominum nostrum.

Secreta.

SANCTI intercessione Simeonis, & famulorum tuorum munus, Domine, reddatur acceptum, & cunctis salutare proueniat. Per.

B AD COMPLENDVM.

TVA nos, Domine, intercedente Beato Simeone Sancta purificent, quia non nisi ijsdem purgantibus expiamur. Per.

IV. KALENDAS AVGVSTI
NAT. S. FELICIS, SIMPLICII, FAVSTINI, ET BEATRICIS.

PRAESTA, Domine, quæsumus, vt sicut populus Christianus Martyrum tuorum, Felicis, Simplicij, Fauſtini, & Beatricis temporali sollemnitate congaudet, ita perC fruatur æterna: & quod votis celebrat, comprehendat effectu. Per.

SVPER OBLATA.

HOSTIAS tibi, Domine, pro Sanctorum Martyrum Simplicij, Fauſtini, & Beatricis commemoratione deferimus, suppliciter obsecrantes, vt & indulgentiam nobis pariter conferat & salutem. Per Dominum.

AD COMPLENDVM.

PRAESTA, quæsumus, omnipotens Deus, vt Sanctorum tuorum Felicis, Simplicij, Fauſtini, & Beatricis, cælestibus mysterijs celebrata sollemnitas, indulgentiam nobis tuæ propitiationis acquirat. Per Dominum nostrum.

D

III. NONAS AVGVSTI
INVENTIO CORPORIS S. STEPHANI PROTOMAR.

DEVS omnipotens, mundi Creator, & Redemptor, qui hunc diem in leuitæ Stephani inuentione consecrasti, concede propitius, vt qui martyrij eius merita veneramur, intercessionibus eius ab æternis ignitis lapidibus liberemur. Per Dominum.

Secreta.

PRAESTA, quæsumus, Domine, vt per Sancti Stephani Martyris tui inuentionem, quem ad laudem nominis tui dicatis muneribus honoramus, pie nobis deuoE tionis fructus accrescat. Per.

AD COMPLENDVM.

SVPPLICES te rogamus, omnipotens Deus, vt interueniente beato Stephano protomartyre tuo, in cuius hæc festiuitate cælestia sumpsimus sacramenta, tua in nobis semper dona multiplices, & vitam nostram ab omni aduersitate defendas. Per.

NAT. SANCTI ARNVLPHI.

DEVS, qui beatum Arnulphum confessorem tuum atque Pontificem, doctorem præcipuum, Catholicæq. fidei prædicatorem eligere dignatus es, præsta quæsumus, vt ipsum

vt ipsum pro nobis sentiamus intercedere, vt peccatorum nostrorum mereamur exui maculis, & tibi Domino sinceris mentibus deseruire. Per. A

ALIA.

DEVS, mundi auctor, & conditor, qui hodiernæ festiuitatis diem, beati Arnulphi confessoris tui atque Pontificis migratione consecrasti, præsta quæsumus, vt cuius annua celebritate deuotis exultamus obsequijs, eius suffragijs, tuæ pietatis consequamur auxilium. Per.

SVPER OBLATA.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui beatum Arnulphum confessorem tuum atque Pontificem, & Pontificatus officio, & fidei munere sublimasti, rribue supplicibus tuis, vt quidquid contagione contractum est in nobis, ipso pro nobis S. Antistite tuo intercedente, saluetur. Per. B

AD COMPLENDVM.

REPLETI sumus, Domine, muneribus tuis, quæ de festiuitate beati Arnulphi confessoris tui atque Pontificis percepimus: tribue quæsumus, vt, eodem intercedente, eorum mundemur effectu, & muniamur auxilio. Per.

ALIA.

ÆTERNE, quæsumus, omnipotens Deus, qui beatū Arnulphum tui nominis confessorem, Ecclesiæ tuæ doctorem dedisti, præsta quæsumus, vt quod diuino afflatu docuit, nostris iugiter in cordibus stabiliatur: & quem patronum, Te donante, amplectimur, eum apud tuam misericordiam defensorem habere mereamur. Per. C

XIV. KALENDAS SEPTEMBRIS
NAT. S. MAGNI.

ADESTO, Domine, supplicationibus nostris, & intercedente Beato Magno Martyre tuo, ab hostili nos defende propitiatus incursu. Per Dominum.

Secreta.

GRATA tibi sint munera nostra, Domine, quæ & tuis sint instituta præceptis, & beati Magni festiuitas glorioſa commendet. Per.

AD COMPLENDVM. D

TVA sancta sumentes, quæsumus, Domine, vt beati Magni nos foueant continuata præsidia. Per.

VI. KALENDAS SEPTEMBRIS
NAT. SANCTI RVFI MARTYRIS.

ADESTO, Domine, supplicationibus nostris, & beati Rufi intercessionibus confidentes, nec minis aduersantium, nec vllo conturbemur incursu. Per.

Secreta. E

INTERCESSIO, quæsumus, Domine, sancti tui Rufi, munera nostra commendet, nosq. in eius veneratione tuæ Maiestati reddat acceptos. Per Dominum nostrū.

AD COMPLENDVM.

SVMENTES gaudia æterna de participatione sacramenti, & festiuitate beati Martyris tui Rufi supplices deprecamur, vt quæ sedula seruitute, donante Te, gerimus, dignis sensibus tuo munere capiamus. Per Dominum.

ID. OCTOBRIS VIGILIA S. GALLI.

SANCTI Galli confessoris tui, Domine, supplicationibus tribue nos foueri, ad cuius ve-

ius venerabilem ſollemnitatem præuenimus obſequio, eius interceſſionibus commen-
A demur & meritis. Per.

Secreta.

MVNERA populi tui, Domine, propitius intende, & beati Galli confeſſoris tui, cuius nos tribuis præire ſollemnia, fac gaudere ſuffragijs. Per.

AD COMPLENDVM.

ADIVVENT nos, quæſumus, Domine, hæc myſteria ſancta, quæ ſumpſimus, & beati Galli confeſſoris tui, cuius ſollemnitatem præimus, interceſſio veneranda. Per Dominum noſtrum.

ORATIO AD VESP.

B DEVS, qui nos beati Galli confeſſoris tui confeſſione glorioſa circumdas, & protegis, præſta, quæſumus, nobis, eius imitatione proficere, & oratione fulciri. Per Dominum noſtrum.

XVII. KALENDAS NOVEMBRIS
NAT. SANCTI GALLI.

DEVS, qui præſentem diem honorabilem nobis in beati Galli confeſſoris tui ſollemnitate feciſti, da populis tuis ſpiritalium gratiam gaudiorum, & omnium fidelium mentes dirige in viam ſalutis æternæ. Per Dominum noſtrum.

Secreta.

C HOSTIAS, Domine, quas nomini tui ſacrandas offerimus, ſancti Galli confeſſoris tui proſequatur oratio, per quam nos expiari tribuis & defendi. Per Dominum.

AD COMPLENDVM.

BEATI Galli confeſſoris tui, cuius hodie feſtiuitate, corpore, & ſanguine tuo nos refeciſti, quæſumus, Domine, interceſſione nos adiuua, pro cuius ſollemnitate percepimus tua ſancta lætantes. Per Dominum noſtrum.

ORATIO AD VESP.

DEVS, qui nos beati Galli confeſſoris tui annua ſollemnitate lætificas, concede
D propitius, vt cuius natalitia colimus, etiam actiones imitemur. Per.

V. IDVS DECEMBRIS
NAT. SANCTI ZENONIS.

VENERABILEM diem beati confeſſoris tui Zenonis deuotione ſancta hodie celebrantes, Te, Domine, conſeruatorem omnium fideliter deprecamur, vt pius noſtris precibus clemens ac propitius aſpiras, ſicut & illi miſericordiam largiaris. Per.

Secreta.

DEVS, qui fulgentibus margaritis clarum lumen infers mundo, qui beato Pontificatui Zenonis æternam in cælis coronam præparaſti, & nobis quoque famulis tuis
E aſtantibus ante conſpectum Maieſtatis tuæ adeſſe digneris. Per.

AD COMPLENDVM.

DEVS, qui tali Eccleſiæ feciſti Pontificem, vitalem noſtris temporibus conſtituiſti Sacerdotem, qui puriſſimam, & immaculatam hoſtiam poſſit offerre. Per.

MISSA
Ad comprimendas feritates Gentium.

DEVS, qui prouidentia tua, cæleſtia ſimul & terrena moderaris, qui miſiſti Vnigenitum Filium tuum in mundum, vt per Incarnationem ſuam credentibus gaudium

afferret, & pacem, concede quæsumus, vt populus tuus infestatione infidelium modo turbatus, per Incarnationem Domini nostri Iesu Christi, de triumpho gaudium adipisci mereatur, & omnis hostium nostrorum fortitudo, Tę pro nobis pugnante, frangatur. Per eundem Dominum nostrum. A

Secreta.

SACRIFICIVM, Domine, quod immolamus, propitius intende, vt per Incarnationem, atque Resurrectionem Domini nostri Iesu Christi, ab omni nos exuat bellorum nequitia, & in tuæ protectionis securitate custodiat. Per eundem Dominum.

AD COMPLENDVM.

SACROSANCTI corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi refectione vegetati, supplices te rogamus, omnipotens Deus, vt hoc remedio singulari ab omnium peccatorum nos contagione purifices, & a periculorum munias incursione cunctorum. Per eundem Dominum nostrum. B

MISSA PRO PAPA.

DEVS omnium fidelium Pastor, & Rector, famulum tuum Siluestrum Pontificem nostrum, quem Pastorem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti, propitius respice, da ei, quæsumus verbo, & exemplo quibus præest proficere, vt ad vitam vna cum grege sibi credito perueniat sempiternam. Per. C

OBLATIS, Domine, quæsumus, placare muneribus, & famulum tuum Siluestrum Pontificem nostrum, quem Pastorem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti, assidua protectione guberna. Per.

HAEC nos, quæsumus, Domine, diuini sacramenti perceptio protegat, & famulum tuum Siluestrum Pontificem nostrum, quem Pastorem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti, vna cum commisso sibi grege saluet semper & muniat. Per.

Libri Sacramentorum B. Gregorij

FINIS. D

HYMNI

HYMNI A B. GREGORIO I. PAPA ROMANO CONSCRIPTI.

DIE DOMINICO.

Ad Nocturnum.

1 PRIMO dierum omnium
Quo mundus extat conditus
Vel quo resurgens Conditor
Nos, morte victa, liberat.

2 Pulsis procul torporibus,
Surgamus omnes ocyus,
Et nocte quaramus pium
Sicut prophetam nouimus.

3 Nostras preces vt audiat
Suamq. dextram porrigat,
Et expiatos sordibus
Reddat polorum sedibus.

4 Vt quique sacratissimo
Huius diei tempore
Horis quietis psallimus,
Donis beatis muneret.

5 Iam nunc paterna claritas
Te postulamus affatim,
Absit libido sordidans,
Omnisq. actus noxius.

6 Ne fœda sit vel lubrica
Compago nostri corporis,
Per quod auerni ignibus
Ipsi crememur acrius.

7 Ob hoc Redemptor quæsumus
Vt probra nostra diluas,
Vitæ perennis commoda,
Nobis benigne conferas.

8 Quò carnis actu exules,
Effecti ipsi cœlibes
Vt præstolamur cernui,
Melos canamus gloriæ.

9 Præsta Pater piissime,
Patriq. compar vnice
Cum Spiritu paraclito
Regnans per omne sæculum.

Alius.

1 Nocte surgentes vigilemus omnes:
Semper in psalmis meditemur, atque
Nisibus totis Domino canamus
Dulciter hymnos.

2 Vt pio Regi pariter canentes,
Cũ suis Sanctis mereamur aulã
Ingredi cæli, simul & beatam
Ducere vitam.

3 Præstet hoc nobis Deitas beata
Patris, ac Nati, pariterq. sancti
Spiritus, cuius reboat in omni
Gloria mundo. Amen.

Ad laudes.

1 Ecce iam noctis tenuatur vmbra,
Lucis aurora rutilãs coruscat:
Nisibus totis rogitemus omnes
Cunctipotentem.

2 Vt Deus noster miseratus, omnem
Pellat languorem, tribuat salutẽ,
Donet & nobis pietate Patris
Regna polorum.

3 Præstet hoc nobis Deitas beata, Vt supra.

Ad Vesperas.

1 Lucis Creator optime
Lucem dierum proferens
Primordijs lucis nouæ
Mundi parans originem,

2 Qui mane iunctum vesperi
Diem vocari præcipis,
Tetrum chaos illabitur,
Audi preces cum fletibus.

3 Ne mens grauata crimine
Vitæ sit exul munere,
Dum nil perenne cogitat,
Seseq. culpis illigat.

4 Calorum pulset intimum,
Vitale tollat præmium,
Vitemus omne noxium,
Purgemus omne pessimum.

IN QVADRAGESIMA.

Ad Nocturnum.

1 Clarum decus ieiunij
Monstratur orbi calitus,
Quod Christus Auctor omnium
Cibis dicauit abstinens.

2 Hoc, Moyses charus Deo,
Legisq. lator factus est,
Hoc Heliam per æra
Currn leuauit igneo.

3 Hinc Daniel mysteria
Victor leonum viderat,
Per hoc amicus intimus
Sponsi Ioannes, claruit.

4 Hæc nos sequi dona Deus
Exempla parsimoniæ:
Tu robur auge mentium,
Dans spiritale gaudium. Amen.

Ad Vesperas.

1 Audi benigne Conditor
Nostras preces cum fletibus
In hoc sacro ieiunio
Fusas quadragenario.

2 Scrutator alme cordium,
Infirma tu scis virium,

Ade

Ad te reuersis exhibe
Remissionis gratiam.

3 Multum quidē peccauimus:
Sed parce confitentibus:
Ad nominis laudem tui
Confer medelam languidis.

4 Sic corpus extra conteri
Dona per abstinentiam
Ieiunet vt mens sobria
A labe prorsus criminum.

5 Prasta beata Trinitas,
Concede simplex vnitas
Vt fructuosa sint tuis
Ieiuniorum munera. Amen.

In Dominica Palmarum.

1 Magno salutis gaudio
Lætetur omne sæculum,
Iesus Redemptor omnium
Sanauit orbem languidum.

2 Sex ante Paschæ ferias
Aduenit in Bethaniam,
Vbi pie post triduum
Resuscitauit Lazarum.

3 Nardi Maria pistici
Sumpsit libram mox optimi,
Vnxit beatos Domini
Pedes rigando lacrymis.

4 Post hæc iugalis asinæ
Iesus supernus arbiter
Pullo sedebat: inclytam
Pergebat Hierosolymam.

5 O quàm stupenda pietas,
Mira Dei clementia,
Sessor asselli fieri
Dignatur Auctor sæculi.

6 Ramos virentes sumpserat
Palma recisos tenera:
Turba processit obuiam
Regi perenni plurima.

7 Honor, virtus, imperium,
Sit Trinitati vnica,
Patri, Nato, Paraclito
Per infinita sæcula. Amen.

In Passione Domini.

1 Rex Christe factor omniū,
Redemptor & credentium,
Placare votis supplicum,
Te laudibus colentium. A

2 Cuius benigna gratia
Crucis per alma vulnera,
Virtute soluit ardua
Primi parentis vincula.

3 Qui es creator siderum
Tegmen subisti carneum,
Dignatus hanc vilissimam
Pati doloris formulam. B

4 Ligatus es vt solueres
Mundi ruentis complices
Per probra tergens crimina,
Quæ mundus auxit plurima.

5 Cruci Redemptor figeris,
Terram sed omnem concutis,
Tradis potentem spiritum,
Nigrescit atque sæculum. C

6 Mox in paterna gloria
Victor resplendens culmine,
Cum Spiritu munimine
Defende nos Rex optime.
Amen.

Hymnorum B. Gregorij
FINIS.